BHU 1901+11-10

Dominici Organo
ex dono
Com. Gasparis Cantherii

TENTAMEN GENEALOGICO-CHRONOLOGICUM

PROMOVENDÆ SERIEI

COMITUM

ET RERUM

GORITIÆ

CONSCRIPTUM

A RUDOLFO

S. R. I. COMITE CORONINI

DE QUISCHA

L. B. A CRONBERG

GORITIENSI,

IN COLLEGIO REGIO NOBILIUM

THERESIANO S. J. HISTORIÆ,

ET JURIS STUDIOSO.

VIENNÆ AUSTRIÆ ANNO SALUTIS

MDCCLII.

VIENNÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

Co N 543.552/2012

MARIÆ. THERESIÆ.

IMPERATRICI. AUGUSTÆ.

HVNGARIÆ. BOHEMIÆ. QUE.

REGINÆ.

ARCHIDVCI. AVSTRIÆ.

DVCI. STYRIÆ. CARINTHIÆ.

CARNIOLIÆ.

PRINCIPI. COMITI.

TYROLIS. ET. GORITIÆ.

[illegible]

AUGUSTISSIMA
IMPERATRIX REGINA
DOMINA DOMINA
CLEMENTISSIMA!

TOtum TUUM eſt, AUGUSTA, quidquid primitiarum Litterarii laboris mei, flores dicam, an fructus? ad MAJESTATIS TUÆ Aram lætus, genibusque minor appendo. TUO in agro, id eſt in TUO

AUGUSTA! Collegio THERESIANO hujus opellæ jacta eſt ſementis, atque illorum profecit induſtria, e quorum Religioſa Familia moderatores, cultoresque MAJESTAS TUA huic delegit Collegio, cujus me incolam quintum jam in annum eſſe glorior.

Excrevit porro meus iſte labor, atque ad virorem aliquem ſpei, ſi minus ad fructus maturitatem, pervenit, ſubſidio, ac velut nutrimento, eorum cumprimis Documentorum, quæ in AUGUSTÆ AUSTRIACÆ DOMUS Tabulariis conſervantur. Neque exigua ad Opellæ hujus incrementum acceſſere ſubſidia, ex eorum apparatu Librorum, quos AUGUSTA

STA MUNIFICENTIA, cum Garelliana Bibliotheca, TUO huic THERESIANO COLLEGIO ad commodiorem uſum adſcripſiſti.

Ipſa Libri materies alia non eſt, atque Tentamen Genealogico-Chronologicum, quo MAJESTATIS TUÆ, & AUGUSTÆ DOMUS fidelis Provincia, Goritienſis inquam Comitatus, Patria mea dulciſſima, ac ejusdem vetuſti Comites, nobiliſſima proſapia illuſtres, qualitercunque illuſtrantur. Illud ſane hujus Tentaminis decurſu inter cetera perſpicue oſtendetur: quot, quantisque juris optimi titulis AUGUSTI MAJORES TUI, poſt priſcos illos Comites, Goritienſes

ſes Provincias in fidem receperint, quas hodieque, gratulantibus, fideque devinctiſſimis Incolis, JUSTITIA ET CLEMENTIA AUGUSTA MATER moderaris.

Fuere porro Goritienſes, ex antiqua illa Stirpe Comites, Auguſtæ Habſpurgo-Auſtriacorum Genti jam inde a Meinhardo, Tyrolenſium Comite, ac ſubinde, Rudolfi I. Habſpurgici Cæſaris favore, Carinthiæ Duce, arctiſſimæ amicitiæ, fœderum, & iteratæ Affinitatis vinculis, omnique obſequiorum, officiorumque genere, quin mutuis etiam, pluribusque ſucceſſionis pactis continenter devincti.

De-

Denique quod præ ceteris Goritiam noſtram, veteremque Goritienſium Comitum Stirpem illuſtrem, AUSTRIACISque commendabilem reddit, eſt ſane fortunata illa Eliſabethæ, prædicti Meinhardi IV. Goritiani ac Tyrolis Comitis filiæ, fecunditas, quæ Alberto I. Habſpurgo-Auſtriaco collocata, numeroſa ſobole AUGUSTAM hanc AUSTRIACORUM Stirpem Prima propagavit.

En AUGUSTA DOMINA, quam TUA in hoc opuſculo meo, potius ſint omnia! quibus inſignis illa porro acceſſit gratia, ut conatum hunc meum, ac litterarium de Naturæ, Gentium, & publico Germanici Impe-

rii Jure certamen, IMPERATORIO RÈGIO que Nomine TUO condecorandum indulgeres. Patere igitur, IMPERATRIX & REGINA Clementiſſima, me quoque ipſum, cum omni Familia mea, tot alioqui titulis MAJESTATI TUÆ totique AUGUSTÆ DOMUI obſtricta, me inquam totum omni obſequiorum genere perpetuo dici, eſſeque

CÆSAREÆ REGIÆQUE

MAJESTATIS TUÆ

Clientum infimum
RUDOLFUM S. R. I. COM. CORONINI.

AD

AD

LECTOREM.

DUas Partes complectitur, quod elaboravimus, opuſculum, duplex nempe *Tentamen: Genealogicum* prius, poſterius *Chronologicum*, utrumque illuſtrandæ, promovendæque ſeriei veterum Comitum, rerumque Goritiæ deſtinatum. Quinque capitibus prior pars abſolvitur: capita numeris, margini adſcriptis, diſpeſcuntur. *Primum* caput notitiam quandam prævíam Urbis, & Agri Goritienſis, Geographicæ etiam chartæ ſubſidio proponit, ſtatusque qua Politici, qua Sacri ideam paucis inſinuat. *Altero* capite Comitum Goritiæ primæ origines, aut ſparſæ quædam notitiæ, ſubluſtres inter vetuſtatis tenebras, inveſtigantur. In *tertio* capite ſatis certa Comitum Goritiæ Genealogia exhibetur, uſque ad obitum Meinhardi III. cujus filii Meinhardus IV. Tyrolenſem, Albertus II. Goritienſem Stirpem propagavere. Andechſiorum quoque, ac Tyrolenſium Comitum attinguntur familiæ. Capite *quarto* ſtirps Goritienſium, ita proprie dicta, ab Alberto II.

ad Leonhardum, ſuæ Domus poſtremum, deducitur. *Quinto*, & poſtremo capite Tyrolenſis, & Carinthiaca Goritienſium Stirps a Meinhardo IV. ad obitum Margarethæ ſenioris, vulgo Maultaſchiæ, explicatur. Poſtrema tria capita chartis publicis potiſſimum comprobantur, adhibito quoque probatorum Hiſtoricorum conſenſu. Confecimus Tabulas Genealogicas quatuor, in quibus *numerus paginæ* adſcriptus indicat, qua opuſculi pagina, ſingula comprobentur.

Partem Libri alteram *Tentamen Chronologicum* conficit, in quo repetenda utique non pauca erant, parte priore propoſita; quod nobis, uti ſperamus, æquus Lector, vitio non vertet. Pars iſthæc altera nulla in capita dividitur, ſed adnotatorum annorum ordine digeritur, rudi brevique narratione, Chronicorum more, ab anno æræ Chriſti milleſimo primo, ad milleſimum quingenteſimum uſque, res Goritienſibus fere a Comitibus, aut in eorum terris geſtas, recenſens. Paucis quoque hic attinguntur Patriarcharum Aquilejenſium, Andechſiorum Comitum, atque Ducum Meraniæ, Carinthiæ item Ducum, atque Tyrolis Comitum initia & exitus; donec & ipſi Goritienſes Comites Tyroli, Carinthiaque ſint potiti.

Ad

Ad conſcribendum utrumque hoc Tentamen primo nobis incitamento fuit apographum Repertorii, quod Austriacum dicimus, continetque Epitomen Diplomatum, Chartarumque veterum, quæ in Auguſtæ Domus Auſtriacæ Tabulariis, Græcenſi præcipue & Oenipontano conſervantur. Complura illic collecta invenimus, quæ ad Goritienſium Comitum Genealogiam temporumque ſeriem faciant, quæque nondum ab aliis obſervata, publicatave opinamur. Illud unum dolebamus: non ubique in hoc Repertorio adſcriptum eſſe *Diem*, atque *Locum:* nimiumque ſicce interdum Diplomatum ipſorum Capita indicari. Attamen ſupplemento hac in re, ſubſidioque fuere Diplomata, quæ ſive in Libris hactenus vulgatis, ſive in Manuſcriptis deprehendimus, præcipue in Manuſcripta *Hiſtoria Tyrolenſi* Mathiæ Burglehner, quam *Aquilam Tyrolenſem* inſcripſit accuratiſſimus Autor, Leopoldi Archiducis in Tyrolenſi Provincia vices Cancellarii gerens.

Maximi quoque momenti ſuppetias nobis tulere Viri quidam Litteratiſſimi: Excellentiſſimus, ac Eruditiſſimus Comes Sigismundus ab Attems, Auguſtæ ab intimis conſiliis, & Goritiæ Prætor, ex opulenta ſua Diplomatum Goritienſium Penu: Perilluſtris Antonius de Rosenthal, Auguſtæ

a conſiliis, & Auſtriacæ Aulæ intimus Archivarius, cum e collectaneis ſuis Genealogicis, quæ ex Autographis ipſis inſigni ſtudio, peritiaque deſumpſit, tum ex Tabularii Aulici Græcenſis Archivo Goritienſi, quod nuper, pro muneris ſui ratione omne perluſtravit, ex eoque, ſuperiorum permiſſu, inſignia nobis, & accuratiſſime deſcripta, autographorum Diplomatum fragmenta transmiſit. Multas quoque gratias, nos debere profitemur, propter Manuſcriptas quasdam notitias, liberaliter communicatas, Illuſtriſſimis Baronibus DE BOUL & DE LOCELLA, Imperatrici Auguſtæ ab Aulæ, & Italiæ conſiliis: Prænobili Doctiſſimoque ANTONIO ROSCHMINNO, Tabularii Oenipontani Cuſtodi. Denique admodum R. R., ac Celeberrimis in Republica Litteraria Viris MARCO HANSIZ, & SIGISMUNDO CALLES e Soc. Jeſu. Quæ ad recentiorem de Goritia notitiam faciunt, ea fere e Tabulario Goritienſi deſumta, indulgentiſſimi Patris mei curis debeo.

Denique ut conſcribendæ huic Opellæ altero abhinc anno manū admovere e Collegis meis primus auderem, animos mihi, præter amorem Patriæ, inſpiravit, meque deinceps veluti manu duxit A. R. P. ERASMUS FROELICH, e Soc. Jeſu, cui &

pri-

prima Hiſtorici Studii Rudimentâ, in Collegio iſthoc Thereſiano hauſta, in acceptis refero.

Libros typis vulgatos, quibus uſi ſumus, hic recenſere non attinet; ſuis enim locis, paginas ipſas ſtudioſe recitabimus. Unum tamen committere non poſſumus; quin hic etiam deprædicemus, Adm. R. P. Joannis Francisci Bernardi Maria de Rubeis, *e ſacra Prædicatorum Familia*, *Commentariorum Aquilejenſium* immortale Opus, ubertate eruditionis, & judicii æquitate, omnibus pretioſum. Hunc denique ſolum novimus Librum, in quo Goritienſium Comitum Genealogia docte, fundateque ſit pertentata, majoremque partem comprobata. Sane limatiſſimo huic Operi, quoad prima præſertim, certaque Goritienſium tempora, uti & *Italiæ ſacræ* Ughelli *Venetiis editæ*, permulta nos debere, grati agnoſcimus, ſuisque locis profitebimur.

Plura ſi vis, Amice Lector! Tentamina ipſa conſule. Illud unum Te oramus, ne quid mero Tentamine melius hic, atque perfectius Tibi offerri credas; materiæ ipſius difficilis, & implicata ratio, ſubmiſſa digeſto jam opuſculo complura documenta, ſtudiorum diverſorum atque exercitationum, quæ nobilem decent, ſtata tempora, noſtraque his in rebus, primo conatu per-

pertentandis, novitas, facile nobis abs Te, Erudite, ac Benigne Lector, erratorum veniam; eaque facilitate crescendi copiam impetrabunt.

Pagina	Linea		ITA EMENDA.
4	15	*vocatbuli.*	Litera *t* submoveri debuit ad *Et* lineæ sequentis 16.
62	11	*Domini.*	Donini.
89	17	*Civitá de Friuli.*	*Cittá nova* Istriæ.
98	15	*Launensibus.*	*Saunensibus.*
110	4	*Albertus II.*	*Albertus I.*
120	15	1266.	1276.
132	7	1228.	1238.
163	8	1728.	1278.
169	in titulo.	*Henrici III.*	*Henrici II.*
173	11	*Petri III.*	*Petri II.*
178	10	1333.	1335.
185	23	1410.	1310.
235	12	LEOTIENSIS.	LEOBIENSIS.
243	13	*Elisabetha.*	*Elisabetha.*
289	11	*XXVII. Februarii.*	*XXVII. Januarii.*
333	23	Tom. II.	Tom. I.
340	7	Die XXV.	Die XXX.
370	20	ad Lindsia	ad Lind sita
390	38	Bremenses	Bernenses.
396	20	Meinhardo III.	Meinhardo VII.
400	5	de Prato	*Adde:* forte potius: de Tartaris, vel Pileus de Prata
402	39	anus annus	alius annus.
402	41	appositum	oppositam.
404	1	Socero	a Socero
412	*ad finem*	Petrus Dandulus &c.	*Omittendum est totum.*

Cetera æquus Lector facile corriget.

TEN-

TENTAMEN GENEALOGICUM PROMOVENDÆ SERIEI COMITUM, ET RERUM GORITIÆ.

CAPUT I.

De Goritiæ Urbis, & Provinciæ Nomine, Situ, Nobilitate, Fertilitate, Statu Politico, & Sacro, notitia prævia.

URbis, & Provinciæ, quarum notitiam iſthic aliquam dare viſum eſt, verum atque vetus nomen eſt *Goriza*, ſeu *Gorizia*. Luculenter id oſtenditur e Diplomate Ottonis III. Imper. anno MI. Ravennæ edito, quo recenſentur ea, quæ Joanni Patriarchæ Aquilejæ donata ſunt, inter quæ habetur: ("Et medietatem unius villæ, quæ Sla-„vonica lingua vocatur Goritia.„) Hujus Diplomatis notitiam ANTONIUS BELLONUS (*a*) Tabulariorum Fo-

1.

A ro-

(*a*) Antonii Belloni Vitæ Patriarch. Aquil. pag. 17. Muratorii ſcript. Ital. Tom. XVI.

rojulienſium, & Aquilejenſium peritus ſcrutator, in lucem protulit. *Confirmationis*, hujus donationis Ottonianæ, *Autographum* vidit pervetuſtum Doctiſſimus P. RUBEIS (*b*) ex quo ſequentia (quibus recitantur donata ab Ottone) excerpere libuit: ("quod Joanni ve-„nerabili Patriarchæ Aquilejenſi contulimus Silkano, „Gorizia -------. „)

In hoc Autographo *Gorizia* ſcriptum habemus. Et ſane Slavicum nomen *Goriza*, quod *Monticulum* ſignificat, deductum e *Gora*, (ſive *Hora*, ut Bohemi ſcribunt) quod *montem* notat, apprime convenit Goritienſis loci ſitui; quippe & Arx, & Urbis pars vetuſtior (quæ hodieque *Terra* ſeu *Oppidum ſuperius*, ſive *Caſtellum inferius* appellatur) in peramœno, & undique libero, nec admodum alto monte eſt conſtituta. Slavicum Nomen huic loco adhæſiſſe, ex eo facile conficitur: quod Slavica plebs omnem circa regionem frequentet, usque ad Liſontii fluminis ripas, qui olim Sontius dictus eſt: hodie vero, confuſione articuli Italici, loco: *Il Sontio*, Liſonzo enunciatur. Equidem & ultra Sontium Slavos invenias, atque quorundam locorum Nomina Slavica, attamen pauciores multo, quam Carnioliam inter, & Sontium. Atque hoc moderamine intelligenda puta, quæ de hac regione ſcripſerat HENRICUS PALLADIUS (*c*) ("Sclavorum Forojulien-„ſium finis, quo a Carniolienſibus diſtinguuntur, Son-„tius amnis eſt. „) Porro Slavicæ gentis, in Italiam

e

(*b*) Joan. Fran. de Rubeis Ord. Præd. Monumenta Eccleſ. Aquil. Commentar. Illuſtr. Cap. LIII. pag. 491.

(*c*) Henricus Palladius de Olivis Rerum Forojul. Lib. I. pag. 3. Græ-vii Theſaur. Antiquit. Ital. Tom. VI. Part. IV.

e Sarmatia jam anno Æræ Chriſtianæ 334. ſub Conſtantino Magno traductæ primordia, e veteribus Hiſtoricis deducta, perhibet in præclaro *de Slavicis Originibus* opere *Illuſtris.* JORDANUS *Part. IV. Sect. I. pag. 84, & 85.* Subinde Slavi, Longobardis alias infenſi, alias tributarii, apud PAULUM DIACONUM, aliosque recurrunt.

Slavicam illam nominis *Goritiæ* originem jam antea ſubodoratus eſt vir Eruditiſſimus e Soc. JESU, *Germaniæ Auſtriacæ* Autor (*d*) cujus opinio Diplomate nunc certa redditur.

Variis deinde modis expreſſum Goritiæ nomen in Chartis publicis, & Hiſtoriarum Scriptoribus occurrit; quæ quidem omnia hujus opuſculi decurſu ſeſe offerent, attamen hic unum ſub conſpectum conſtituenda duximus. Itaque: *Gorizia*, *Goritia*, *Goricia*, *Georitia*, *Goriza*, *Guriza*, *Gurizia*, *Gorzia*, *Gurzia*, Latina vel Slavica terminatione leguntur. Germanorum vero Apocopen notant ſequentia: *Gorz*, *Gource*, *Görz*, *Gortz*, *Goerz*, *Goertz*, *Goeritz*, *Gorce*, *Goerze*, *Goriac* & ſi qua ſunt ſimilia.

Noritia ſeu *Noricia* appellatur *Goritia* noſtra in Apographo Epiſtolæ S. Bertrandi Patriarchæ Aquilegienſis, aut potius in ejus parte, edita a CANDIDO (*e*) & LAZIO (*f*) verum eadem Epiſtola integra prolata eſt ab UGHELLO (*g*) deinde ab HAGIOGRAPHIS BOLLANDIA-

(*d*) R. P. Carolus Granelli S. I. German. Auſtr. pag. 90. nomen ſuum Autor operi non appoſuit, quod juvenis conſcripſit.
(*e*) Candidi Commentar. Aquil. Lib. VII. pag. 55. Grævii Theſ. Ital. Tom. VI. Parte IV.
(*f*) Lazius Commentar. Reipubl. Rom. Lib. XII. Cap. II. pag. 1023.
(*g*) Ughellus Edit. Venet. Tom. V. Ital. Sacr. pag. 99.

NIS (*h*) ac denique a R. P. RUBEIS (*i*). Porro apud UGHELLUM commemoratur: eam Epiſtolam ex *Sanctiori Tabulario Eccleſiæ Utinenſis* exſcriptam fuiſſe, ubi tamen *Goritia*, non *Noritia*, expreſſum habetur. *Goritia* quoque apud BOLLANDIANOS & P. RUBEIS legitur. Fruſtra itaque eſt LAZIUS, dum ita tradit (" Quam non „Goritiam, ſed Noritiam, a veteri videlicet vocabu„lo dictam fuiſſe, teſtatur Epiſtola a Bertrando Pa„triarcha ſcripta.)

II. Demus enimvero: *Noritiam* ſcripſiſſe ipſum ſanctum Patriarcham, tametſi Ughelliano Editori iſthic plus deferendum arbitror; inde tamen non conſequitur: in orthographica hac minutia S. Patriarcham non erraſſe. Eſt enim Italis Scriptoribus illud frequens: ad Latini, vel Italici ſermonis, vel vetuſtioris vocatbuli conſonantiam exterorum vocabula refingere. Eſane iſthic a *Noreja veterum*, hoc *Noritiæ* vocabulum deducere laborat LAZIUS, certumque aſſerit: *Goritiam* noſtram, veterem *Norejam* fuiſſe. Huic opinioni ſubſcripſere nonnulli, alii dubitant; nobis nihil ſatis ſolidi in hac ſententia ineſſe videtur.

Cum enim propemodum certum ſit, eam Regionem, in qua hodie ſita eſt Goritia, olim *Venetorum*, dein ſub Imperio Romano *Carnorum Regionem*, ſeu *Carnicum* vel *Julium Carnicum* a PTOLEMAEO *in fine Cap. XIV. Lib. II.* appellatam fuiſſe: nemo vero veterum in *Carnico* Norejæ meminerit: neque PLINIUS, neque PTOLEMAEUS, neque ITINERARIUM ANTONINI, neque ipſe STRABO, ut mox oſten-

(*h*) Acta Sanctorum die ſexta Junii Tom. I. Junii pag. 873.
(*i*) Rubeis Commentar. Aquil. Cap. LXXXVIII. pag. 783. qui notis criticis Epiſtolam illuſtrat.

oſtendam; vel id ſolum ſatis eſſet, ad quærendam alibi Norejam, niſi duas Norejas fingere libeat. Sane CÆSAR (*k*) *in Norico*, non in *Carnico*, Norejam locat, dum ait: (" Bojosque, qui trans Rhenum incoluerant, & in „agrum Noricum tranſierant, Norejamque oppugna„verant:) In Norico etiam collocat PLINIUS (*l*) qui ita habet: (" in hoc ſitu interiere ------ Carnis Segeſte, „& Ocra: Tauriſcis Noreja:) Tauriſcos vero varios Noricarum Alpium incolas appellatos eſſe, apud omnes convenit. Inſtauratam deinde fuiſſe Norejam, ſed rurſus in Norico, colligitur ex PEUTINGERIANA TABULA GEOGRAPHICA ANTIQUA, collata cum ITINERARIO ANTONINI apud CLUVERIUM (*m*) Ibi inter Ovilabim, & Celejam, media fere via, poſt locum *Ad Pontem* (quem ipſe Cluverius ad Muram fluvium locat) ponitur, intervallo M. P. XIIII. (id eſt *millium paſſuum 14.*) Noreja; quæ ita ſane in Styria collocari debet, procul utique a Goritia.

Quod vero STRABO *Lib. IV. pag. 316. Edit. Amſtelædam. 1707.* ſcribat: *Prope ſinum Adriaticum, & prope loca ad Aquilejam habitare Noricorum quosdam, & Carnos.* οἱ ἐγγὺς ἤδη τοῦ Ἀδριατικοῦ μυχοῦ, καὶ τῶν καλουμένων Ἀκυλητίαν τόπων οἰκοῦσι, Νωρικῶν τέ τινες, καὶ Κάρνοι. Id pro me potius facit: Nam præcipue *Carni* illic habitare aſſeruntur, ſed *Noricorum*, ſeu Tauriſcorum *quidam* duntaxat memorantur; Non enim ſcribit STRABO:

(*k*) Jul. Cæſar de bello Gallico Lib. I. ſub initium.
(*l*) Plinius Hiſtor. Natur. Lib. III. Cap. XIX. pag. 176. Edit. Harduini in Fol.
(*m*) Philippi Cluverii Italia Antiqua Lib. I. pag. 119. & Vindelicia, & Noricum Cap. V. pag. 742. Edit. Elzevir.

Noricorum, *& Carnorum quidam*, ſed *Noricorum quidam*, *& Carni*. Quare *Carnorum* ea Regio circa Aquilejam propria fuit: *Norici quidam* ſparſim illic, ut fere vicinæ gentes, degebant.

Porro nihil officit, quod pererudite e PTOLEMÆO *Geographiæ Lib. II. Cap. XIV.* obſervavit *Excell.* D. COM. SIGISM. ATTEMSIUS *in Diſſertatione MS. de Noreja Ambiſontios*, ſeu *Ambiſontes* recenſeri inter populos *Norici* occidui; ſunt vero *Ambiſontii*, qui ad *Sontii* ambas Ripas habitant, inter quos ſunt & Goritienſes. Enimvero eodem Capite PTOLEMÆUS inter Norici Orientalis Populos nominat *Ambidravios*, Dravi accolas, (ita enim Ἀμβιδραύιοι, non Ἀμβιδραάνιοι vel Ἀβιδραάδιοι legendum cenſeo) attamen Dravi accolæ non omnes Norici erant; ſed orientaliores Dravi accolæ, certo *Pannones*, vel forte *Illyrii* dicendi ſunt. Ita plane *Ambiſontios*, qui Sontii ripas *intra Alpes* frequentabant (longius enim illic decurrit Sontius) *Noricos* utique fatemur; quin neceſſe ſit, procurrentis *extra Alpes* Sontii Accolas *Noricos* dicere.

Idem Doctiſſimus Comes inter *Norica Caſtella*, quæ VIRGILIUS *Lib. III. Georg. verſu 474. & ſequente*, circa Timavi arva memorat, Goritienſe Caſtellum recenſendum putat, ob Timavi, iſthic appellati, viciniam.

> " Tunc ſciat, aërias alpes, & Norica ſi quis Ca-
> „ſtella in tumulis, & Japidis arva Timavi.

Verum præterquam, quod non conſtet, an vicinas Timavo arces Carnioliam ſeu Noricum verſus, an ver-

verſus ſeptentrionem, uſque ad Goritiæ viciniam, intellexerit VIRGILIUS; teſtimonium Poëtæ, & aliud agentis, ad controverſos Regionum ac Populorum limites definiendos non ſufficit. Incerti ſunt Italiæ, Norici, & Carnici limites: plerique Alpium juga ipſa, aut vicina, Italiæ terminum conſtituunt. Claudius PTOLEMÆUS *Lib. II. in fine Capitis XIV.* poſt deſcriptionem Norici ſubjungit: *Inter Italiam, & Noricum, Julium Carnicum.* Porro idem PTOLEMÆUS *Lib. III. Cap. I.* in deſcriptione Italiæ *Natiſonis Fluvii oſtia* in Carnis collocat: Forumjulium item, & Aquilejam, ipſumque Tergeſtum Italiæ adſcribit.

Itaque Goritienſis Ager, *citra Alpes*, verſus Italiam, ſitus, atque Natiſoni vicinus, Julio Carnico certe adſcribendus videtur; quando *inter Noricum & Italiam* Julium Carnicum collocatur.

Denique quod antiquum marmor Goritiæ poſſideat nunquam ſatis laudatus D. Comes Attemſius, in quo ſit *Norejæ* mentio; id nondum perſuadet: Norejam Goritiano in agro ſtetiſſe. Nam nulla ſe produnt Goritiæ rudera, quæ Norejam indicent. Marmora antiqua perſæpe alibi inveniuntur, cum alterius loci mentione. Celejæ in Styria, procul Goritia, ſequens marmor, nihil ſuſpectum, inventum eſſe LAZIUS *Lib. II. de R. P. Rom. pag. 1023.* teſtatur.

MARTI HERCULI
VICTORIAE NOREIAE.

Denique ſi daretur etiam: Goritienſem agrum in *Norico* fuiſſe; attamen cum e Strabone potiſſimum ena-

enata ſit illa ſuſpicio de *Noreja* illic ſtatuenda, ubi hodie eſt *Goritia*; ex ipſo Strabone perſpicue deducam: ſat procul a Goritia *Norejam Strabonis* abfuiſſe: Id quod præcipue me movet, ut ab eruditiſſimi, ac de nobis optime meriti D. Comitis ſententia (quam tamen ipſe non ut certam tuetur) propemodum invitus diſcedam.

Videamus locum STRABONIS percelebrem, quem Norejæ Goritianæ ſautores objectare ſolent (*n*) Ἔξω δ' ἐϛὶ τῶν Ἐνετικῶν ὅρων ἡ Ἀκυλήια, διορίζονται δὲ πόταμῳ ῥέοντι ἀπὸ τῶν ἀλπίων ὀρῶν, ἀνάπλουν ἔχοντι ϗ σ ϛαδίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις εἰς Νωρηείαν πόλιν, περὶ ἣν Γναῖος ὁ Κάρβων συμβαλὼν Κιμβρίοις, οὐδὲν ἔπραξεν. ("Eſt autem extra Venetorum fines Aqui„leja: ſeparatur autem Fluvio decurrente a montibus „Alpinorum, qui Fluvius navigationem adverſam ha„bet ducentorum ſtadiorum ſupra mille, ad Norejam „urbem: circa quam Cneus Carbo cum Cimbris congreſ„ſus, nihil effecit) Ex hoc loco duplex argumentum pro ſitu Norejæ peti poteſt, ad mentem Strabonis. Prius eſt de diſtantia ab oſtio Sontii, qui cum Natiſone antea confluit. Hæc diſtantia mille ducentorum ſtadiorum, ſeu triginta ſeptem milliarium Germanicorum, (qualia quindecim ſunt in uno meridiani terreſtris gradu) nullo modo convenire Goritiæ poteſt, cujus diſtantia ne ſextam quidem illius intervalli partem adæquat. Locum hunc STRABONIS aperte vitioſum,

(*n*) Strabo Lib. V. pag. 328. Edit. Græco-Lat. Amſtelodami 1707. in Fol.

ſum, vel mancum eſſe, fatentur Eruditi; ſed eum dum pro arbitrio quisque ſuo emendat: in nullius ſententiam concedere cogimur. Multo tutius itaque ex altera hujus loci STRABONIS parte, argumentum alterum ſumemus de ſitu Norejæ: nempe ubinam Cn. Carbo cum Cimbris infeliciter conflixerit? CELEB. FREINSHEMIUS (o) *in ſupplementis Livianis ad Librum XXIII. Cap. XXII. & XXVII.* enarans hujus prælii cauſam, & exitum, addit: ("Tauriſcorum antiqui-„tus Noreja fuit, ubi nunc Goritia Carinthiorum eſt, „quod navigatio ad Aquilejam ſecundo Natiſone, & „diſtantia locorum oſtendit.)

III. Verum ex ipſa, quam Vir diligentiſſimus, veterum autoritate comprobatam, perhibet, hujus prælii hiſtoria, manifeſtum eſt. Norejam hanc Strabonis nequaquam circa Goritiam, ſed trans alpes ſatis magno intervallo collocatam eſſe. Audiamus FREINSHEMIUM: ("Ex iis igitur terris quomodocumque in unum con-„tractæ copiæ, cum in Hercinia ſylva ſedes figere cona-„rentur (Cimbri), a Bojis, qui ea loca incolebant „(unde Bojohemum appellatum, quaſi Bojorum pa-„tria) pulſæ, ad Iſtrum, & Scordiſcos Gallos de-„ſcendunt. Inde ad Teuriſtas, Tauricosque, quæ & „ipſæ Gallicæ originis nationes, vicinam Danubio „Illyrici partem tenent. Trajectoque flumine prædas „ex agro Norico agebant. Quod ubi Cn. Papirius „Carbo Conſul accepit, Italiæ timens, a qua haud pro-

(o) Freinshemius ſuppl. Lib. LXIII. Cap. XXII. pag. 165, & Cap. XXVII. pag. 169. Edit. Venet. in uſum Delphini. Sed Edit. Pariſ. pag. 293. ad an. V. C. 640.

„cul aberant, Alpes, ubi maxime trajectui opportu-
„nas cognoverat, cum exercitu insedit. Deinde post-
„quam illos alia omnia cogitare videt, ultro procedit
„obviam, minitabundus: quod Amicos & hospites
„Populi Romani Noricos popularentur. - - - - - - - -
„Illi fama advenientis exercitus Romani audita, mis-
„sis legatis excusare - - - - - - - - - - Consul astuto
„consilio, quod ipsi postea in malum vertit, laudata
„Teutonorum voluntate, benigne respondet. Ceterum
„ducibus itineris, quos addiderat, clam imperat: cir-
„cumitu eos ducerent, quo sibi ad ea, quæ meditaba-
„tur, plus spatii foret. Ipse vero cum expeditis co-
„piis breviore itinere legatos antegressus, Teutonis
„improvisus supervenit: qui jam, uti facturos legati
„receperant, Norico decedentes, ad Norejam oppi-
„dum Castra posuerant.

Equidem aliam narrationem concinnat PALLADIUS (*p*) sed nulla autoritate nixam, imo STRABONI contrariam.

Facile hic quisque videt: Cimbros, seu Teutonas nondum Alpes transcendisse; cum Carbo Alpium fauces insederit, ad hostem Italia arcendum. Est vero Goritia sita cis Alpes, Italiam versus; itaque Cimbri nondum Goritiæ campum attigere.

Porro hosti obviam, ab Alpibus, nempe ultra atque intra montes movendo, *processit* Consul: ipsi denique Cimbri, Norico jam *decedere* incipientes, sat procul a Consule, ad Norejam castra posuere. En quam omnia nos procul a Goritia intra Norici montana ad No-

(*p*) Henrici Palladii Rerum Forojul. Lib. IV. pag. 40. & Thes. Ital. Grævii Tom. VI. Part. I.

Norejam STRABONIS abducant. Itaque certum hoc argumentum, præ incerta illa & arbitraria numerorum, in STRABONE positorum, correctione, locum habere debet, quem Noreja Goritiæ habere non potest.

Piget plura de Nomine Norejæ disputare; Nam si etiam STRABONI mille stadia auferamus, & illud: κ' σ legamus κ'σ, ἐπὶ τοῖς κοιλίοις id est, *220. stadia, in lintribus*; melius tamen omnia alicui loco, Civitati Forijulii vicino, quadrarent; cum ibi & pervetusta sint loca, & Natisoni adsita, quem Fluvium paulo ante appellavit Strabo: dum contra Goritiæ monticulus mille fere passibus vel a Sontio abest, a Natisone amplius.

Quod si Goritiæ vetus quoddam nomen accommodare liceat; mallem *Pontem Sontii*, quam *Norejam* vel *Noritiam* appellare. Nam in TABULA ANTIQUA PEUTINGERIANA, ab Aquileja ad *Pontem Sontii:* (pergendo versus Vipacum oppidum, seu Fluvium Frigidum) ponuntur passuum millia XIV. Quæ quidem distantia est justa minor; cum Romanorum passuum millibus Aquileja Goritia dissita sit saltem XVIII, vel XIX. Quare circa *Farram* potius, in agro tamen Goritiensi locum illum ad *Pontem Sontii* fuisse existimo, atque ad *Mainizam* etiam nunc rudera pontis monstrantur. Est hodie quidem Sontii celebris Pons ad Goritiam unus, alter ad Canal (quod Veterum *Silanos* esse censeo, quia *Silanus* apud LUCRETIUM etiam *Canalem* significat) Verum ob dictum distantiæ excessum Pons neuter, Vetus ille *Pons Sontii*, appellari potest.

In ITINERARIO HIEROSOLYMITANO locus ad *Furnu-*

los, qui ab Aquileja Vipacum tendentibus, diſtat P. M. XXIII. Goritia eſſe poteſt, ut vult illuſtriſſ. JORDANUS *de origin. Slavicis Part. III. pag. 83.* Hæc enim diſtantia aut vera eſt, ob viarum ambages, aut veræ proxima; ſed hoc inclinantis ævi Romani ſæculo poſt Chriſtum IV.*to* vocabulum fuerit, Goritiæ, aut loco proxime vicino impoſitum; cum in Geographis, hoc Itinerario antiquioribus, idem non inveniatur. Multo ſerius ſubinde reperio in MSto Catalogo Urbium, Caſtrorum, Oppidorum, & Arcium Forojulienſium apud Cl. RUBEIS in *Appendice pag.* 19. Hæc verba: (" Noritia, ſive Goritia oppidum, olim Ca„ſtellum Saligani vocatum) ſed *Saliganum* ut res ipſa loquitur, *Salcano* eſt, ſupra Goritiam ad Sontium: Neque enim hujus Catalogi recentis magna eſt autoritas. JOANN. CANDIDUS *Commentar. Aquil. Lib. I. pag. 5.* *Noritiam* videtur appellare Farram, his verbis: („No„ritia, Farra modo everſa, ex qua Farrenſes Comites „vetuſti, Noritianorum Principum Autores) CATALOGUS modo indicatus hæc mitius accipit, nec ipſam Farram Goritiam appellat, ſed apud eundem eſt: ("Farra olim Caſtrum, unde Comites Goritiæ olim „traxerunt originem: unde Comites Farrenſes) ſed de Comitibus, origine Farrenſibus, nihil habeo, quod proponam.

Situs Goritiæ noſtræ, quatenus ex Coſmographiæ legibus pendet, ex Aſtronomicis obſervationibus deſumendus erat; ut primum Goritiæ ipſius Longitudinem, & Latitudinem, quam minime erroneam, nanciſceremur. Erant hæc inprimis neceſſaria ad rite conſtituendam Mappam Chorographicam, ad quam conſtruen-

ſtruendam, quæ ſubſidia adhibuerimus, paucis explicabimus.

Primo Meridiano utimur eodem, quo GUILIELMUS DE L'ISLE, & Recentiorum Geographorum plerique, qui nempe a Pariſino Meridiano præciſe viginti Gradibus in occidentem recedit, duciturque per littus occidentale Inſulæ Ferro, e Canariis una, ad occaſum poſtrema. Venetiarum Urbis mediæ Longitudo, ſeu diſtantia ejusdem Meridiani a primo, ex obſervationibus Aſtronomicis definita habetur in CALENDARIO *Academiæ Scientiarum Pariſinæ* Anni 1751. (CONNOISSANCE DE TEMS) eſtque $29^{\circ}, 44', 30''$. Diſtantiam Meridiani Goritienſis a Veneto verſus orientem, deſumere placuit ex Tabulis Geographicis, quæ majorem ceteris fidem merentur: videlicet ex *Tabula Dominii Veneti*, PETRI VAN DER AA, quam ex obſervationibus Academiæ Pariſinæ correctam prodiiſſe notat: Item ex *Charta Italiæ* GUIL. DE L'ISLE. Conſentiunt ambæ, ac differentiam, Meridianorum Veneti & Goritienſis ſtatuunt $1^{\circ}, 6'$.

Hæc præferenda duximus Tabulis Dominii Veneti exaratis per DE WIT, DANCKERS, ALLART, & alios, qui differentiam Meridianorum majorem poſuere; minorem porro vel idcirco etiam libentius adoptavimus: quod in Longitudinum poſitione plerumque hactenus exceſſu ſit peccatum. Itaque addendo $1^{\circ}, 6'$. ad Longitudinem Venetiarum, obtinemus Goritiæ longitudinem $30^{\circ}. 50'. 30''$. Equidem in recens edita *Norimbergæ*

1750. *Mappa Critica Germaniæ, per Cl. Virum* TOBIAM MAJERUM, Venetiarum Longitudo ponitur $\frac{\circ}{29}$. $\frac{'}{46}$. ab eodem primo Meridiano, quo nos uſi ſumus. Cur hic & in Latitudine quoque Venetiarum Vir Doctiſſimus a Pariſino illo Calendario Academiæ ſcientiarum diſſentiat, argumenta nec in Mappa, nec in *Relationibus Coſmographicis* profert; quare interea, dum certiora perſpicue edocear, Pariſini Calendarii autoritatem in Venetiarum longitudine, ac Latitudine definienda ſequi viſum eſt.

Latitudinem Goritiæ, ſeu Elevationem Poli, rurſum e Latitudine Venetæ Urbis colligimus. Pariſini Academici ex obſervationibus Aſtronomicis Parallellum, per medias Venetias transeuntem, ſtatuunt ab Æquatore diſtare $\frac{\circ}{45}$, $\frac{'}{25}$. Porro conſentiunt in eo Geographi in melioribus Tabulis plerisque, Parallelum Goritienſem a Veneto ad Septentrionem recedere $\frac{'}{38}$: quæ ſi addantur Latitudini Venetæ, obtinebimus Latitudinem Goritiæ $\frac{\circ}{46}$, $\frac{'}{3}$.

Miſſæ ſunt ad nos tres obſervationes altitutinis meridianæ Solis, factæ Goritiæ in Collegio ſocietatis JESU, die I*a* II*a* & IV*a* Novembris anni MDCCLI. Ex iſtis, deducta refractione, collegimus Latitudinem Goritiæ $\frac{\circ}{46}$. $\frac{'}{8}$. quam proxime. Attamen monuit peritus, & ſcientia quam organis felicius inſtructus obſervator, exceſſu iſthic potius, quam defectu, ſi quid vitioſum ſit, peccatum fuiſſe. Itaque dum certiora afferantur, medium quiddam ſumendum duxi inter de-

du-

ductam illam e Veneto Parallelo, mappisque, & ex obſervationibus tentatam, Goritiæ Latitudinem, quam pono 46. 5'.

Conſtituta *Goritiæ* Longitudine, ac Latitudine, reliquorum locorum a præcipua hac urbe diſtantiam, atque ſitum mutuavimus e prægrandi *Carnioliæ Tabula Chorographica*, quam decem annorum labore, plurimis etiam Geometricis dimenſionibus adhibitis, concinnavit Plurimum R. D. JOANNES DISMAS FLORIANTSCHITSCH DE GRIENFELD, ac anno 1744. Labaci æri inciſam, inclytis Provinciæ Carnioliæ ſtatibus dedicavit, quorum juſſu ſumptibusque conſecta eſt. Quoniam vero præclara illa Mappa totum Goritiæ Comitatum non complectitur, ſed ad Liſonzium Flumen fere tantum pertinet; reliquorum locorum diſtantiæ aliunde petendæ, & ad Chorographicam Tabulam noſtram coaptandæ erant. Delegimus ad hoc *Tabulam Fori Julii* a BLAUVIO Amſtelodami editam: item *Tabulas Dominii Veneti* ab ALLARDO, DANKERTO, & PETRO VAN DER AA exhibitas. Pro maritimarum partium ſitu, circa Duinum, uſui fuit *Tabula ſitus Fontium Timavi*, quæ extat poſt *Diſſertationem* PAULI PINCII de *Timavo Fluvio*: GRÆVII *Theſauri Ital. Tom. VI. Parte IV. pag. 17.* Conſuluimus denique Viros, Goritienſis Comitatus, & viciniæ peritos, quorum monitis complura emendavimus. IV.

Comitatus Goritienſis limites haud ita facile eſt omni ex parte definire. Varia, huc illuc diſperſa, & olim poſſidebant Goritiæ Comites, & hodie obtinet Auguſta Auſtriaca Domus. Itaque iſthic continuas dun-

duntaxat Comitatus Goritienſis terras iis limitibus circumſcribimus, quos in melioribus Tabulis hac ratione definitos offendimus. Incluſimus Tulmini regionem ad Septentrionem: & ad meridiem Gradiſcam, eiusque Agrum, qui paucis ab hinc annis, diverſum a Goritienſi, Provinciæ Præfectum (*Capitaneum* vocant) nactus eſt, adjecto Aquilejæ Territorio. Sed eadem Præfectura hodie conjuncta eſt cum Goritienſi, in novo iſthoc Terras Auſtriacas adminiſtrandi ordine, quem Materno in ſuos affectu MARIA THERESIA IMPERATRIX ET REGINA AUGUSTA quinque abhinc annis inſtituendum curavit: de quo inferius.

Itaque Comitatus Goritienſis, ſtrictius accepti, hos limites obſervavimus: ad Septentrionem obſiſtunt Alpes, haud longo intervallo ab Urbe remotæ: primum non maximæ altitudinis, ſubinde in ſublimiorem juliarum, & Carnicarum Alpium catenam deſinentes. Extremum ad Septentrionem locum Tulmini Oppidum, vallemque poſuimus, quam pauci alii Carnioliæ adſcribunt. Singulari Capitaneatus Titulo, ac jure gaudet ſat amplum, ſed montoſum Tulmini Dominium, quod olim Dorimbergii poſſedere: extincta ea nobili ſtirpe, Comites Preineri, Græcenſis lineæ, id obtinuere, atque anno 1649. effecere, ut ex Feudo Allodium fieret. A Preineris ad Coroninos Comites Tulminum cum omni jure tranſiit, hodieque Tulmini poſſeſſor, ac Capitaneus eſt Cognatus meus, Illuſtriſſimus Dominus Comes Joann. Ignatius Coroninus de Rubia, cui hanc notitiam debeo. Ad Ortum Alpium item, & Carſtiorum Montium pars, Carnioliam dirimunt. Vipacum Oppidum, vino celebre, Goritienſi agro ex-

COMITATUS GORITIÆ ET FINITIMA

Delineavit in Collegio Theresiano S.I.
Rudolfus Com. Coroninus
Anno CIↃIↃCCLI.

M. Manhart

CARINTHIÆ PARS

Alpes Carnicæ seu Noricæ

IL CAPITANI ATO DI VALSANA

IL CONTADO DI GORITIA

IL TERRITORIO DI MOFALCONE

IL CARSO

IL TERRITORIO DI TRIESTE

PARTE DEL DOMINIO VENETO

PARTE DELL'ISTRIA

GOLFO di TRIESTE

MARE ADRIATICO

Milliaria Germanica

Milliaria Italica

Primus Meridianus ex insula Ferro distans Parisiis 20 in Occasum

Ja. Cleyn Pictor Aulæus Sc.

excludimus; quod idem factum ſit in Tabula Carnioliæ, ſupra laudata. Ad Meridiem pars ea, quæ orienti objacet, collibus in Carſtum deſinentibus leniter primum, dein altius attollitur: Pars altera occaſum reſpiciens præter modicos colles in apertam fere planitiem porrigitur. Ad occaſum, alternante limitum tranſenna, Judrius amnis Comitatum noſtrum a Venetorum Forojulio dirimit.

Fluvius Sontius, ex Alpibus rapide dilapſus, totam Goritienſis Agri latitudinem percurrit: Goritiam mille fere paſſuum intervallo, Gradiſcam proxime præterlabitur. Sontium ad Septentrionem Tulminus amnis: paulo inferius Idra, e Carniolia decurrens, infra Goritiam Vipacus, ſeu Frigidus amnis illabitur.

Sontius denique non procul Villeſſo Natiſoni confunditur: iique confluentes, hodie Sontii nomen ferunt; at olim Natiſonis. Natiſo ipſe, ſeu Natiſſa antea cum Torrente (*Torre*) conſociatus, hodie vulgo Torre appellatur, eo intervallo, quod eſt a confluente Torre, ad confluxum Sontii.

Urbs ipſa Goritia peramœno in agro ſita eſt: ad Arctον rupes, ad Orientem, & Occidentem propinquos colles reſpicit; ad Meridiem occidentalem aperto fere campo gaudet. Montem urbi imminentem Arx coronat ſupremo in apice: reliquum montis dorſum urbs occupat, quam *Terram ſuperiorem*, ſeu *Urbem veterem* appellant. Arcis perinde, ac Urbis Antiquæ ambitus omnis quadrato lapide munitus eſt. Venetorum id eſſe opus putat PALLADIUS *Lib. II. de Oppugnat. Gradiſcæ pag. 161, Grævii Scriptor. Ital. Tom. VI. Parte IV.* quod ex parte verum eſſe puto, non ex toto; quod Veneti Goritiam nonniſi anno uno, & ſi

quid excedit, obtinuere. In plano, recentioris ſtructuræ Oppidum, mediocri magnitudine, varias domorum, ac palatiorum ſeries, plateasque, nullo fere certo ordine, firmove murorum ambitu continet: vix ut Suburbia ab Urbe diſcernas. In ſeptem exiguas Regiones Oppidum ab Incolis diviſi, ſuisque nominibus ita Regiones illæ appellari ſolent.

I. Regio *Pratenſis*, Slavice *Traunick*, quæ forum refert, bene longum, inæquali latitudine.
II. *Forum vetus* dicta, ſeu Furlanice *La Plazza*, quam Curia utraque, Nobilium una, altera Civium exornat.
III. *Pulchræ Domus* nomen fert, vulgo *Senaus*, a Germanico *Schœnhaus*.
IV. *Macellum* dicta, Xenodochio inſignis, ac Theatro publico: vulgo *lis Becciariis* nominatur.
V. A præterlabente rivulo *Il Corno* Italice, *il Quar* Furlanice appellata, nunc *Forum Pontis novi* dicitur, ob pontem, anno 1735. rivulo impoſitum.
VI. *Forum minus*, Patria lingua *la Plazzuta*.
VII. *Vicus Judæorum*, qui noctu clauſus, Judæos a Chriſtianis arcet.

V. Præter complura Nobilium, eaque elegantia Palatia, Templa ſequentia Goritiæ Religionem eloquuntur: Metropolitanum hodie, olim Parochiale SS. Hilario, & Tatiano ſacrum. P. P. Soc. JESU, in memoriam S. Ignatii, eorundem Fundatoris erectum. P. P. Conventualium S. Franciſci cum Sacello S. Catharinæ, excitato ab ipſo S. Antonio Patavino. P. P. Ca-

Capucinorum, B. V. in Cœlum Aſſumptæ conſecratum. S. Joannis Baptiſtæ, ædificatum ab illuſtriſſima Familia Baronum de Dorimberg, ſub cura Jeſuitarum. Fratrum Ordinis S. Joannis de Deo, quos *li Frati della Miſericordia* vocant, cum adjecto Noſocomio. Sacrarum Virginum bina Templa, nempe Ordinis Capucinorum S. Claræ unum, alterum Virginum ab ſancta Urſula nomen habentium. Porro Sacellum S. Antonio ſacrum: Sacellum S. Michaëlis prope Parochiam: Sacellum Archi-Epiſcopali Palatio adſitum, a Domino Auguſtino Codellio P. M. excitatum: Sacellum Xenodochii ad Macellum. Sacellum honoribus S. Eraſmi a Comitibus de Orzon, aliquot abhinc annis erectum: aliud SS. Tribus Magis dicatum, in ſuburbio extra portam Italiæ. Denique non eſt omittendum Sacellum Arcis, S. Bartholomæo ſacrum: & alterum in urbis parte ſuperiore, ſeu arce inferiore SS. Triadi dedicatum, in quo Præfecti Provinciæ, ſeu Capitanei ſolenni ritu inſtitui ſolebant.

Quot Religioſarum Familiarum commemoravimus Templa, totidem ſunt earundem Aſceteria. Collegio P. P. Societatis Jeſu adjectæ ſunt publicæ ſcholæ, in quibus præter humanioras litteras, Philoſophia, Matheſis, Theologia Moralis, & Jus Canonicum traduntur. Pertinet eo convictus, & Nobilium adoleſcentum profectu, & ædificii decore illuſtris. Monaſterium P. P. Conventualium S. Franciſci, id memoria dignum habet, quod a S. Antonio Patavino 1225. fun-

datum ſit, ubi idem primus Religioſo cœtui Guardiani nomine præfuit (g)

Goritiæ Incolarum, ac præcipue Nobilium frequentia, pro amplitudine loci, ſatis magna eſt. En Catalogum familiarum Nobilium, quæ ſtatuum Provinciæ Albo inſertæ ſunt, atque ad me Goritia transmiſſæ: Earum aliquæ olim extinctæ, non paucæ aliis in terris domicilium fixere, atque honorario Provincialium jure gaudent. Quæ etiamnum Goritienſi in Comitatu florent Familiæ, eas aſteriſco notavimus. Si quam per oblivionem omiſimus, nemini id fraudi eſto. Ordinem Familiarum Alphabeticum ſervare placuit. Adjecimus hereditarii muneris dignationem, qua Familiæ quædam illuſtres aut olim fuere, aut ſunt hodieque.

Abele
Alberti
Arrardi
Arſtenio
Attems *
Auerſperg
Bajo
Bapſt
Barbara
Belgradino
Bellin
Bertis *
Biſſer
Bogarin
Boſizio *
Breiner heredit. Camerarii.
Brandis
Brandleg
Brando
Bucelleni
Brüederle
Brignoli *
Cabalis
Campana
Canduſſi
Canuſſi
Capella
Caſal
Caſtello
Catta
Cazenſtain
Cernozza
Ceroni
Chieſia
Cheſi
Claris
Clarizin
Cobenzel hered.

Da-

(g) P. Angelico da Vicenza, dell'Ord. de' Minoriti Riformati: Vita di Sant. Antonio di Padova) Bollandiani Hagiographi Tom. II. Junii in Vita Sancti Antonii nihil de Goritia commemorant.

Dapiferi & Falcon Magiſtri *
Codroip
Colloredo *
Collalto
Cogna
Conti *
Copmaul
Cormons
Coronini *
Craff
Cronshal
Cuſman
Delmeſtri *
Dietrichſtain
Domberg
Dorimberg *
Eder
Edling *
Eck
Ferens
de Fin *
Florianer
Fontana
Formentini *
Frangini
Frangipani *
Fries
Gallenberg
Galler
Gambara
Gardonich
Garzarolli
Gaſtaldo
Gibelli
Gorpo
Gorizzutti *
Grabizio *
Grappa
de Grazia *
Grieneffer
Haugwitz
Herberſtain
Hocza
Hoffer
Hoiviſperg
Holzapfel
Hoyos
Hueber
Jechlinger
Imbſen
Inzaghi
Jordan
Khevenhüller
Khuen
Kienmajer
Kolhamer
Kueffſtein
Kuenburg
Kyls
Lang
Laregnerſperg
Lanthieri hered. Pincernæ. *
Leli
de Leo
Liberal
Ludenſtain
Linder
Locatelli *
Liechtenhaimb
Lottieri
Loydi
Lüerwalt
Madris
Mainerſperg
Manfredo
Manzan
Marenſi
Marinelli *
Marburg *
Marconis
Marzas
Mathioli
Mauerberg
Mels *
Menato
Meradas
Miglio
Miffler
Montanari
Mordaxt
Morelli *

Nandas
Neühaus *
Nepſith
Offenhain
Orzon *
Oſatemburg
Paar
de Pace *
Pallemburg
Panizol
Paradaiſer
Patran
Pesler *
Petazzi *
Pezelhueber
Philipin
Piſtrich
Piter
Pleſchner
Poſarelli *
Poſch
Porzia heredit. Aulæ Præfecti.
Portis
Praiſenſtain
Pramsegh
Prodolon
Purgſtall
Rabatta heredit. Equitum Præfecti *
Raffaelis
Rechpach
Radieucig *
Reſſaur *
Richieri
Ribiſini
Rindſmaul
Ronchoni
Roſetti
Rovere
Saffran
Sailern
Savorgnan
Scaller
Sembler *
Shurian
Sideniz
Simonetti *
Sinzendorff
Soldan
Soldaneuſis
Spranz
Stampa
Steffaneo *
Steiz
Styrgk heredit. Bacilliferi.
Straſoldo hered. Venatorum Præfecti *
Stratman
Sturemberg
Stupan
Studeniz
Suardo *
Suſana
Taſſis
Tattembach
Tauzet
Terzi *
della Torre heredit. Mareſchalli *
Trilleg
Vaccani
Vallentinis
Verda
Werdemburg
Wildenſtain
Voglesberg
Urſenbeck
Weidmonsdorff
Widman
Xenhaus
Zehetner
Zengraff
Zucchi

Ur-

Urbis Goritiæ extrema propemodum contingit mons, cui impoſitum eſt Cœnobium PP. Carmelitarum a S. Thereſia Reformatorum, cum eleganti Templo, in quo ſub gratioſa Icone B. VIRGO MARIA colitur: loco nomen eſt *Caſtagnovicza*, quaſi *Caſtanearum ſilvam* dicas. VI.

Non eſt nobis propoſitum Comitatus Goritienſis Topographiam texere; quare, omiſſis reliquis locis, quorum ſitum Charta Chorographica, noſtra induſtria delineata, exhibet, ſilentio tamen præterire non poſſumus celeberrimum his in terris *Montem Sanctum*, paulo ſupra Salcanum eminentem. Ejus verticem occupat inſigne Monaſterium PP. Reformatorum S. Franciſci, Templumque peramplum, quadrato lapide ſtructum, in cujus ſumma Ara, Sacroſancta DEIPARA, ingenti populorum concurſu in gratioſa Icone honoratur. Celebris ab ſe eſt Gradiſca, urbs exigua, ſed egregie munita, conſtructa a Venetis adverſus Turcas, ſub annum 1473. (r) ſubinde ab Auſtriacis occupata 1511., fortiterque eodem bello Veneto, ac diu propugnata: (s) Auguſtæ Domui hodieque paret. Singularis etiam Comitatus, cum Principis titulo, honorem Gradiſca obtinuit, Eggenbergicis Principibus Anno XLI. ſuperioris ſæculi donata a Ferdinando III. Auguſto: ſubinde extinctis 1717. Eggenbergicis Principibus, Althanio Comiti ab Imperatore Carolo VI. oblata, ſed modeſte recuſante Comite, ab Auſtriacis Præfectis gubernata eſt, qua de re ſuperius fuit injecta mentio N. IV.

Goritienſis ager omnis puro, ac ſalubri aëre gaudet,

(r) Candidus Lib. VIII. Commentar. Aquil. pag. 71. & 72. Grævii Theſ. Ital. Tom. VI. Part. IV.

(s) Fuggeri Speculum Honorum Domus Auſtr, edente Birkenio, Lib. VI. Cap. XV. pag. 1281, &c.

det, ſatisque pacato; niſi eam temperiem interdum ruentes ab Arctois montibus ventorum impetus perturbent. Lætiſſimi proventus hujus terræ colliguntur e vineis, quæ partim albi, quod generoſius eſt, partim rubri vini, quod amœnius, ſalubriusque, magnam plerumque copiam ſubminiſtrant. Varii quoque frumenti grana vinearum ambulacris interſeruntur, præſertim ubi in planiciem illæ explicantur, fructu fere ſemper uberrimo. Divitias etiam ſuas, vario ſapore dulces, Pomona obtrudit: olei proventus eſt mediocris. Volatilium, & altilium magna ſeſe copia offert: at ferina caro rariſſima, præſertim aprorum, ac cervorum; equorum, boumque, paucitatem caprini generis animalium vis magna compenſat. Bombycum nutriendorum curam pene quævis domus, egregio opere pretio, ſuſcipit. Sericum omne ad *Filatorium* confertur; ita Ædem elegantem vocant, mirabili machina inſtructam, in qua rotæ ſingulæ, aquæ vi animatæ, complures cylindrorum, rotularum, gyrgillorum ordines, centurias quoque, circumagunt, varia filorum ſericeorum evolutione, contorſioneque. Sita eſt Ædes illa ſupra Gradiſcam, e regione Farræ.

Incolarum Nobiliores, etiam quatuor linguas callent, præter Latinum eruditorum idioma; videlicet Italicam, Furlanicam (quam Italicam abbreviatam, & Semi-Gallicam dixeris) Germanicam, & Slavicam: Plebs a Carniolia ad Liſontium, fere Slavicam, ultra fluvium Slavicam, & Furlanicam loquitur. Temperamento plerumque medio ſunt Italos inter, & Germanos, qui iſthic degunt.

VII. De Politico Provinciæ noſtræ Regimine hæc pauca

ca commemorare libet. A prima memoria Goritia a Sæculo XI., vel certe a XII. ineunte, propriis Comitibus parebat: ita tamen, ut pars quoque *Villæ Goritienſis* ad Patriarcham Aquilejæ pertineret, usque ad annum 1202. *Villæ* inquam, uti loquitur BELLONUS, non Caſtelli, quod a Comitibus totum poſſeſſum etiam ante fuiſſe opinor. De horum Comitum Genealogica, & Chronologica ſerie, ex inſtituto, reliquis omnibus hujus opuſculi capitibus tractabimus.

Leonardo, Comitum Goritienſium ſuæ ſtirpis, poſtremo, labente anno 1500. 12. Aprilis ſine herede defuncto, Maximilianus I. Imperator, e veteribus cum Auſtriaca domo pactis, præſertim annis 1361. 1364. 1394. 1466. de quibus in *Chronico* documenta publica indicabuntur, atque obæratum jam antea ſibi Goritienſem Comitatum occupavit. Ex eo tempore ſuavi Auſtriæ Imperio ſubjecta manſit Goritia, ſi exiguum illud temporis ſpatium demas, quo a Venetis anno 1508. bello capta: ſequente mox anno ab Erico Brunsvicenſi, & Chriſtophoro Frangepano recepta eſt. (t)


Quonam *Titulo* Goritiæ Comites uſi ſint, paucis hic attingam: plura enim e Diplomatum verbis decurſu hujus opuſculi proponentur. A prima igitur memoria Titulus erat: *Comes Goritiæ.* Acceſſit ſubinde: *Aquilegienſis Eccleſiæ Advocatus.* Poſtea vero, quam anno 1253., ac deinceps Meinhardus III. Tyrolim nactus eſſet per Adelheidem uxorem, filiam Alberti ultimi, *Comitis Tyrolis, & Palatini Carinthiæ, Tridentinæ, & Brixinenſis Eccleſiæ Advocati* (de quo *Cap. III. N.*

(t) Fuggeri Specu'um Honorum Domus Auſtriacæ Lib. VI. Cap. XIII. pag. 1247. & 1259. Edente Birkenio.

XIX. XXI. &c. agetur) iidem Tituli Goritianis acceſſere. Cum porro Meinhardi III. filii ambo, Meinhardus IV. & Albertus II. Tyrolenſium Comitum terras, ac jura ita partiti eſſent, ut ejus hereditatis terras plerasque obtineret Meinhardus: jura vero titulique etiam Alberto, ejusdemque poſteris communia eſſent; ex eo tempore Tyrolenſes quidem hoc titulo fere contenti erant: *Comes Tyrolis & Goritiæ, Tridentinæ & Brixinenſis Eccleſiæ Advocatus.* Goritienſes vero iſto: *Comes Palatinus Carinthiæ, Comes Goritiæ, & Tyrolis, Aquilejenſis Eccleſiæ Advocatus.* Attamen emortua Tyrolenſium linea maſculina, plenus Goritienſium Comitum titulus ita ſcribebatur: *NN. Dei Gratia Comes Palatinus Carinthiæ, Comes Goritiæ, & Tyrolis, Advocatus Eccleſiarum Aquilejenſis, Tridentinæ; & Brixinenſis.* Interdum *Illuſtris Comes de Goritia*, aut etiam *Illuſtriſſimus* appellatus legitur.

Titulum *Principis*, a veteribus *Goritiæ tantum* Comitibus, qui ante Auguſtam ſtirpem Auſtriacam florebant, *in monumentis publicis*, ab iis, inquam *ipſis, ſibimet* tributum, non invenio. Attamen Henricus ultimus, Comes Goritiæ, in teſtamento condito die S. Vincentii, XXII. Januarii, 1453. in Thoblach & Comitatus ſui mentionem facit, his verbis: *in fidem Principatus noſtri*, & filios ſuos Joannem, Ludovicum, & Leonhardum appellat ſucceſſores ſuos, & *Principes*, ac Dominos ſubditorum. Similiter in Diplomate, quod 1453. edidit in favorem Cormonenſium (Cremaurn) Catharina, Henrici prædicti uxor, cum Joanne filio, conſenſu fratrum: iidem Fratres Ludovicus & Leonhardus vocantur *Alto loco nati Principes* (hoch gebohrne





ne Firſten) utramque chartam nobis impertiit Excell. Com. Attemſius. In illuſtri monumento, quod poſtremus, e veterum Goritianorum Comitum ſtirpe *Leonardus* ſibi ipſi faciendum curavit, *Principis* titulus non comparet. Monumentum iſtud (cujus hic accuratam imaginem ſiſtimus) extat Goritiæ in Templo Parochiali in Sacello S. Annæ: conſtat iſtud albo Marmore, Figura Parallelogramma, longo Pedes VI. cum ſemiſſe: lato Pedes III. cum ſemiſſe. In eo ſculptam videmus figuram Leonardi Comitis ſtantis, toto corpore armati, Dextera Vexillum cum Armis gentilitiis Comitum Goritiæ, & ſiniſtra ſimile ſignum gerentis. Superius ad ſiniſtram volitans Genius Tyrolis inſignia geſtat. Ad pedes figura muliebris, Mantuanorum Gonzagarum (e qua ſtirpe Paula erat, Leonardi altera conjux) gentilitium ſcutum attinet. Sub pedibus Leo ſtans, bifida cauda, dextrum pedem imponit ſcuto Carinthiæ. Extima circum ora inſcriptionem exhibet characteribus varie diſtortis, Germanico idiomate expreſſam, quam ſic legimus, initio facto ab eo loco, cui in imagine reſpondet nodus Haſtæ, e qua Vexillum pendet. („ Lienhar. uon. gotes. genadñ. „ Pfallenntz. Grave. Fun. Karnthen. Grave. Zu Gorz. „ und zu Tirol. Vogte deren Gotts-Haüſern zu Aglar. „ Zu Trenndt. und zu Brichſenn. hat diſen Stain ma- „ chn laſſen. Ann - - -) Latine ita ſonant: *Leonardus Dei Gratia, Palatinus Comes Carinthiæ, Comes Goritiæ, & Tyrolis, Advocatus Eccleſiarum Aquilejenſis, Tridentinæ, & Brixinenſis, hunc lapidem faciendum curavit Anno* - - - - Reliqua, poſt vocabulum *Anno*, certo exponere non audeo: videtur tamen legendum: *Anno M.*

4. IIIC. id eſt: *Anno Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo Septimo, gratiæ.* Nihil in hoc lapide diſerte exprimitur de ſepulchro Leonardi: tametſi vulgo Leonardi Epitaphium credatur. Sed ubinam ſepultus fuerit Leonardus paulo inferius dicam. Delineatam hujus marmoris imaginem debemus benignitati Excell. Domini Comitis SIGISMUNDI ATTEMSII: Inſcriptio etiam aliunde ad nos miſſa eſt, probeque congruit alterum alteri exemplo, ſi unicum characterem ſub finem excipias, qui in altero exemplo magis accedit ad veterem notam numeri *quatuor.*

VIII. Ad titulos ut revertar, primus, quod ſciam, ſeſe diſerte *Principem Comitem Goritiæ* ſcripſit Maximilianus I. Imper. in eo Diplomate, quo Viennenſi Gymnaſio Scholam Poëtarum, & jus dat Poëtas Laurea donandi, horumque Privilegia confirmat. Datum Bozani die 31. Octobris, 1501., altero nempe ab occupata Goritia Anno in quo Diplomate, in titulo ita habetur: *Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goritiæ.* - - - GOLDASTUS *Conſtitution. Imper. Tom. III. pag. 482.* Subinde Ferdinandus Primus Imperator. *Gefürſteter Graf zu Gœrz*, legitur in Transactione Paſſavienſi Anno 1552. (u) Eandem Principis appellationem, Titulo Comitis Goritiæ connexam, retinuere Maximilianus II., Rudolphus II., Matthias, Ferdinandus II., & Ferdinandus III. Idem vero Ferdinandus III. ſubinde in Tabulis Pacis Weſtphalicæ Anno 1648. *Comes Goritiæ*

(u) Pfeffingeri Notæ in Vitriarium Tom. II. Tit. XVII. pag. 716, & 717., ex quo hæc deſumpta ſunt, de Auſtriacis Principibus, a Ferdinando I. ad Carolum V. Pfeffingerus Ferdinandum I. hunc titulum: Principis Comitis Goritiæ, ſibi primum tribuiſſe putabat, omiſſo Maximiliano I.

ritiæ tantum adnotatur. Comitis ſolum titulum pariter adhibuit Leopoldus, in Actis Pacis Neomagenſis, Ryswicenſis, & Armiſtitii Viennenſis: Joſephus item Imperator Anno 1705. *Comes Goritiæ* ſubſcriptus legitur in Diplomate dato in favorem Ducis Marloborougi. Haud ita multo poſt Carolus VI. Auguſtus *Principis Comitis Goritiæ* titulum reſumpſit in Declaratione Belli adverſus Gallos, edita 1713. Attamen mox 1714. in Tabulis Pacificationis Badenſis *Comes Goritiæ* dicitur. Plerumque vero & Carolus Auguſtus, & Maria Thereſia Imperatrix, & Regina Auguſta, ſub *Comitis* titulo conjunxiſſe leguntur hæc provinciarum nomina: *Comes Habſpurgi*, *Flandriæ*, *Tyrolis*, *Ferretis*, *Kyburgi*, *Namurci*, *Goritiæ*, & *Gradiſcæ*. Hæc ipſa Comitatus Goritienſis conſociatio cum iis Comitatibus, qui certo Principum honore gaudent, ſatis oſtendit, Principalem Comitatum habitum eſſe Goritienſem, etiam tunc, cum appoſitus non eſſet Principis titulus.

Et vero priores etiam Auſtriacis Goritiæ Comites *Principum* loco habitos ab ipſis Imperatoribus fuiſſe, arguunt verba illa Friderici Imperatoris, Patris Maximiliani I., quæ refert Æneas Sylvius (x) dum Henrici Comitis Goritiæ, ejus nominis poſtremi, incultos mores habitumque perſtringens, auritus teſtis, ita narrat: („ Quem cum aliquando ad ſe venientem Fri„ dericus Imperator ex feneſtra intuitus eſſet, me vo„ citans: Age, inquit, Ænea! Principem, qui ad nos „ properat, contemplare.) Maximilianus I. Imp. in Documento anni 1501. defuncti Joannis mentionem

(x) Æneas Sylvius de Stat. Europ. Cap. XIX. de Carinthia Tom. 2. Script. Freheri, Struvio curante pag. 107.

ſacit, ut *excelſi Principis & chari propinqui ſui* (Des hochgebohrnen Fürſten und Herren Johannſen, Pfallents-Graf in Carndten, Grafen ze Goerz) ita adnotavit EXCELLENTISS. COM. ATTEMSIUS.

Neque defuerunt alii, qui *Illuſtriſſimi Principis* titulo appellarent priores illos Goritiæ Comites. Teſtatur id Epitaphium Leonardi, Comitis Goritiæ poſtremi, mortui Leontii 1500. die 12. Aprilis, quod ibidem in Tyroli poſitum eſſe, memorat DONINI NOBILE D'ISCHIA *Hiſtoria della Principale Contea di Gorizia, o ſia raconto Chrono-Stemmatographico di que' Prencipi Conti: in fine libri ſecundi*, quod Epitaphium ex eo libro fide Notarii publici Goritienſis exſcriptum teneo, ut ſequitur.

Hic jacet ſepultus
Illuſtriſſimus Princeps
LEONARDUS
Comes Palatinus Carinthiæ
Comes Goritiæ & Tirolis
Advocatus Eccleſiarum
Aquilejenſis, Tridentinæ,
Et Brixinenſis
Obiit 12. Aprilis 1500.

Congruit hæc inſcriptio cum illo marmore Goritiano ſupra exhibito, niſi quod in Goritiano nihil de obitu legatur, nec de ſepultura, neque *Principis* præfixus ſit titulus. Ante obitum tamen etiam *Principis* titulo Leonardus ſalutatus eſt, a Petro Dandulo, S. Marci Venetiarum Primicerio, in Epiſtola, qua a Leonardo Comite petit confirmationem Privilegiorum Cœnobii, & Abbatiæ S. Petri de Roſacis. In ea Epiſtola (de qua plura ſequente Capite) ita Dandulus:

(„ Re-

(“Reperio illuſtriſſime Princeps, in quodam antiquo „Privilegio - - - - - - - - - -)

Hiſtorici quoque nonnulli, *Principes* compellavere Comites Goritienſes, præſertim qui circa ſæculum XV. ſcripſerunt, uti ſunt: Chronicon Comitum Cilejensium. Annales Wratislavienses Msti, Candidus *Lib. I. Commentar. Aquilejenſ.* Donini *in titulo Libri modo memorati, di que' Principi Conti;* & ſi qui ſunt alii, quorum per decurſum Opuſculi teſtimonia ſe offerent.

Enimvero, quod *Comites Goritiæ* ſibimet ipſis *Principis* titulum adſcribere non ſolerent, aut ætatis illius moribus, ſtyloque tribuendum eſt, aut opinioni illi probe fundatæ, qua credebant: titulum *Comitis Palatini Carinthiæ, Comitis Goritiæ & Tyrolis*, vel æquivalere appellationi Principis, vel eandem in ſe continere.

Sane Meinhardus IV. ex Goritienſi ſtirpe, alter Comes Tyrolis, a Rudolfo I. recens electo Romanorum Rege, occaſione ſponſalium, inter Eliſabetham, hujus Meinhardi filiam, & Albertum I. Rudolfi filium, teſtimonium Nobilitatis ſuæ ſtirpis inſigne accepit: Nemini Regum pudori fore, ſi cum Meinhardi ſtirpe affinitate jungatur. Attamen tum nondum Principum ordini inſertus erat Meinhardus. Narrat iſta Synchronus Scriptor Ottocarus Horneck, cujus verba Capite V. N. VII. proferemus. Attamen non Tyrolenſes modo Comites ab Imperio Romano-Germanico, ſed proprie Goritienſis item ſtirpis Comites Principum ordini inſertos eſſe, ſaltem ab anno 1471. liquido conſtat ex *Nova Collectione Decretorum Imperii* (y) *in Dieta Ratisbonen-*

(y) Neue und vollſtändige Sammlung der Reichs-Abſchiede, Francof. edit. MDCCXXXX. VII. Part. I. pag. 242, & 248.

nenſi, in diem S. Georgii Martyris indicta: ubi inter *Principes Comites*, *Vorſt Graven*, id eſt *Fürſt Graven*: Primo loco ponitur *Leonardus Comes Goritiæ.* Idem (licet ſine Nomine) *Comes Goritiæ* profertur eodem in Libro anno 1480. & 1481. in Serie *Principum Sæcularium*: & anno 1489. in Comitiis Francofurtenſibus (z) in diſtributione Copiarum auxiliarium. Itidem anno 1491. in aſſignatione ſubſidii pecuniarii Norimbergæ facta: Comes Goritiæ (a) inter *Imperii Principes* collocatus eſt.

Dixi ſuperius: ſaltem ab anno 1471. Principum Imperii ordini inſertos eſſe Goritianos. Nam anno 1467. in Comitiibus Norimbergæ, *in eadem collectione Decretorum*, in Deſignatione militis ſubſidiarii adverſus Turcas ſubmittendi, nonniſi inter *Comites ac Dominos*, occurrunt *Comites de Goritia* (b) Hæc vero, ut initio monui, de *Goritienſium* Comitum *propria ſtirpe* dicta volo; nam Tyrolenſem Goritienſium ſtirpem anno 1286. in Meinhardo IV. Principum dignitatem obtinuiſſe, oſtendemus *Cap. V. N. I.* Huic Meinhardo datur etiam Titulus: *Principis, & Caſtrenſis Comitis Imperii*, in excerptis ex P. BAUTSCHNERI *Hiſtoria MSta Goritiæ*, quæ debemus CL. P. HANSIZIO; Caſtrenſem Comitem vulgo *Burggravium* dicimus.

IX. Titulis Comitum Goritiæ adjungere liceat *ſcutum Gentilitium.* Videre bis expreſſum illud licet in Imagine Marmoris ſuperius propoſita. Eſt nempe ſcutum, biſariam ſectum oblique, vel a ſiniſtra ad dexteram, ut in vexillo Imaginis; vel a dextra ad ſiniſtram ut ſub

(z) Ibidem pag. 265. pag. 269. pag. 285.
(a) Ibidem pag. 291. (b) Ibidem pag. 221. ubi: Die von Gorz, occurrunt, Comitum ordini inſerti.

ſub manu ſiniſtra Imaginis, in marmore ſcalptæ, & uti hodie in uſu eſt. Superior pars, in Campo Cæruleo, Leonem aureum, biſida cauda refert: pars inferior in Icone marmoris continet duas faſcias argenteas, cum duabus rubris alternantes; aſt hodie, neſcio an bene, ſolet campus argenteus duabus faſciis rubris diſtingui, ſeu tres argenteæ faſciæ duas rubras interſecare. Sed enim ſcutum antiquum Goritienſium Comitum, ſaltem a ſæculo XIII, præter *Leonem*, exhibere *ſex faſcias* alterno albo, alioque colore, docent nos tria ſigilla, appenſa Chartis Comitum Goritienſium, quorum iconiſmos iſthic iſtimus, liberalitate Viri eruditiſſimi perill. ROSENTHALII, autoptæ. Primum eſt Meinhardi III. Comitis Goritiæ, anno 1252, ante aditam hereditatem Tyrolenſem. Alterum eſt Alberti II. anno 1295. Tertium Alberti III. ita, ſed compendiarie, inſcriptum: *Sigillum Johannis Alberti Comitis Goricie Junioris.* Duo hic notanda: *Joannem* compellari Albertum, qui in ipſa Charta, & alias quoque, tantum *Albertus* ſcribitur; alterum: *Juniorem* Albertum dici, etſi Pater Albertus II. jam quadriennio antea obierit, nec alius tunc Goritienſis Albertus vixerit, uti alibi iſta afferentur. In duobus antiquioribus ſigillis Eques repræſentatur ipſe Comes, cum ſcuto & vexillo: in tertio ſolum ſcutum, ſed ſuperpoſitis Cornibus, ſeu damæ, ſeu alcis, cervive, & quodam quaſi globo, niſi Galeam is referre debeat. Figuræ ſcuti, quinquies hic expreſſæ, conſtanter in ſuperiore obliquæ ſectionis parte *Leonem*, in inferiore *ſex Faſcias*, albo, alioque colore alternas, referunt. Colorem porro Faſciarum (quarum numerus arbitrarius ſubinde fuiſſe videtur, & imminutus)

VRON-Goriška knjižnica Franceta Bevka GORICA

eleganter exponuut *Litteræ Feudi*, a Bertrando Patriarcha Aquileiensi collati *Alberto Comiti Goritiæ*, & *Fratribus*, *anno MCCCXXXVIII. Indictione VI. die XXV. Menſis Februarii.* In quibus ita habetur: ("Magnifi„cus & Potens vir D. Albertus Comes Goritiæ, re„quiſivit eundem Dominum Patriarcham, ut ipſe pro „ſe, & fratribus ſuis Comitibus Goritiæ inveſtire di„gnetur de Feudis ſuis, quæ ad Dominum Goritiæ de „jure ſpectant. Qui Dominus Patriarcha, audita „ipſius Domini Comitis petitione, eundem Dominum „Comitem per quendam annulum, ac etiam per Ban„deriam armaturæ Comitatus Goritiæ, videlicet Ru„bei, & albi coloris, manu propria inveſtivit ------ „------) Hæc Charta a Doctiſſimo Comite FLORIO, *Celeberr.* P. DE RUBEIS ſubminiſtrata, integra extat in ejusdem præſtantiſſimo Opere. (*c*) Leonis figura *quando* & *cur* adjuncta ſit, niſi Meraniorum Ducum nexum, vel Palatinatum Carinthiæ notet, ignoro. In *Deſcriptione Germanica Concilii Conſtantienſis* (celebrati ab anno 1414, ad 1418.) *edita Auguſtæ Vindelicorum 1536.* (*d*) ſcutum Henrici, poſtremi eo nomine Comitis Goritiæ, habetur lineatum more veteri cum *Leone*, & Faſcia alterna *triplici.* Illud non aſſequor, cur HERMANNUS VON DER HARDT (*e*) inter inſignia Comitum Præcipuorum, in Conſtantienſi Concilio publice affixa, *Henrico Comiti de Görtz* ſolam Aquilam Tyrolenſem appingat, ſine proprio Goritienſium ſcuto.

Enim

(*c*) De Rubeis Monument. Aquil. Cap. LXXXIX. pag. 886.
(*d*) Pag. CLV. 2.
(*e*) Hermanni von der Hardt Rerum Concilii Conſtantienſis Corpus Actorum &c. Tom. V. poſt pag. 28. Tabula VII, ſcuto XIV.

de an. 1252.
MEINHARDI. III. COM. GORIT.



de an. 1308.
ALBERTI. III. COM. GORIT.



ALBERTI. II. COMIT. GORITIAE. AN. 1295.



Enim vero poſt finitum Concilium Conſtantienſe, anno 1424. memoratum occurrit in Charta veteri apud R. P. RUBEIS (*f*) *Henrici* & *Joannis* fratrum, Comitum Goritiæ, *Vexillum ſindonis rubei, & albi pro medietate* --- nulla mentione *Leonis.*

Verum hoc in caſu (uti & in priori anni 1338.) quia illud, ut opinor, vexillum tantum *Goritienſium*, *in Foro Julio*, *feudorum* ſymbolum erat, quæ a Patriarcha Aquilejenſi olim conſerebantur; Leo illic expreſſus non fuit. Leonem vero jam antea ſcuto Goritienſium fuiſſe inſertum conficiunt paulo ante deſcripta III. ſigilla anni 1252, & 1295, & ſubinde 1308. atque etiam e ſigillis, ab ſe conſpectis, Doctiſſimus ROSCHMANNUS *in Diſſertatione MSta de Origine Comitum Tyrolenſium*, animadvertit. Vidit enim Literas ejusdem Alberti (nobis II.) Comitis Goritiæ, de feudo collato Illuſtriſſimæ genti Welſpergicæ, anno 1298. & alias ejusdem, 1299. Wilthinenſibus datas: Item Meinhardi (nobis VII.) Comitis Goritiæ 1344. Litteras, cum appenſo horum ſingulis ſigillo, quod refert Principem ſtantem, armatum, dextera vexillum, ſiniſtra *ſcutum* tenentem, quod transverſe bifariam ſectum eſt, & ſuperius decurrentem Leonem, inferius ſex faſcias videre erat, ferme erectas, ſed in ſiniſtram paullum declives. Cum antiquius, quam ab anno 1254, ejuſcemodi ſigillum habeamus; facile arbitramur: Leonem Goritienſibus antea uſitatum fuiſſe, quam hereditatem Meranio-Tyrolenſem an. 1254. adierint, de qua *Cap. III. N. XIX. & XXVI.* dicetur. Nam Meraniorum e ſtirpe Andecenſi Ducum ſcutum Gentilitium fuiſſe ho-

(*f*) De Rubeis Monument. Aquil. Cap. CIX. pag. 1045.

rizontali linea biſectum, ac parte ſuperiore *Leonem*, inferiore *Aquilam* retuliſſe, non quidem e ſigillis, ætate nimium corroſis, ſed e *Monumento Langheimenſis Monaſterii* collegit CL. ROSCHMANNUS, quod in *Diſſertatione* Celeberrimi KOELERI *de Ducibus Meraniæ & Comitibus de Andechs ad pag. 39.* æri inciſum extat. Laudatus ROSCHMANNUS Meinhardi (nobis IV.) Tyrolenſis Comitis, atque Goritienſis (nondum Carinthiæ Ducis) ſigillum vidit, appenſum litteris anni 1281. in quo ſola *Aquila* Tyrolenſis, ſine *Leone* aut *Faſciis* occurrit. Aquilam vero, in Alberti ultimi, *tantum Tyrolenſis* Comitis, ſigillis ad 1241., & 1249. vidit idem CL. ROSCHMANNUS.

Si fidendum eſt narrationi, FRISII *in Hiſtoria Epiſcop. Wurzeburg:* relata a KOELERO; tum etiam Otto II, Meraniæ poſtremus, ex Andecenſibus, Dux, ſolam *Aquilam* in ſigillo præ ſe tulit, atque etiam *dimidiam Aquilam;* niſi dimidium vexilli plicis celatur, ut conjicit docte ROSCHMANNUS *in laudata Diſſertatione.* Itaque ſi alia certa de familiarum iſtarum communi origine non ſint, attamen eſt gentilitiarum figurarum conſenſus inter Andecenſes Meraniæ Duces, inter Comites Tyrolis antiquos, & veteres Comites Goritiæ, quos inter affinitatis vincula interceſſiſſe, ſi non alia, ſuis locis docebimus.

Apud FUGGERUM BIRKENII (*g*) proponitur icon Heraldica ſcuti Goritienſium Comitum, cum duabus faſciis albis in campo Rubro, in parte inferiore ſcuti; in ſuperiore cum Leone aureo in campo Cæruleo. Impoſita eſt ſcuto Coronata Galea, cum Cruce e collari pendula: Galeæ inſiſtit ſeu ſcuti pars, ſeu pileus altior, *In-*

(*g*) Fuggerus Birkenii, Lib. III. Cap. VIII. pag. 344.

Insigne Jerosolymitanum referens, campum argenteum, crucibus aureis ornatum; eidem Crista, albis plumis ornata, impendet: Lemnisci, a latere scuti, cæruleo ac rubro colore gaudent, illum auro, hunc argento illusum non dubito, etsi non exprimatur. Scuti Jerosolymitani decus ortum habere videtur ab expeditione sacra, cui anno 1197. Meinhardus II. Comes Goritiæ cum Friderico Duce Austriæ interfuit, ut ex NOTIS ORTILONIS, & ex *Diplomate Leopoldi VII. Ducis Austriæ* suo loco ostendetur.

Post Principes Comites, & eorum vicem, primus in administranda Provincia Goritiensi semper fuit *Præses*, seu *Capitaneus* (Landes-Hauptmann) Ea dignatio tanta erat, ut Henricus, Meinhardi IV. Goritiensis, & Tyrolensis filius, Rex Bohemiæ ac Tutor Joannis Henrici, consanguinei sui, Capitaneum Goritiæ Fori Julii, & Istriæ renunciarit *Albertum IV. Comitem Goritiæ* patruelem suum, anno 1329. (*b*) qua de re Litteræ extant in Tabulario Aulico Græcii. Reliquos, qui sub Comitibus Goritiæ fuere, Capitaneos ignoramus, præter *Purcardum de Holzhausen*, qui sub Henrico ejus nominis postremo Comite, 1429, teste Charta Attemsiana, Capitaneus fuit: & *Phœbum Comitem della Torre*, qui Leonardi postremi Comitis tempore hac præfectura claruit. X.

Capitaneorum, qui postrema ætate sub Austriaco Imperio constituti sunt, avita Nobilitate Prudentia, Æquitate clarissimorum, Nomina descripta e Fisci Regii Tabulario publico Goritiensi, ad me transmissa, hic

(*b*) Repertorium MStum Tabularii Austriaci Parte II. fol. 419.

hic adſcribam: adnotatis Principibus, ex Auguſta Auſtriadum Domo, quorum vices illi ſuſtinuerunt.

Andreas de Liechtenſtein, ab anno 1500. ſub *Maximiliano I. Imp. ad* 1508.

Henricus Dux Brunswici, & Luneburgi, ab 1509. *ſub eodem ad* 1510.

Georgius D. ab Eck, ab anno 1510. *ſub eodem Maximiliano I.* ab 1519. ad 1521. (*i*) *ſub Carolo V. & Ferdinando I.* ab 1522. ad 1527. ſub Ferdin.

Gabriel Comes de Ortemburg, ab 1527. *ſub Ferdinannando I. Rege ad* 1541.

Franciſcus Comes a Turri, ab 1542. *ſub eodem, ad* 1564 ab 1564. ad 1587. *ſub Carolo Duce Styriæ.*

Georgius Comes a Turri, Franciſci filius, Patris vices per XV. annos ſuſtinuit, ſub *Carolo Duce Styriæ*, ab 1572. ad 1587.

Joannes Dominus L. B. de Khevenhüller, ab an. 1588. ad 1590. *ſub Carolo Duce Styriæ.* ab 1590. ad 1606. *ſub Ferdinando II. Imp.*

Balthaſar L. B. de Thonhauſen ab anno 1607. ad 1609. *ſub eodem.*

Joannes Sforza Comes de Porzia ab 1610. ad 1624. *ſub eodem.*

Fridericus Comes Lanthieri ab anno 1624, ad 1637 *ſub eodem Ferdinando II.* ab 1637. ad 1643. *ſub Ferdinand. III. Imp.*

Franciſcus Comes Lanthieri, Friderici filius ab 1643. ad 1656. *ſub eodem Ferd. III. Imp.*

Er-

(*i*) Collectio MSta Documentorum P. Steyrer Tom. IV. pag. 28. & pag. 30. ubi Carolus quintus Goritiam, & omnia reliqua, quæ ſibi anno 1521. reſervaverat, Ferdinando fratri cedit anno 1522.

Erneſtus Fridericus Comes ab Herberſtein ab 1657. ad 1662. *ſub Leopoldo Imperatore.*

Ludovicus Comes Rabbatta ab 1662. ad 1664. Auguſto Menſe, *ſub eodem.*

Otto Comes de Rindsmaul ab 1664, ad 1667. *ſub eodem.*

Carolus Comes a Turri ab 1667. ad 1670. *ſub eodem.*

Joannes Everhardus Comes Kazianer ab 1670. ad 1681. 12. Octobris, *ſub eodem.*

Sigefridus Comes de Dietrichſtein ab 1681, ad 1685. *ſub eodem.*

Franciſcus Dominus de Stubenberg ab 1685. ad 1695. *ſub eodem.*

Ludovicus Comes Coronini, Proavus meus, antehac Prætor Goritienſis, deinde ab Imperatore Leopoldo Capitaneus declaratus, ante acceptam, ut vulgo appellant, *poſſeſſionem*, mortuus eſt eodem anno quo Franciſcus Stubenbergius.

Joannes Erhardus Comes ab Auerſperg ab 1696. ad 1697. *ſub eodem.*

Joannes Philippus Comes Kobenzl ab 1697. ad 1702. *ſub eodem.*

Joannes Caſparus Comes Kobenzl ab 1704. ad 1705. *ſub eodem Imp. Leopoldo.* ab 1705. ad 1711. *ſub Imperatore Joſepho.* ab 1711. ad 1714. *ſub Carolo VI. Imperatore.*

Joannes Joſephus Comes de Wildenſtein ab 1715. ad 1721. *ſub eodem.*

Franciſcus Anton. Comes de Lanthieri ab 1722. ad 1729. *Sub eodem.*

Joan-

Joannes Joſephus Comes de Wildenſtein, Iterum,
ab 1729. ad 1731. *Sub eodem.*
Leopoldus Adamus Comes Straſoldo
ab 1732. ad 1733. *Sub eodem.*
Antonius Comes de Rabbatta
ab 1733. ad 1740. *Sub eodem Carolo VI. Imp.*
ab 1740. ad 1745. *Sub Maria Thereſia Reg. Hung.*
Wenceslaus Comes de Purgſtall penultimus, qui Capitanei titulo Provinciam Goritiæ gubernavit, & ab anno 1745. ad 1747. *Sub Auguſtiſſima Imperatrice*, & *Regina noſtra Maria Thereſia.*

Poſt Capitaneum *Prætor* eſt, qui cum Aſſeſſoribus ſex, ac duobus e Procerum ordine, jus dicit Nobilibus Provinciæ, etiam de crimine capitali poſtulatis; at cum ſententia de ſupplicio, Nobili irrogando, ferenda eſt, eo gaudent illi Privilegio, ut Prætori, & Aſſeſſoribus, aliquot, ex ordine Nobilium, judices aſſociari debeant, qui una cauſam de crimine cognoſcant, dijudicentque.

Hodie, immutata pauliſper regendi forma, idem, qui poſtremum *Goritienſis Capitanei* titulum gerebat, primus alio quidem titulo, ſed eadem fere poteſtate gaudet, *Regii Locumtenentis*, ſeu *Repræſentantis* (Landes Verwalter) Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus S. R. I. Lib. Baro Antonius de Fin, S. Cæſ. Regiæque Majeſtati ab intimis Conſiliis, ejusdemque *Repræſentans* in Illuſtriſſimo Principali Comitatu Goritiæ, & Capitaneus Gradiſcæ, & Aquilejæ, nec non Supremus Director Cameralis in Littore Auſtriaco. *Prætoris* munere fungitur, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dominus S. R. I. Comes Sigismundus ab Attems

tems S. Cæſ. Regiæque Majeſtati ab intimis Conſiliis &c. Urbis Goritienſis Civium cauſas, litesque *Conſul* dirimit, cui duodeni aſſident, judicandi communi poteſtate.

In Caſtellis, Pagis, Villisque, quæ Nobilium jurisdictioni obnoxiæ ſunt, ab eodem Nobili Domino delegatus juris peritus conſtituitur, qui ruſticæ plebis diſcordias ex æquo componat, &, ſi crimen exigat, etiam capitis ſententiam ferat; quam pro ſuo Dominus Nobilis arbitrio, in proprio territorio, executioni dandam mandare poterit.

A tribunali Goritienſi ad aliud provocare non licet, quam ad tribunal Regiminis Interioris Auſtriæ, quod Græcii Styrorum conſtitutum eſt. Carnioliæ autem Provinciæ nunquam adjecta, minus ſubjecta fuit Goritia, quod recentiores quidam Geographi credidiſſe videntur.

Brevem hanc de Goritienſi urbe, atque Provincia notitiam, claudat Religionis, & ſacrorum ſtatus. XI.
Fidem Chriſtianam cum reliqua Fori Julii, & Carnorum Provincia ab S. Marco Evangeliſta, aut ab ejus diſcipulo S. Hermagora, vel certe altero a morte divini Redemptoris ſæculo, ab horum diſcipulis, Aquilejæ Præſulibus, ſuſcepere Goritienſis agri incolæ. Chriſtianam hanc ſacrorum normam pius usque retinuit populus, Romanique Pontificis, ut ſupremi Paſtoris, ductum ſecutæ ſunt obedientes oviculæ: ſi triſte illud diuturni ſchiſmatis tempus excipias, quod ab ſæculi, poſt Chriſtum natum, ſexti fere dimidio, ad ſeptimi ſæculi finem, ob *trium Capitulorum* damnationem, Aquilejenſem Eccleſiam conturbavit. Idem Schiſma

Sergii Papæ, & Petri Aquilejenſis Archi-Epiſcopi opera circa annum 700. eſt feliciter ſublatum. (k) Ab eo tempore Catholicæ Religionis unitatisque laude ſemper floruit, floretque Goritienſis Provincia. Eadem Aquilejenſem Præſulem Paſtorem ſuum reverita eſt. Synodus quoque Provincialis Goritiæ celebrata fuit a Franciſco Barbaro Patriarcha, anno 1600. menſe Junio. (l)

Sæculo quinto decimo, ſub Ludovico e Ducibus Techis, Patriarcha Aquilejæ, Venetorum Dominio Forum Julium ceſſit, armis partim, partim initis conditionibus, Patriarchæ ereptum: Sæculoque ineunte XVI. Maximilianus I. Imperator Auſtriacus, & veteri pactorum jure, & obæratum quoque Auſtriacæ Domui Goritienſem Comitatum obtinuit. Porro bello inter Auſtriacos ac fœderatos, contra Venetorum Rempublicam, paulo poſt exorto, varie diſcerptæ ſunt Patriarchatus terræ.

Poſtquam vero per Legatos Reipublicæ Venetæ id effectum eſt apud Romanos Pontifices, ut Patriarcha Aquilejæ non alius, niſi natione Venetus, deligeretur, & viventi Patriarchæ Succeſſor Venetus illico, quocumque titulo, adjungeretur: Ea res, præter enata ſubinde bella, aliasque graves cauſas, Auſtriacam Domum permovit, ut poſt tentata nequidquam leniora remedia, expoſitaque Rom. Imperii, ac Domus Au-

(k) P. Rubeis Monument. Aquil. ab Initio, & Cap. XXXVI. pag. 311.

(l) R. P. Rubei pag. 1109. ſummam Decretorum ejus Synodi refert ex Libro Joan. Baptiſtæ Natolini, Utini edito, cujus titulus; Decreta promulgata ab Illuſtriſ. & Reverendiſ. D. D. Franc. Barbaro Patriarcha Aquil. in Diœceſana Synodo Goritiæ habita Nationis Germanicæ, & Sclavonicæ, Diœceſis Aquilejenſis, Anno Domini MDC. II. Junii.

Auſtriacæ jura, Patriarchæ Aquilejenſi Veneto in Goritienſem Comitatum, Styriam, Carnioliam, Carinthiam, Tyrolim (quarum partem ea Diœceſis complectitur) denique aditus interdiceretur. Id primo factum eſt anno 1621. Subinde cum Romæ, iterum propoſitis diverſis, eam controverſiam componendi, mediis, nihil efficeretur; iterata eſt illa Aquilejenſis Patriarchæ Veneti ab Auſtriacis terris excluſio anno 1641.

Sed optima Patriæ Mater MARIA THERESIA AUGUSTA cum fideles ſubditos ſuos, proprio animarum Paſtore deſtitutos, diutius vivere non ſuſtineret, a ſupremo Eccleſiarum Rectore Benedicto XIV. P. M. primum illud obtinuit, ut anno 1749. die 29. Novembris, & paullo poſt die 27. Junii 1750. Litteræ Apoſtolicæ Romæ ſignarentur, quibus Illuſtriſ. Excellentiſ. & Reverendiſſimus Dominus Carolus Michaël Comes ab Attems, antea Canonicus, ac Theſaurarius Eccleſiæ Baſileenſis, S. C. Regiæque Majeſtati ab intimis Conſiliis, Virtutum, Scientiæ, & promovendæ Divinæ Gloriæ ſtudio præcellens, renunciatus eſt *Vicarius Apoſtolicus Temporarius per Diœceſim Aquilejenſem in Auſtriacis Terris*, cui ſubinde eodem anno 1750. die II. Auguſti temporalium bonorum jura, nomine Auguſtæ Imperatricis Reginæ, in Urbe Goritia contulit Excellentiſſimus Dominus Liber Baro Antonius de Fin. Laudatus Vicarius Apoſtolicus, Epiſcopus conſecratus eſt Labaci, die XIV. Auguſti. Pergameni Antiſtitis collato titulo: ſacras cerimonias peregit Celſiſſimus Princeps, & Epiſcopus Labacenſis Erneſtus e Comitibus ab Attems, aſſiſtentibus Reverendiſſimis, ac Illuſtriſſimis Epiſcopis, Leopoldo Com. Petazzi, Tergeſtino,

& Bonifacio Ceroti, Petinenſi, ex Ordine Reformatorum S. Franciſci, cujus Diœceſis Iſtriæ partem Auſtriacam complectitur.

Cum Vicarii Apoſtolici ſolennis iſta inſtitutio nonnihil commoviſſet complures nobiliſſimi Senatus Veneti Patres; ſtudioſiſſima Pacis, & quietis publicæ Auguſta Domina noſtra, quæ aliud hac in re, præter ſuorum in Religione profectum, quærebat nihil, id denique effecit: ut, non modo de Aquilejenſis Patriarchæ jurisdictionis exercitio, ſed etiam de Limitibus Terrarum definiendis annoſa controverſia, conſentiente Sereniſſimo Veneto Senatu, omnis dirimeretur. Ita providentiſſimæ Principis Auguſtæ ſapientia, & magnanimitate: atque perſpicaciſſimi Senatus Veneti, æquitate, ac moderatione, duraturæ concordiæ jacta ſunt fundamenta, dum in eas conventum eſt conditiones: ut, Patriarchatus Aquilejæ omnino aboleretur, atque duo Archi-Epiſcopatus ejus loco conſtituerentur, ita, ut qui Utini hactenus reſidebat Patriarcha Aquilejenſis Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Daniel Delfinus, dum viveret, titulo Patriarchæ frueretur: deinceps vero *Archi-Epiſcopi Utinenſes* appellarentur, qui illi ſucceſſerint, eisque in ſacris pareret, quidquid in ditione Veneta Aquilejenſi Diœceſi antea fuerat adſcriptum. Archi-Epiſcopus vero alter Goritiæ Sedem figeret, qui Diœceſin Aquilejenſem, quatenus per Terras Auſtriacas diffunditur, Præſulis poteſtate regeret, paſceretque, ſumto *Archi-Epiſcopi Goritienſis* titulo. Epiſcopi, quorum in Terris Auſtriacis ſita eſt Diœceſis, quique antea Aquilejenſis Metropoleos ſuffraganei fuere, ſunto deinceps ſuffraganei Archi-Epiſcopi Goritienſis.

Re-

Reditus, ac poſſeſſiones Eccleſiæ Aquilejenſis, Auſtriacis Terris contentæ, cederent Goritienſi Archi-Epiſcopo, & Canonicorum Capitulo; itemque Utinenſis Archi-Epiſcopus poſſideret, ut & Canonici ejus, quod Venetis in Regionibus poſſederat hactenus Patriarcha, & Canonici. Denique neutra pars quidquam porro quovis titulo peteret, moveretque, quod ultra, minime vero quod contra hæc concordiæ pacta ullo modo eſſe videretur.

His clementer annuens Summus Pontifex Benedictus XIV. edita Conſtitutione (m) Romæ Anno Sal. 1751. Indictione XIV. die XIV. Menſis Julii, Pontificatus ſui anno XI. quæ incipit: *Injuncta nobis a ſupremo Paſtorum Principe* - - - - Patriarchatum Aquilejenſem omnino abolet: duos Archi-Epiſcopatus *Goritienſem*, ac *Utinenſem*, prædictis conditionibus erigit: Auguſtæ Auſtriacæ Domui in MARIA THERESIA, & ejusdem ſucceſſoribus jus perpetuum nominandi Archi-Epiſcopum Goritienſem addicit: atque ut controverſiarum, & ſuſpicionum quoque radix omnis evelleretur, Patriarchale Aquilejæ templum, Deo in honorem B. V. Mariæ in Cœlos aſſumptæ dicatum (quod hactenus etiam Parochiam unam annexam habebat) Parochia privat, eamque unit alteri Parochiali templo S. Joannis in Foro, ſeu in Platea nominato, ita ut una

(m) Titulus Conſtitutionis eſt ſequens: Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Benedicti Divina Providentia Papæ XIVe Conſtitutio ſuper Aquilejenſis Patriarchatus, & Sedis perpetua ſuppreſſione, & extinctione: nec non erectione duorum Archi-Epiſcopatuum, Utinenſis, & Goritienſis, cum aliis opportunis diſpoſitionibus. Romæ MDCCLI. Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

totius Aquilejenſis Oppidi hæc ſit Parochialis Eccleſia S. Joannis, Archi-Epiſcopo Goritienſi in ſpiritualibus ſubjecta. Patriarchialis vero illa Eccleſia B. V. Mariæ, exemta, & ſoli Romano Pontifici obnoxia ſit, qui Apoſtolicum Delegatum conſtituet, ſed ſemper aliquem e ſubditis Domus Auſtriacæ, ſoli S. Sedi in ſpiritualibus obedientem: Delegato huic etiam ſacrarum Virginum Cœnobium, quod Aquilejæ eſt, pariter ab ordinarii jure exemptum, dirigendum committetur.

Inclinante anno Salutis MDCCLI. Primus Goritienſis Archi-Epiſcopus ab Auguſta Imperatrice, ac Regina MARIA THERESIA nominatus eſt idem, qui hactenus ampliſſima ſolliciti, & amantiſſimi Paſtoris laude Vicarii Apoſtolici munus, per Diœceſim Aquilejenſem in terris Auſtriacis obivit, Excellentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Comes Carolus Michael Attemſius. Equidem Summi Pontificis autoritas, qua nominato Archi-Epiſcopo ſacra poteſtas conferenda eſt, nondum etiam publicis litteris, Viennam allatis, acceſſit, dum hæc Typis damus; ſed eædem auctoramenti Apoſtolicæ Litteræ citra omne dubium hujus anni MDCCLII. decurſu expectantur.

Suffraganei Metropolitanæ Goritienſis Eccleſiæ deſignati ſunt Epiſcopi: Tridentinus in Tyroli, Comenſis in Mediolanenſi Ducatu, Tergeſtinus, & Petinenſis in Iſtria Auſtriaca. Archi-Epiſcopo Canonicorum Collegium propediem adjungetur, Præpoſito, Decano, & Primicerio, conſpicuum: quorum ſuſtentationi Abbatiæ Roſacenſis, & Belinienſis, aliique ſacris Curionibus deſtinati reditus ſunt conſtituti. De Goritiæ prævia quadam notitia hæc delibata ſunto.

CA-

CAPUT II.

Primorum Goritiæ Comitum Origo, nexusque, ſæculi decimi, utque undecimi decurſu, probabili ratione diſpicitur.

QUonam anno, & vero etiam ſæculo, Goritiæ Comites eſſe, dicique cœperint, nemo ad hanc diem, certis, quod ſciam, argumentis commonſtravit. Par fere obſcuritas involvit Goritienſium Comitum Familiæ originem, quam alii ad aliam Germanicorum Principum præclaram ſtirpem referendam cenſent. Germanorum enim e ſanguine profluxiſſe Goritienſium Comitum genus, ſi alia deeſſent rationum momenta, priſca certaque eorundem ſatis demonſtrarent nomina: *Meinhardi ſive Mainardi*, *Menchardi*, *Menardi*, *Minginhardi*: *Engelberti*, ſeu *Engelbrechti*: *Hainrici*, vel *Henrici*: *Adelbrechti*, *Adelperti*, *Adelberti*, vel *Alberti* &c. 1

Certis veterum deſtituti Documentis, ad probabilia hac in re deſcendendum duximus: cum, ut perſpiceretur, quo fundamento nitantur ea, quæ de Goritiæ Comitum proſapia, primaque memoria, ab aliis ſcriptoribus, quos quidem nacti ſumus, tentata, productaque fuerint; tum ut materies aliqua ſuppeteret Eruditis, e qua firmiorem aliquam magisque concinnam antiquioris Genealogiæ, & Chronologiæ Goritianæ fabricam, ex rudi hac noſtra mole conſtituerent.

Hunc igitur in permoleſta hac tractatione mihi ordinem præſcripſi, *Primo:* Paucis inveſtigabo ea tempora, quibus in varios Comites, Ducesve diſpertita eſt Foro-Julienſis Provincia, ſub Francorum, & quorun-

rundam ſequentium Germaniæ Regum Imperio. *Secundo* diſpiciam: undenam ſcriptores haud contemnendi Goritienſium Comitum Familiam deducendam crediderint. *Tertio*: Quæ ſingulares de antiquiſſimis Goritiæ Comitibus ſeſe nobis obtulerint notitiæ, quaque fide dignæ? *Quarto:* Quænam, ex antea diſcuſſis, probabilis Goritienſium Dynaſtarum ſeries, ante ſæculum a Chriſto nato duodecimum, conſtituenda ſit, quo meliore modo potero, pertentabo.

Et primo quidem, omne illud temporum intervallum, quo Romani prius, deinde Barbari, ac præcipue Longobardi, Foro Julio, Carnico, & Venetia omni potiti ſunt, nihil ad Goritienſium Comitum inquirenda primordia habet momenti. Fabulas enim illas, quas vel in *Chronico Carinthiaco* JACOBUS UNREST de Attila, quem Etzel appellat, ejusque ſocio Duce Carinthiæ, Comitatu Goritiæ donato: vel in CARNIOLIA ſua LUD. a SCHOENLEBEN, de Gaudentio Hilario, Carinthiæ Palatino, caſtra Attilæ ſecuto: vel de Alano de Goritia, contra Attilam, ſub Foreſto Eſtenſi, armato, produxerat MEGISERUS in *Chronico Carinthiæ*, vix memoria, minus confutatione dignas arbitramur.

II. Verum poſteaquam Carolus Magnus anno Sal. 774. Ticinum urbem cepit, magnamque Italiæ partem, atque ipſum Deſiderium, Longobardorum poſtremum Regem, in poteſtatem ſuam redegit; varia ſe produnt Ducum, Marchionum, Comitum *Initia*, qui in Foro Julio, Carnico, Venetia, Provinciis præfuere. Tertio quippe, a capta Ticino, anno ineunte, Aeræ Chriſti 776. Seditionem commovit Fori Julii Dux Rotgaudus ſeu Hruodgaudus, quæ diviſioni ejus Provinciæ in plu-

plures Comites anſam Carolo præbuit eo faciliorem; quod inter politicæ ſcientiæ regulas, illa apud Carolum non ultimo eſſet loco: majores Provincias in plures Præfectos eſſe diſpertiendas. Rem geſtam ipſa EGINHARDI verba dilucide exponunt. (a) „ Regi „ (Carolo) domum revertenti, nunciatur: Rotgaudum Longobardum, quem Foro Julienſibus Ducem „ dederat, in Iſtria res novas moliri - - - - Rotgaudoque, qui Regnum affectabat, interfecto, Civitatibus quoque, quæ ad eum defecerant, ſine dilatione receptis, & in eis Francorm COMITIBUS conſtitutis, eadem, qua venerat, velocitate reverſus „ eſt) ſimilia plane referunt ANNALES BERTINIANI (b) qui adjungunt: Carolum Tarviſii Paſcha celebraſſe.

Alteram terrarum, circa Goritiam noſtram ſitarum, diſtributionem idem Carolus Magnus fecit anno 806. (ſeu noſtro Juliano anno 805.) de qua ſequentia EGINGARDUS (c) „ Statim poſt natalem Domini venerunt Wilharius, & Beatus, Duces Venetiæ, nec „ non & Paulus Dux Jaderæ, atque Donatus ejusdem civitatis Epiſcopus, legati Dalmatarnm ad præſentiam Imperatoris cum magnis donis. Et facta eſt „ ordinatio ab Imperatore de Ducibus, & Populis, „ tam Venetiæ, quam Dalmatiæ. Prætereo hic *Ericum*, ſeu *Henricum* percelebrem quidem bello Pannonico, ab anno 791. ad 799. geſto; ſed cujus tempore nulla nobis ſe obtulit terrarum diviſio, aut Præfectu-

G ra-

(a) Eginhardi Annales ad annum 776. Du Chesne Hiſtor. Franc. Script. Tom. II. pag. 239.
(b) Annales Bertiniani ad annum 776. Du Cheſne Script. Hiſt. Franc. Tom. III. pag. 155.
(c) Eginhardi Annales ad an. 806. pag. 258.

rarum mutatio, quæ ad Goritianum agrum pertineret.

Anno 826. *Baldericus*, & *Gerboldus Avarici limitis cuſtodes in Caranthanorum provincia*, appellantur in EGINHARDI ANNALIBUS (d) Baldericum porro, præter limitem adverſum Avares, ſeu Hunnos, etiam Foro Julio (niſi & hic limes fuit) præfuiſſe, atque eo amoto, percelebrem Fori Julii diviſionem a Ludovico Pio ſuſceptam eſſe ad an. 828. docemur his EGINHARDI verbis: (e) („ Conventus Aquisgrani menſe Februa- „ rio factus - - - - Baldricus etiam Dux Foro-Julien- „ ſis, cum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pan- „ noniæ ſuperioris impune vaſtaſſent, honoribus pri- „ vatus, & Marca inter quatuor COMITES diviſa eſt) His conſentanea legimus in ANNALIBUS BERTINIANIS. (f) („ Marca, quam ſolus tenebat, inter quatuor „ COMITES diviſa eſt.)

Quinam illi quatuor Comites, quasve Provincias nacti fuerint, CL. P. MARCUS HANSIZIUS S. J. indagavit, (g) cenſuitque: Provincias illas fuiſſe: Carinthiam, Pannoniam inferiorem, Forum Julium cum Iſtria, & Carniolam cum Liburnia. *Carantanis* impoſitus eſt *Hebnwinus* Francus, poſt quem *Albigarius*, deinde *Pabo* eam Provinciam rexit. *Pannonia inferior Salachonem* Comitem Præfectum accepit. Hæc ex LIBELLO DE CONVERSIONE BAJOARIORUM & CARANTHANO-

(d) Annales Eginhardi ad an. 826. pag. 269.
(e) Eginhardi Annales ad An. 828. pag. 271.
(f) Annales Bertiniani ad An. 828. pag. 185.
(g) Marci Hanſizii S. I. Germaniæ Sacræ Tom. II. pag. 128.

NORUM deſumta ſunt (h). Quisnam vero *Forum Julium cum Iſtria*, atque Carnioliam cum Liburnia ſortitus ſit, nondum a quoquam expeditum novi.

Subinde anno 861. Carolomannus Pabone pulſo, III.
(i) reliquos item („ expulit Duces, quibus cuſtodia „ commiſſa erat Pannonici limitis, & Caranthani, at- „ que per ſuos Marcam ordinavit) ut memorant ANNALES FULDENSES (k) Ex eo tempore *Eberhardus* Comes, atque poſt eundem filius ipſius, *Unrochus*, ſeu *Unorichus*, ſive Henricus, Foro Julio præfuit: Unrocho ſucceſſit celebris ille *Berengarius*, poſtea Imperator, frater Unrochi, circa annum 876. (l) Varias inter fortunæ vices cum Berengarius regnaret; ab *Arnulfo* Rege, Italiam anno 895. ingreſſo, *Walfredus* Foro Julio præficitur. Mortuo ſub annum 896. Walfredo (m) poſteaquam Arnulfus Germaniam eodem anno repetiit, (n) recuperato Foro Julio Berengarius *Grimoaldum* Rectorem dedit, qui *Illuſtris Viri, & Generoſi Marchionis* titulis in Berengarii Diplomatis (o) anno 905. & 922. cohoneſtatur. Ea ætate Provincia Fori Julii cœpit *Marchia Veronenſis* compellari. Ex LUIT-

(*h*) Apud Freherum Script. Rerum Bohem. Opuſculum de Converſione Bajoariorum, & Caranthanorum pag. 19. loco Hewnuinum habet Hebriwinum, & loco Pabo, Palio. Sed Hanſizii lectio e M. S. Biblioth. Cæſ. præplacet

(*i*) Chronicon Salzburgenſe an. 861.

(*k*) Annales Fuldenſes anno 861. Du Cheſne, Franc. Script. Hiſtor. Tom. II. pag. 557.

(*l*) Rubeis Monument. Aquil. Cap. XLVIII. pag. 429. &c.

(*m*) Annales Fuldenſes an. 896. pag. 582.

(*n*) Diploma Arnulphi Imperatoris: actum in Forcheim, datum Idibus Auguſti 896. apud Schatenium Annales Paderborn. Lib. III. pag. 233.

(*o*) P. Rubeis Monument. Aquil. Cap. LI. pag. 455. 458. &c.

PRANDO TICINENSI (*p*) conſtat: Carentanam Regionem curaſſe hoc tempore *Arnulphum Malum*, qui Luitpoldo Patri anno 907. (teſte ANNALISTA SAXONE) (*q*) in Ducatu Bavariæ ſucceſſit, eumque ad annum 937. adminiſtravit, uti advertit DOCTISS. PESLERUS (*r*) Porro deinceps iidem fere & Carinthiæ, *Ducis* titulo, & Marchiæ Veronenſi, *Marchionis*, *Comitisve* titulo præfuere.

Otto I. Imperator Berengario II, ejusque filio Adalberto, cognatis ſuis (*s*) Italiam confirmavit anno 952. excepta tamen Marchia Veronenſi, & Aquilejenſi, quam fratri ſuo HENRICO (*t*) (cui ANNALISTA SAXONE, & WITEKINDO teſte, anno 948. Bajoariam dederat) contulit, uti refert CONTINUATOR REGINONIS (*u*) Henrico Patri ſucceſſit in Bajoaria quidem certe Henricus filius anno 955. At in Carinthia, & Marchia Veronenſi Dux erat ſubinde alius *Henricus junior* dictus, Bertholdi filius, quem etiam Nepotem ſuum anno 985. Otto III. appellat. (*x*) Vel idem Henricus, vel

(*p*) Luitprandus Ticinenſis Hiſtor. Lib. III. Cap. IV. apud Reuberum pag. 127. edit. Wechelianæ.

(*q*) Annaliſta Saxo ad Annum 907. Eccardi Script. Tom. I. pag. 238. & ad annum 937. pag. 262.

(*r*) Pesler ſeries Ducum Carinthiæ pag. 7.

(*s*) Ottonem I. ex Berengarii I. ſorore Hadvvige: Berengarium II. ex Gisla Berengarii I. Filia, deſcendiſſe, oſtendit J. G. Eckardus in notis in Vitam Hathumodæ Abbatiſſæ a pag. 36.

(*t*) Witeckindus Annalium Lib. III. pag. 652. Meibomii Rer. German. Tom. I. & Annaliſta Saxo ad an. 952. pag. 282. Eccardi ſcript. Tom. I. Item Witekindus Lib. II. pag. 649.

(*u*) Continuator Reginonis ad annum 952. Piſtorii ſcript. Tom. I. pag. 78.

(*x*) Henricum Carinthium, ab Henrico Bavaro, Henrico I., filio diverſum faciunt Ditmarus, & Annaliſta Saxo, & Hermannus contra-

vel Sanctus Henricus, poſtea Rex; *Bajoariorum, Caranthanorum, & Marchiæ Veronenſis Dux*, anno 993. (y) in Tabulis publicis poſtremum comparet apud UGHELLUM, & HUNDIUM.

Denique Henricum excepit *Otto*, Conradi Franconici, Ducis Lotharingiæ, Filius, qui Caranthanis, & Marchiæ Veronenſi præfuiſſe, certa fide legitur, annis 996. & 1003: nam de anno 983, vivente dum Henrico, res dubio non vacat. (z) Poſt Ottonem Conrado, ejusdem filio ceſſit Carinthia, & Marchia Veronenſis: eædem Conrado, Conradi filio, ademtæ ſunt anno 1012. Rem perhibet HERMANNUS CONTRACTUS ad eundem annum 1012. ("Conradus Dux Carentani, „Filius Ottonis Ducis, fraterque Brunonis dudum Pra„gæ obiit: & privato filio ejus puero Conrado, Adal„bero Ducatum accepit (*a*) Hic *Adalbero* Anno 1013. apud MURATORIUM *Antiquit. Eſtenſium Cap. XI.* (quem P. RUBEIS citat) ſententiam tulit Veronæ, in qua

ctus: optime diſtinguit Otto III. in Diplomate anni 985. Indict. XIV. apud Hundium Metrop. Salis. Tom. I. p. 241. his verbis: Interventionibus ------ amborumque Nepotum noſtrorum Hennicorum, Ducum ſcilicet Bavariæ, ac Carinthiæ regionum.

(y) Ughellus Tom. V. Ital. S. in Othelberto Veronenſi pag. 747. ubi: Dominus Henricus - - Karentanenſis, atque iſtius Marchiæ Veronenſis ----- & Dux appellatur. Hundius Tom. I Met. Salis. pag. 93. Diploma Ottonis III. ann. 993. refert, quo Henricus Bajoariorum, & Karanthanorum Dux nominatur. Quia Bajoariorum Dux hic dicitur, puto Henricum ſanctum hic intelligi, & Henricum, Bertholdi filium, antea obiiſſe.

(z) Annaliſta Saxo ad ann. 1002. p. 388. Eccardi Tom. I. Otto Carintinorum Dux, & Veronenſium Comes, filius Conradi Ducis, qui ad Fluvium Lech ----- occiſus eſt. Vide Rubeis Monument. Aquil. Cap. LII. pag. 482. & Pesler ſeries Ducum Carinthiæ. pag. 10. & 13.

(a) Henrici Caniſii Tom. I. p. 579. Edit. Ingolſtadienſis.

primas partes agit *Adalperio hujus Marchiæ Dux*, nempe *Veronenſis*. Fuit hic Adalbero, Marquardi Muerzthalenſis filius, & alterius Marquardi Pater, de quo inferius.

Hæc hactenus delibata ſunto de præcipuis Fori Julii, & Caranthanorum revolutionibus, Præfectisque, uſque ad undecimi ſæculi initia. Proſunt ea ad cognitionem ſtatus ejus regionis, cui tunc inſertus erat Goritienſis ager, atque occaſionem dant aliquam diſpiciendi: poſſitne ex hiſce Comitibus, Ducibusque aliquid extundi, quod ad Goritienſium Comitum initia, & ſtirpem detegendam quoquo modo faciat. De hujus igitur ſtirpis origine hic aliqua diſceptabimus: mox ad ſingulares de Goritianis Comitibus notitias, majore fortaſſe opere pretio, digrediemur.

IV. JACOBUS UNREST ſæculi XV. ſcriptor binis locis (*b*) ſui CHRONICI CARINTHIACI contendit: Comitum Goritiæ ſtirpem e Ducibus Carinthiæ oriundam eſſe. Verum, quoniam e variis prorſus familiis Carinthiæ Duces, ab ſæculo X. ad XIII. conſtitutos novimus: Francos, Saxonico-Bajoarios, Franconicos, Suevos, Noricos Muerzthalenſes, ſeu Eppenſteinios Comites, Ortenburgicos item, ſeu Sponheimenſes; incerta utique, tot inter ſtirpes, Goritienſium manet origo; quando ipſe UNRESTUS Familiam nullam definit. Accedunt manifeſtæ Fabulæ illi narrationi, de Carinthiaca origine, illigatæ; ut prorſus lucis nihil, aut perparum hic Autor, hac quidem in re, attulerit. De

(*b*) Jacobi Unreſt Chronicon Charinthiacum Germanice ſcriptum Hahnii Collectio Monum. Tom. I. pag. 490, & 523.

De Eppenſteiniis Comitibus, quæ mea ſit opinio, inferius aperiam.

Nobilis Auſtriacæ Hiſtoriæ ſcriptor FUGGERUS (*c*) e Suevia ſua Comites illos veniſſe arbitratur, qui *Andacenſium* nomine, ſeu *de Andechs*, poſtea inclaruere, e quibus Goritienſes quoque, ac Tyrolenſes Comites prodiiſſe cenſet. At enim cum ipſe Illuſtris Autor fateatur: Genealogiam, ab ſe productam, ab anno denique 1180, nec antea, certam defluere; Goritienſium vero, atque Andacenſium, Tyrolenſiumque certam, continuamque ſeriem, etiam ab annis anterioribus inchoatam, *Capite ſequente, & altero* probaturi ſimus, quin tamen origo ſtirpis Goritienſium perſpicuo ſe indicio illic prodat: pronum inde eſt judicatu, ex Fuggeri conatibus nihil ſolidi ſubſidii hac in cauſa expectandum eſſe.

Andacenſium ſtirpem, ortosque inde Goritianos Comites e Francorum Regno arceſſit CHRONICON SANCTI MONTIS ANDECHS (*d*) germanico idiomate ſcriptum, cujus ſententiam, ad verbum latine redditam referre libet; poſteaquam confuſe aliqua de vetuſtioribus ejus generis comitibus dixiſſet, deinde de S. *Rathone* ſeu *Ratzgen* ſequentia prodit: ("Quod majores ejus (Ra„thonis) attinet, fuit is Dominus oriundus e Franco„rum Regno, atque illi majores cœperant in monte „(An-

(*c*) Fuggeri Seculum honorum Dom. Auſtr. edente Birkenio Lib. III. Cap. VIII. pag. 340.

(*d*) Tria exempla hujus Chronici in Cæſarea Vindobon. Biblioth. inſpecta ſunt: unum M. S. Latinum, N. 74. olim 274. codd. latin. Hiſtor. ſacræ: is codex deſcriptus eſt 1457. cui compactus eſt alter ejusdem Chronici Codex, Germanico alio charactere ſcriptus. Tertium exemplar Germanicum Typis vulgatum 1572. ſine loco.

„(Andechs) ædificare, & conſtruere Caſtellum, fuit„que unus Dux Bajoariæ, & Palatinus Rheni, & Dux „in Burgundia, & Dux in Franconia, & in Suevia, „unus Dux de Meran, & de Carinthia, unus Comes „de Goritia, unus Marchio Iſtriæ, & unus Dominus „de Andechs) (*e*) Videtur hac enumeratione, non ſatis perſpicua, Autor complecti voluiſſe Principes omnes, qui quocunque tempore ſubinde ex hac gente prognati, alicubi terrarum rerum potiti ſunt; de ſolo quippe Rathone cum veritate hæc omnia dici nullo modo poſſunt.

De Goritienſibus deinde Comitibus ſingillatim, in MSto Codice, ſubjicit Autor Chronici ſequentia ("Do„mini ac Dominæ Goritiæ præ ceteris ſæpe viſitarunt „Sepulchrum Sancti Ratzgen idcirco, quod ex eadem „ſtirpe, & progenie fuiſſent.)

Res geſtæ hujus Sti Comitis memorantur in Chronico laudato: eundem bis prælio fudiſſe Ungaros (quod ad annum 948. refert. MEICHELBECKIUS (*f*)) deinde induiſſe in fundato ab ſe cœnobio monachum S. Benedicti, ſanctequeducta in monte vita, anno 954. ad ſuperos abiiſſe: Ceterum de Comitum Goritianorum, definito per certa nomina, cum Andacenſibus nexu, verbum nullum. Alia præterea de S. Rathone memorat HUNDIUS, ejus obitum ponit an. 954. XV. Kal. Junias. (*g*)

WOLF-

(*e*) In exemplo typis 1572. edito, habetur: Et unus Dominus & Comes de Andechs.

(*f*) Meichelbeck Hiſtor. Friſingenſis Tom. I. Parte I. pag. 168. Ex Chronico Andecenſi & Bucellino.

(*g*) Hundius Gevvoldi, Metrop. Salis. Tom. III. pag. 154. in Hundio annus obitus eſt 904. ſed error typi corrigendus e pagina præcedente 153.

WOLFGANGUS LAZIUS (h) antiquiorem Sancto V.
Ratzgone aliquem, e Goritienſium Comitum majoribus, *Gotofridum* nomine, qui primus ſuorum in Foro Julio pedem fixerit, nobis protulit, eamque narrationem aliis ſcriptoribus comprobare voluiſſe videtur. Verum ut exemplo hoc inſigni palam fiat, quam parum Lazio in genealogiis fidendum ſit, verba ejusdem proferimus („ Horum poſteri diviſo ſtemmate, alii in Fo-
„ rum Julium translati, Noritiam condidere: alii vero
„ in Bavariæ genitali ſolo manſerunt. Primus igitur,
„ qui legitur in Foro Julio, & Iſtria reſediſſe, Goto-
„ fridus fuit, quem Annales Hungariæ Meraniæ Du-
„ cem vocant, & auxilio Gregorii Patriarchæ Aqui-
„ lejenſis, ac Bernhardi Carinthiæ Ducis, Hungaros ad
„ Labacum viciſſe referunt, Ottone primo Imperatore
„ Anno Domini 906. De quo Lambertus Schaffnabur-
„ genſis in ſuis Annalibus ita ſcriptum reliquit: Rex
„ habita cum primoribus deliberatione, Gerardum Flo-
„ rentinum Epiſcopum, in quem & Romanorum, &
„ Teutonicorum ſtudia conſenſerant, Pontificem deſi-
„ gnat, Romamque per Gotofredum Marchionem
„ transmittit. Hæc ille. Qui ſecuti ſint tunc in Agro
„ Foro Julienſi, nondum deprehendi. At in Bavaria,
„ poſt aliquot annorum intervalla, Raſſo quidam, qui
„ & Gafradus, floruit anno 954. autor cœnobiorum
„ Andacenſis ac Werdimſakh, ob vitæ continentiam
„ inter Divos relatus.

Nihil ſanum, aut cohærens invenio in tota iſta narratione, quæ de *Gotofrido* contexta eſt. Quos hic

(h) Wolfgangus Lazius Commentar. Reipubl. Rom. Cap. II. pag. 1024.

Autores binos LAZIUS teſtes adducit, eorum alter anachronismis ſcatet; alter nihil prorſus ad rem facit. ANNALES HUNGARIÆ, quos LAZIUS appellat, ſunt *Chronica Hungarorum* JOANNIS THWROCZII; videamus enim vero, quid in his ſit momenti (i) („ Poſtquam „ autem Zwatapolug per Hungaros, ut ſuperius dici„ tur, eſt necatus, & Hungari deſcenderunt in Pan„ noniam: per ſex annos eorum arma, & equos me„ liorare curaverunt. Anno igitur ſeptimo Moraviam, „ & Bohemiam, in quibus eo tempore Dux Vratis„ laus regnare videbatur, crudeliter ſpoliaverunt. „ Exinde cum victoria redeuntes, treugis ordinatis, cum „ præfato Duce uno anno quieverunt. Poſt hæc Ca„ rinthiam hoſtiliter adeuntes, ultra Caſtrum Leopach „ (Laubach) Dux Moraviæ (Meraniæ) Gothfridus „ nominatus, & Dux Carinthiæ Eberhardus, nec non „ Gregorius Aquilejæ Patriarcha ipſis occurrentes in „ ſimul atrociter pugnaverunt. Et quamvis ex Hun„ garis plures, ibi cecidiſſent, tamen ambos Duces „ Hungari occiderunt, Patriarcha tantum per fugam „ evadente. Abinde, ſpoliata Carinthia, Carniola, „ & Stiria, cum maxima præda ſunt reverſi. Cæſar „ igitur Conradus audiens, quod Hungari Imperii ſui confinia intraſſent - - - - - - &c.)

Zwatapolug ſeu Zwentiboldus, ſeu Zwatoplick (quem *Annales Hepidani* anno 901. a ſuis interfectum ſcribunt) antea victus eſt ab Hungaris, teſtibus COSMA PRAGENSI, & JOANNE DUBRAVIO (k) anno 894. Ita-

(i) M. Johan. de Thwrocz Chronica Hungarorum Cap. 23. pag. 36. Rerum Hungar. Scriptores Francofurti 1600.

(k) Cosmas Pragenſis Chronica Bohem. ad annum 894. Scriptores Rer.

Itaque anno abhinc, vel decimo, vel nono, id eſt, anno Æræ Chriſtianæ 903. vel 904. Id LAZIUS refert ad annum 906. in tot Hungarorum, hiſce annis, irruptionibus, tolerabili ampliatione. At illud tolerari nequit: ad annum 906. Othonem I. Imperatorem a Lazio, & a Thwroczio ad annum 904. Conradum Cæſarem, ſeu Regem, adductum eſſe, cum cuivis notum ſit: ab anno 900. ad 911. Ludovicum IV. Infantem dictum, Germaniæ ſceptra tenuiſſe. Poro neque *Eberhardus*, neque *Bernardus Carinthiæ Dux* hac ætate apud probatos ſcriptores invenitur; niſi MEGISERO cæcam fidem præſtare libeat. Multo minus *Gregorius* Patriarcha Aquilejæ huc aptari poteſt: quando Patriarchalem illum Thronum nemo, *Gregorii* nomine inſignis, ante annum 1251. conſcendit; uti apud UGHELLUM & R. P. DE RUBEIS videre licet. Denique his annis Gerardus Florentiæ Epiſcopus non fuit, ſed Lucæ: Florentinus vero Epiſcopus Gerardus ſub annum 1046. comparet apud Ughellum (l)

Alter Autor, a LAZIO attractus teſtis, eſt LAMBERTUS SCHAFFNABURGENSIS; ſed ejusdem recitata verba nihil huc omnino faciunt, nec ad bellum Hungaricum, nec ad annum 906. cum quo Gerardus Florentinus Præſul ſtare nequit. Videtur mihi Lazius perinde, ac Thwroczius confudiſſe res, ac tempora, & *Gotefridum* Marchionem Putinæ, atque partis ſuperioris Styriæ (quæ fere Carinthiæ tum adſcribebatur) illius incogniti *Gotofridi Meraniæ Ducis* loco ponere vo-

Rer. Bohem. Freheri ſub initium pag. 10. & ſub finem Lib. I. pag. 11. Joannes Dubravius Hiſtor. Bohemiæ Lib. IV. pag. 24. apud Freherum parte ultima.

(l) Ughelli Ital. Sacr. Tom. III. pag. 27. & 62. edit. Venetæ.

luiſſe. Sane THWROCZIUS ad annum 1042. ſub Ava Rege Hungariæ, & Henrico III. Cæſare *Gotefridum Marchionem Petomæ* producit, qui de Hungaris in Carinthiam irruentibus ſpolia retulit (m) eundem Gotefridum ſub Henrico III. memorat HASELBACHIUS (n) eumque contra Hungaros pugnaſſe perhibet, cum *Gregorio Aquilejenſi Patriarcha*: Qua in re itidem errat, ſed ita errat, ut hic error ad ſuperiorem illum manifeſte referri videatur.

Quod ne dubium ſit, accedit LAMBERTUS SCHAFNAEURGENSIS, (o) qui ad annos 1041. & 1042. irruptionis Hungarorum in Carinthiam mentionem facit, non appellato tunc Gotefrido; attamen ad annum 1044. ac deinceps, Gotefridi alterius, Gozelonis filii, Ducis Lotharingiæ meminit, qui huc non facit. Denique ad annum 1059. illa narrat LAMBERTUS (p), quæ LAZIUS ad annum 906. protulit: hic *Marchio Godefridus* appellatur, per quem *Gerardus Florentinus* Romam miſſus eſt ab Rege Henrico IV. in confinio Hungariorum, & Bulgariorum tunc agente. Denique LAZIUS ipſe ſemet corrigere videtur (q), dum e REGINONE Hungaros a Carantanis cæſos memorat ad annum 944. Sed hoc quoque anno nullus *Gotefridus Meranius* comparet: niſi Gotefridum *Putinenſem*, in Tyroli quoque aliqua poſſediſſe fingamus.

Sa-

(m) Thwrocz Chron. Hungar. Cap. XXXVI. pag. 43.
(n) Thomas Eberndorferus de Haſelbach Chr. Auſt. pag. 698. Hier. Pez Script. Auſt. Tom. II.
(o) Lambertus Schaffnaburg. de Rebus Germ. pag. 159. Piſtorii Tom. I.
(p) Idem ibidem pag. 164.
(q) Lazius de Migrat. Gent. Lib. VI. pag. 162. ubi rurſum Chron Hungar. citat, & Reginonis locum, qui extat Piſtorii Tom. I. pag 77.

Sane *Gotefridus* iſte LAMBERTI SCHAFFNABURGENSIS, anni 1059. Lazio poterat idem eſſe videri, ac *Marchio Petomæ* Thwroczii, & *Gotefridus Comes Putinenſis*, Arnoldi Comitis Lambacenſis filius, ex Regila Franconica genitus, qui ab ANONYMO LAMBACENSI (r) vocatur: *Marchio ſtrenuus & fortis, crebris præliorum ſucceſſibus fortunatus*, utique adverſus Pannonios, ad quorum limitem ſitam eſſe *Putinam Urbem* monet Anonymus: Sed ne ſic quidem Lazius placet.

Quod ſi etiam demus, *Gotefridum* illum Lazii ex Andexiorum ſtirpe, & cum *S. Rathone* qui vulgo *Graf-Rath*, vel *Gafrad* dictus, & anno 954. mortuus eſt, eundem fuiſſe; nihil tamen certi id conferret, ad detegenda *in Foro Julio Goritiæ Comitum* primordia. Et ſane licet recentiores ſcriptores Goritianos Comites ab Andexiis proceſſiſſe paſſim aut aſſerant, aut ſuſpicentur; nemo tamen, quod ſciam, ſufficientibus argumentis iſta corroboravit. Nam ſola CHRONICI ANDECENSIS autoritas tanta non eſt, ut citra dubium eidem acquieſcamus; neque ſatis valet illa ratio: Andecenſium nonnullas, ac Tyrolenſium terras omnes, ad Goritianos tranſiiſſe. Iſta enim affinitatis jure obtineri potuiſſe, ſequente capite declarabimus: tametſi ibidem, ſub finem a N. XXV. ad XXX. dicturi ſimus, pro Tyrolenſium Comitum aliquo cum Goritianis nexu alia per conjecturam ſuppetere. VI.

Andecenſium ſtirpem inde a Ratholdo, Arnulphi

(r) Anonymi Benedictini Lambac. Vita B. Adalberonis pag. 7. Hier. Pez Script. Auſt. Tom. II. Vide etiam Annales R. P. Calles S. J. Tom. I. Lib. VI. pag. 333. nota A.

Cæſaris filio, deducunt AVENTINUS (*s*), & HUNDIUS (*t*): neque tamen Goritienſium cum Andexiis nexum alium ſtatuunt, quam *Affinitatis*. Quas porro Goritienſium Genealogias protulere MEGISERUS, FUGGERUS, ALBRIZZIUS, HÜBNERUS, Nihil ſolidi ad comprobandam ab Andexiis originem conferunt, & mancæ fere ſunt, ac mendoſæ. Duorum Italorum Genealogiam Goritienſem ne in Cæſarea quidem Vindobonenſi Bibliotheca nanciſci potui. Hæ ſunt: JACOBI BRACELLII, *Genealogia Comitum Goritiæ* de hac tamen dubito, an omnino extet: Altera: DOMINI NOBILE D'ISCHIA *Hiſtoria della principale contea di Goritia -- o ſia raconto Chrono -- Semmatograffico di qué Prencipi Conti.* At ſi quid magni momenti in his lateret, nullus dubito, quin Doctiſſimus P. de Rubeis, aliive inde aliqua protuliſſent.

Sepoſito igitur tantiſper in originem ſtirpis Goritianorum Comitum indagandi ſtudio, ad ſingulares quasdam notitias me converto, quas decimo, atque undecimo a reparata ſalute ſæculo offendi. *Abraham* Epiſcopus Friſingenſis a JACOBO UNREST Goritienſium Comitum numero inferi videtur. Verba Autoris ita Latine reddo: ("Palatini Carinthiæ, nunc de Goertz „dicti, & ſunt ipſi tamen nati Duces Carinthiæ: uti „Scripturæ memorant. Eorum quidam, nomine A„braham, erat Ftiſingenſis Epiſcopus: hic fundavit „Præpoſituram in Wertſee) Abrahamum hunc ab anno 957. ad 994. circiter Eccleſiæ Friſingenſi præfuiſſe, oiten-

(*s*) Aventinus Libro VII. Annalium Bojor. pag. 692.
(*t*) Hundius Stemmat. Bavar. P. I. pag. 23.
(*u*) Jacobi Unreſt Chronicon Carinthiæ pag. 523. Hahnii collect. monum. Tom. I.

TABULA I.

AD CAPUT II. *pag.* 63.

GODEFRIDUS (DUX MERANIÆ) Comes in Heimvœls, Luenz, & Sonnenberg. *p.* 65. 84.
Uxor LUITGARDIS e Comitibus de Stillehæfte.

S. OTWINUS, natus 951. in Heimvœls *pag.* 63. *&c.*
Monachum indutus obiit circa 995. ſepultus in Langenſee, ubi fundavit Parthenonem. Colitur 7. Januarii.
Uxot I. GLICHA 975. † 978. *pag.* 65.
Uxor II. WICHBURG, Friderici Comitis de Ortenburg ſoror, altera Fundatrix in Langenſee 1006. † 1017. 20. Julii. *pag.* 65. & 67. *&c.*

Filiæ.

1.	1.	2.	2.	2.
HILDEGARD, prima Abbatiſſa in Langenſee. *pag.* 65. & 66.	RICHILD	WICHBURG Uxor HENRICI N. — WICHBURG Ima Abbatiſſa in Sonnenberg.	HILTIBURG ſecunda Abbatiſſa in Langenſee.	PERCHTIGUND, tertia Abbatiſſa in Langenſee.

Filii S. Otwini.

B. HERTWICUS Epiſcopus Brixinenſis 1027. 1028. 1038. † 1046. *pag.* 65. 68.

ENGELBERTUS Comes 1028. *Uxer* LUITKARDIS. *pag.* 66. 68. *&c.*

VOLKOLDUS Marchio, dein Levita 1018. Fundator Parthenonis in Sonnenberg. *pag.* 65. *&c.* 69.

. . . . . .

SIGEFRIDUS Comes in Valle Puſtrina 1048. *Vide Cap. III. N. XXIX. pag.* 145.

. . . . . .

GODEFRIDUS II. Advocatus Eccleſiæ Tridentinæ 1082. *Vide Cap. III. N. XXIX. pag.* 145.

. . . . . .

ADALPRETUS ſeu ALBERTUS. Comes in Tyrol, Advocatus Eccleſiæ Tridentinæ 1106. 1110.

ENGELBERTUS I. Comes Goritiæ 1122.

MEINHARDUS I. Comes Goritiæ 1122.

De his vide Tabulam ſecundam.

Comites Forijulii & Goritiæ Domini.

VARIENTUS, ſeu WERIHEN 1001. 1029. *pag.* 72. *&c.*

AZO 1027. *pag.* 73.

. . . . . .

N. Comes Fori julii. *pag.* 73.

Comites Eppenſteinii in Murzthal.

MARQUARDUS. *Vide Pesleri ſeriem Duc. Carinth. pag.* 73. *&c.*

MARQUARDUS. *Uxor* HADMUDA Adalberonis Eberſpergenſis filia.
Tentam. p. 53.

ADALBERO Dux Carinthiæ 1012. Exauctoratur 1035. † 1039.
Uxor N. (BRIGIDA vocatur in vetere Rationario Goritienſi) Filia Hermanni Ducis Sueviæ. *pag.* 76. 79.

LUIPOLDUS Marchio † 1045. *pag.* 77. *&c.*

MARQUARDUS Comes Goritiæ circa annum 1068. *pag.* 74. *&c.* 79. Dux Carinthiæ 1073.
Uxor LUITPIRGA. *pag.* 80.

ADALBERO Epiſcopus Bambergenſis 1054. † 1057.

LUITOLDUS Dux Carinthiæ 1077. † 1090. *pagina* 77. *&c.*

HENRICUS Comes Goritiæ: Dux Carinthiæ 1090. † 1127. *pag.* 74. *&c.*
Uxor I. LUITKARDIS. *pag.* 80.
II. BEATRIX (*forte*)
III. SOPHIA Alberti Pulchri, March. Auſtriæ, Filia. *p.* 83.

UDALRICUS Patriarcha Aquilejenſis. 1086. † 1121. vel 1122. *pag.* 83.

HERMANNUS Epiſcopus Patavienſis 1085. † 1087.

oftendit R. P. MEICHELBECK BENEDICTINUS (x); dubitat vero, utrum aſſentiendum ſit iis, qui apud HUNDIUM (y) exiſtimant, Abrahamum ortum fuiſſe e Palatinis Carinthiæ, qui poſtea Comites Goritiæ dicti. In Diplomatis aliquot trium Imperatorum Ottonum, quæ refert HUNDIUS & MEICHELBECKIUS, nihil de comprobanda Abrahami ſtirpe ſe offert, niſi in Diplomate (z) Ottonis III. *dato Kal. Octobris anno IIM. Indictione II. anno autem tertii Ottonis regnantis Vlto Actum Franchenfurt-feliciter Amen.* Ubi mentio fit bonorum circa Gotzhe in Carniolia, ("ac quidquid inde locorum inter illas „proprietates duas ſitum eſt, Abrahæ videlicet Epi„ſcopi, & Werhardi Comitis.)

Verum, tametſi propria familiæ bona in Carniolia poſſederit Abraham, ea tamen Palatinum Comitem Carinthiæ non continuo evincunt : minus Goritienſium e Majoribus fuiſſe arguunt; quando ſæculo XIII. denique Goritiæ Comites, *Palatini Carinthiæ*, a probis ſcriptoribus, & in actis publicis appellari cœperunt. Neque ſane UNRESTUS diſerte Abrahamum *Goritienſem* facit.

Sed proprio *Goritienſis Comitis* titulo inſignis ab UNRESTO producitur alius, nempe *Beatus Otwinus*, hac laude (a) ("Comes Palatinus Otwein, unus de Goritia, fundavit „ Parthenonem S. Georgii in Langenſee, ubi ſepultus „ eſt. Erat ſanctæ vitæ & extremos vitæ dies ibi„dem VII.

(x) R. P Caroli Meichelbeck Hiſtor. Friſing. Tom. I. pag. 173. 174. & 187. 188.
(y) Hundius Metrop. Salis. Tom. I. pag. 105.
(z) Meichelbeck Tom. I. pag. 185. & 186.
(a) Unreſt Chronicon Carinthiæ pag. 524. Hahnii coll. Tom. I.

„dem in monte transegit, mundoque valedixit, ac „Deo ſervivit. Ideo dictus eſt ſanctus Otwein, quia „Deus per eum ſigna fecit,) Hæc Unreſti verba ideo apud me fidem habent, quod & MEGISERUS (*b*) e Catalogis illius monaſterii S. Georgii, in Carinthia, hodieque ſub Regula S. Benedicti florentis, ſimilia protulerit: & MEGISERO conſentanea, ſi non omnino eadem, de Otwini familia, apud HUNDIUM (*c*) perhibeat PUTSHIUS, Ferdinandi I. Regis Cancellarius: item BURGKLECHNER (*d*) Tabulariorum Tyrolenſium ſcrutator doctiſſimus, & Cancellarius Leopoldi Archiducis; qui duo e Tabulis Sonneburgenſis Monaſterii in Tyroli, ſua ſumpſiſſe videntur, quod fundavit Volkoldus, Otwini filius. Diligens quoque SCHOENLEBENIUS (*e*) nonnulla hac de re congeſſit. Accedunt porro non pauca, ex collectaneis MStis benigne mihi communicata ab A. R. P. HANSIZIO, celeberrimo Germaniæ ſacræ Autore (qui Carinthiacarum Rerum magnum Theſaurum collegit in ipſa Carinthia) cum ex notitiis Monaſterii in Langenſee, tum ex BAUTSHNERI JESUITÆ *Hiſtoria MSta Goritiæ, ab 1268. ad 1363. conſcripta.* Suffragantur iſtis, quæ CL. ROSCHMANNUS, Cæſarei Tabularii, quod Oeniponte eſt, Cuſtos digniſſimus, ad nos miſit, excerpta e *Diplomatis*, & ex *Codice donationum Brixinenſium*, atque ex *Notitia MSta Sonneburgenſis Mo-*

(*b*) Megiſerus, Chronicon Carinthiæ Lib. VII. Cap. LXXIII. pag. 826.

(*c*) Hundius, Stemmatographia ſeu Genealogia Bavarica Parte I. pag. 73. & Metrop. Salisburg. Tom. I. pag. 297.

(*d*) Matthias Burgklechner in Aquila Tyrolenſi MSta Lib. XVI. Cap. III. pag. m. 1101.

(*e*) Ludovicus a Schœnleben Carniolia Antiqua & Nova Parte III. ad

Monaſterii, ſed quam poſt HUNDIUM conſcriptam eſſe cenſet. Horum itaque Documentorum comparatione ſequens Schema Familiæ Otwini confecimus.

Godefridus (forte Dux Meraniæ) Comes in Sonneburg, Luentz & Heimvöls

Uxor *Luitgardis* e Comitibus de Stilleheffte. (1)

S. *Otwinus* natus 951. in Heimvöls. Fundator I. Parthenonis Ord. S. Benedicti in Langenſee in Carinthia, S. Georgio ſacri. Sub vitæ finem Monachum induit. Obiit circa 995. ſepultus in Langenſee. Memoria ejus VII. Idus Januarii colitur. (2)

Uxor I. *Glicha* e Comitibus Goritiæ: anno 975. mortua 978, in puerperio Filiæ. (3)

Filius *Volkaldus* (*Volerardus*, *Volkardus*) Marchio, vel aliis levita, Fundator Parthenonis in Sonneburg in valle Puſtrina Tyrolis, ad annum 1018. (4)

HUNDIUS & BURGLEHNER, cum BAUTSCHNERO, Volkaldum ex altera uxore Wichburgi natum putant.

MEGISERUS & SCHOENLEBEN e prima Uxore Anonyma etiam Engelbertum, & Volkmarum genitos cenſent.

Filiæ duæ e Glicha, quarum altera *Hildegardis* MEGISERO appellatur, Prima Abbatiſſa in Langenſee, rexit annis XV. altera videtur *Richildis* dicta.

Uxor II. Otwini *Wichburga*, (5) ſoror Friderici de Ortenburg, & Sponheim: Fundatrix altera in Langenſee

(1) Hanſiz ex Bautſchnero.
(2) Hanſiz, Unreſt, Megiſerus. Notit. Langenſeenſ.
(3) Hanſiz. (4) Hanſiz, Schœnleben, Megiſerus, Chronic. Tyrolenſe.
(5) Notit. Langenſee, Hanſiz, Hundius, Burglehner.

ſee anno 1006. (uti fert traditio) Obiit 1017. XX. Julii.

Filii: *B. Hertwicus*, ſeu *Hartvicus*, Epiſcopus Sabionenſis, ſeu Brixinenſis, cujus mentio 1028, & 1038. Mortuus 1046. Diſtinguendus ab Hartvico Salisburgenſi, probabiliter Fratre Wichburgæ. (6)

Engelbertus Comes 1028. cujus uxor *Liutkarda* appellatur. (7)

Volkaldus ſecundum ſententiam HUNDII, BURGLEHNERI, & BAUTSCHNERI.

Filiæ tres a MEGISERO numerantur.

Wichburga uxor Henrici: Filia iſtorum etiam *Wichburga*, prima Abbatiſſa in Sonneburg. (8)

Hilteburg, ſeu *Hiltipurg* Abbatiſſa II. in Langenſee. (9)

Perchtigunt, ſeu *Perkunt*, Abbatiſſa III. in Langenſee. MEGISERO teſte.

VIII. Hactenus propoſita paucis declarare, & confirmare conabimur. Godefridus Pater Otwini hic rurſum Dux Meraniæ a BAUTSCHNERO appellatur: ſed vereor, ne id e ſententia THWROZII, LAZIIVE dictum ſit. Attamen illud probe congruit Goritienſium Comitum majoribus, quod idem Godefridus Comes in Sonneburg, Luenz, & Heimvöls nominetur, quibus in locis Goritiæ Comites olim reſediſſe, e quibusdam veſtigiis legi, CL. ROSCHMANNUS monuit, qui ea loca perluſtravit.

Bea-

(6) Hundius, Burglehner, Hanſiz.
(7) Diploma apud Hundium. Werndle Chron. MS. Epiſc. Brixin.
(8) MSta Sonneburgenſia, (9) Hundius, Megiſerus.

Beatum Otwinum ab Uxore Glicha *Goritienſem Comitem* dictum ſuiſſe, ſuſpicatur Doctiſſimus HANSIZIUS, ſed UNRESTUS, HUNDIUS ex PUTSCHIO, MEGISERUS, SCHOENLEBEN, BURGLEHNER, *Goritiæ Comitem Otwinum* vocitant, absque ulla reſtrictione.

De Fundatione Monaſterii Langenſeenſis ita habet NOTITIA MSTA *Fundationis Langenſeenſis*, communicata a R. P. HANSIZIO (" Wichburga felicis recordationis, „ Otwini Comitis quondam conjux, in ſui juris fun- „ do Baſilicam S. Georgii Martyris reædificavit: Ibi- „ que, ſuis conſentientientibus filiis, Sanctimonialium „ Cœnobium inſtituit.) Hinc colligitur *Primo*: Otwinum, (qui fundationem illam cœpiſſe videtur) poſt Wichburgam, aliam conjugem non habuiſſe. Igitur *Adula*, a MEGISERO & SCHOENLEBEN uxor Otwino attributa, vel ante Wichburgam, vel alteri collocanda eſt.

Adulam hanc SCHOENLEBEN in *Carniolia Antiqua & Nova, Parte II. ad annum 995.* compellat *Andexiam*, & Fundatricem Parthenonis *in Göſs*, citatque *MStum Göſſenſe*. Verum Adulam illam Göſſenſis Cœnobii, in Superiore Styria Fundatricem, Aribonis Comitis conjugem fuiſſe, atque Aribonis, poſtea Moguntini Archiepiſcopi, Matrem, certum eſt ex verbis *Chartæ Göſſenſis*, quam refert CL. P. SIGISMUNDUS PUSCH S. J. in *Chronologia ſacra Ducatus Styriæ Parte I. pag. 204.* Nempe ita legitur in Diplomate S. Henrici Imperatoris. (" Notum ſit omnibus, qualiter quidam juva- „ venſis Eccleſiæ Diaconus, conſanguineus noſter, „ atque Capellanus, nomine Aribo, quoddam Mona- „ ſterium Puellarum ad Regulam S. Benedicti, in ho-

„ norem vero S. Dei Genetricis Mariæ, Sanctique „ Andreæ Apoſtoli, quod Mater Adula nomine, Fa„ tre vero ſuo Aribone - - - - - - - - - in loco nomi„ ne Göſſia, in Comitatu Liubena de prædio ſuo fun„ davit.) Id geſtum eſſe ad annum 1004. colligit PUSCHIUS e domeſticis documentis. Confirmat idem Aribonis petitio, & S. Henrici Imperatoris Donatio, quam ad annum 1010. commemorat, Göſſenſi Monaſterio factam ANONYMUS LEOBIENSIS (*f*), ubi Aribonem proleptice Archiepiſcopum Moguntinum vocat, qui eam ſedem anno demum 1020. obtinuit. (*g*) Aribonem hunc Andexiis inſerunt AVENTINUS *Lib. VII. Anal. Bojor.* & HUNDIUS *in ſtemmat. Bavar.* ſuperius memorati. Avus ejus, aut Proavus, itidem *Aribo* Comes Leobienſis eruitur e Diplomate Ludovici IV. ad annum 904. apud Laudatum PUSCHIUM *Parte I. pag. 166.*

IX. Colligitur *Secundo* e MSta illa Notitia: plures Wichburgæ filios fuiſſe, de quibus etiam *Chronicon MStum Epiſcoporum Brixinenſium* JOANNIS WERNDLE, id communicante CL. ROSCHMANNO, ita tractat: („Beati Hartwici Pater vocabatur Otwinus, Mater Wick„ burg, Fratrum alter Engelbertus, uxor Luitgarda: „ ipſeque Engelbertus donavit villam Brixen.) Huc faciunt, quæ in *Codice donationum Brixinenſis Eccleſiæ*, ſæculo XI. Conſcripto, legit Doctiſſimus ROSCHMANNUS

(*f*) Anonymus Leobienſis ad annum 1010. pag. 764. apud Hieron. Pez Script. Auſtr. Tom. I.

(*g*) Moguntiacarum Rerum Nicolai Serarii, curante Georgio Chriſtiano Joannis Tom. I. de Aribone pag. 465.

NUS: (" Engelbertus Comes, monitu Fratris ſui Hart-
„ wici, & Liutkardæ, ad altare SS. Caſſiani & Inge-
„ nuini, in Comitatu Lurnenſi, in loco Cetulic ----)
Eidem Hartwico Epiſcopo Brixinenſi Conradus II. donavit (" Cluſas ſitas in loco Sebona, in Pago
„ Orital, in Comitatu Engelberti -------- interventione
„ Adalberonis Karentani Ducis: Anno MXXVIII.
„ VIII. Kal. Maji indict. XI. actum Aquisgrani.) uti refert HUNDIUS (*b*) Alterius Diplomatis Conradi II. Autographum vidit CL. ROSCHMANNUS, & legitimum cenſuit; eo Conradus Hartwico Epiſcopo donat Comitatum quendam, Welfoni comiſſum anno MXXVII.

Volkoldi (ſub nomine *Volerardi* Marchionis), ad annum 1018. meminit CHRONICON TYROLENSE (*i*) his verbis: latine redditis: (" Anno 1018. fundatum eſt
„ Monaſterium Sunneburg ad Prauneggen in Pfuſter-
„ thal a Marchione Volerardo; Advocatia Tridenti-
„ no Epiſcopo data eſt.) Conſentit Diploma Henrici Sti, e quo ſequentia excerpſit ROSCHMANNUS, apographo uſus: (" Nos preces cujusdam nobilis Vol-
„ koldi admiſimus & Cœnobium Sanctimonialium in
„ Sonneburc, quod idem Volkoldus in honorem S.
„ Dei Genetricis perpetuæ Virginis Mariæ conſtru-
„ xit, cum B. Abbatiſſa Wiburga - - - - - - - - - in
„ tuitionem noſtram ſuſcipimus. Datum Auguſtæ
„ VI. Kal. Julii MXVIII.)

Tot, ac tam variæ e Tyroli, & Carinthia produ-

(*h*) Hundius Gevvoldi Tom. I. Metrop. Salisburg. pag. 317.
(*i*) Anonymi Chronicon Tyrolenſe Germanicum MStum Biblioth. Cæſ. Vindobon. Hiſtor. Profan. N. 169. Incipit ab anno 475. deſinit anno 1548.

ctæ notitiæ admodum probabile reddunt, quod propoſuimus, Familiæ Sancti Otwini Schema, unaque oſtendunt: in Tyrolenſibus terris, ejusdem vel ſedem, vel poſſeſſiones fuiſſe. Unicum hic eſt, quod contra ætatem Otwinianæ Familiæ objici poſſet, ex Fundatione Cœnobii Langſeenſis, abſoluta per Wichburgam, ante annum 1017, eſt illud, quod CELEB. P. HANSIZIUS (*k*) ex Chronico Admontenſi ita concludit: (" ſub „ idem tempus (ad annum 1122.) in Carinthia ſurre„ xit Parthenium ad Langſee a S. Georgio cognomi„ natum, Fundatoribus Otwino Comite Goritienſi, „ &Wichburge conjuge, de quo Chronographus Ad„ montenſis, ad annum MCXXII: Monaſterium „ Monialium S. Georgii in Carinthia Chunradus Ar„ chiepiſcopus auctoritate ſua clauſit, & Domini „ Wolvoldi Abbatis curæ, ac regimini traditum „ commendavit.)

Sed nodum hunc facile diſſuemus. Cœnobium *clauſit* Wolvoldus Abbas Admontenſis, id eſt, *ſolemniter clauſit*, vel *arctius clauſit*, atque ad ſtrictiorem diſciplinam redegit ejus Monaſterii Virgines, quæ deinde, usque hodie, egregiam obſervantiæ laudem obtinuerunt. Ne autem ad libitum hanc explicationem commentus fuiſſe videar, ſuccurrit illud, quod illico ipſe CL. HANSIZIUS ex *Biographo Conradi Salisburgenſis* ſubjicit: (" Ipſæ quoque moniales, vel monachi, quia „ religione ordinis ſui exorbitaſſe videbantur, ad nor„ mam rectitudinis per eundem virum ita reducti ſunt„ - - - - - - - - -) Et vero hæc proprie etiam de Langenſeenſi Cœnobio, ac de Inſtauratore ejus diſciplinæ

(*k*) Marcus Hanſizius Germ. ſacræ Tom. II. pag. 217.

plinæ Wolvoldo Abbate, intelligenda eſſe, fatetur ipſum CHRONICON ADMONTENSE (l), dum ad annum 1137. Wolvoldi Abbatis demortui laudes ita exſequitur: („ Eodem anno Domnus Wolvoldus Abbas Admon„ tenſis migravit a ſæculo - - - - - clauſo enim Mo„ naſterio S. Georgii in Carinthia, idem Beatus Pater „ velut bonus hortulanus, hortum conſignatum vo„ lens emundare, eas Moniales, quæ - - - - - non „ omiſit extirpare. Unde latus integrum unius cho„ ri ſororum noſtrarum, radices profecto bonitatis, „ neceſſe fuit illo transplantare.) Nihil hic de prima monaſterii erectione, ſed de arctius clauſo, deque prolapſæ, longo utique temporum decurſu, diſciplinæ inſtauratione profertur. Itaque hoc potius confirmat Chronologiam Otwini, ſuperius conſtitutam. Neque alia ſententia, a Cl. P. HANSIZIO ſcriptum ſuerit illud: anno 1122. *ſurrexiſſe* Parthenium ad Lengſee; quam, quoad collapſam diſciplinam ſurrexiſſe.

Poſt Otwinum, Mulieris, e Goritienſi Comitum X. ſtirpe oriundæ, meminit UNRESTUS (m) („ Cœno„ bium Mulſtadii - - - - Fundavit unus de Bavaria, „ is Conjugem habuit unam de Goritia: cujus Dos „ erat fundus, unde extructum fundatumque eſt mo„ naſterium: & ideo impendit fundationi illud pretium, „ ne in aliorum Dominorum manus deveniret, & in „ damnum Goritienſium.)

Fundator hujus Cœnobii Ordinis S. Benedicti in *Mul-*

(l) Chronicon Monaſterii Admontenſis pag. 186. Hier. Pez Tom. II. Script. Auſtriacorum.

(m) Unreſt Chronicon. Carinth. pag. 528. Collect. Monum. Hahnii Tom. I.

Mulſtad, ſeu *Muhlſtad* (ita enim potius a *Molendino*, quam a *mille ſtatuis*, *Millſtad*, ſcribendum eſt) videtur fuiſſe Arbo, ſeu Eribo, Hartwigi Palatini filius, de quo ABBAS VRSPERGENSIS ſequentia ad annum 1102. (n) („ Erbo jam grandævus nobilis de Carinthia Prin„ ceps, & quondam Palatinus in Bajoaria Comes mi„ gravit in Domino:) Conjugis vero Goritienſis nomen non invenio. Relicta igitur hac Anonyma, ad certiores Goritiæ Dominos gradum faciamus.

Weriben Comes Comitatus Foro Julii, ſub Ottone, Duce Carinthiæ, & Marchiæ Veronenſis, invenitur in *Diplomate Ottonis III.* dati anno MI. in civitate Verona, ejusque confirmatione, cujus fragmenta protulit ex *Autographo*, vetuſtate pene conſumpto, CL. P. RUBEIS (o) Huic itaque Comiti *Veriben* confertur *medietas Silkano*, *Gorizia*, cum omnibus agris, campis, paſcuis, ſilvis &c. quorum altera medietas Patriarchæ Aquilejæ Joanni donata fuerat. Ejusdem Ottoniani Diplomatis relata antea fuit a DOCTISS. BELLONO (p) pars illa, quæ Patriarcham contingit, unde *Veriben Comes* in illa non occurrit, attamen *Medietas unius Villæ Goritiæ*, memoratur.

Igitur anno MI. Goritiæ Villam dimidia parte *Veriben* poſſedit, dimidia Patriarcha: neque *Comes Goritiæ* ſcribitur *Veriben*, ſed *Comes Comitatus Foro Julii.* Hæc rurſum ſuſpicionem augent: S. Otwinum aut Goritiam, aut certe ab ea Titulum Comitis, non obti-

(n) Abbas Urſpergenſis, Chronicon ad annum 1102. pag. 255. Editio 1540.
(o) De Rubeis Monument. Aquil. Cap. L. III. pag. 491.
(p) Antonii Belloni Vitæ Patriarch. Aquil. pag. 37. Muratorii Script. Ital. Tom. XVI.

tinuiſſe; quando Otwini paulo ante demortui nulla iſthic mentio inſerta fuit, neque Engelberti, vel alterius filii Otwini: neque in Diplomate ullo Otwini proles Comites Goritiæ appellantur.

Verihen iſte, idem Patri RUBEIS videtur, qui legitur in fragmento Diplomatis Conradi II. Regis, anno 1028. ad Poponem Patriarcham dati: *Varientus Comes Comitatus Foro Julii:* atque eſt forte idem, qui *Hueribent: & Veriben Hiſtrienſis Comes* compellatur anno 990. in *monumento Parentino* apud UGHELLUM. (q) Subinde Anno 1029. mentio fit: *Sylvæ ſitæ in pago Foro Julii, in Comitatu Goritienſis Comitis*, in apographo Diplomatis Conradi II. Sed ex fragmento ejusdem Diplomatis apud BELLONUM, minus mendoſo, legendum cenſet CL. P. DE RUBEIS (r) in *Comitatu Varienti Comitis.*

Porro *Azo*, Filius Varienti, interfuiſſe legitur Anno 1027. Judicio, a Conrado II. Veronæ celebrato, inter Poponem Patriarcham, & Adalpertum, ſeu Adalberonem Ducem Karinthiæ, & Marchæ Veronenſis: apud P. DE RUBEIS (s) *Monum. Aquil.* In eodem limatiſſimo opere (t) poſt Varientum Anno 1056. Anonymus Fori Julii Comes, legitur: poſt eum *Ludovicus*, quo defuncto Comitatus Fori Julii Sighardo Patriarchæ dono datus eſt ab Henrico IV. Anno 1077. teſte Diplomate prolato apud RUBEIS eodem loco.

De *Varienti*, & *Azonis* filii ejus, morte, ac ſucceſſione nihil conſtat. Proximos vero *Goritiæ Comites* XI.

re-

(q) Ughelli Italia ſacra Venet. Edit. Tom. X. pag. 313. D.
(r) Rubeis pag. 503. & 504.
(s) P. Rubeis Monument. Aquil. Cap. LIV. pag. 500.
(t) Idem Cap. LVII. 536. & 537.

recenſet BELLONUS, Tabulariis Fori Julii uſus, (u) his verbis: („ Oudalricus, Patre Meinhardo Goritiæ „ Comite, Antiſtes Aquilejenſis creatus eſt - - - - - „ Is anno - - - - - ſupra milleſimum religione perci- „ tus, Roſacii Monaſterium, Baſilicamque in hono- „ rem B. Petri extruxit, Abbate Geroldo conſtituto, „ ſub regula S. Benedicti, multisque collatis donis „ - - - - - Acceſſerunt iis ex Meynardi Patris ejus „ liberalitate, fundi centum quinquaginta, adjecta ab „ Henrico ejus fratre Brazani plebe---cum quibusdam „ fundis agro Juſtinopolitano - - - - oblati ſunt & a „ Meynardo, Marquardo, & Henrico, aliisque Go- „ ritianis Comitibus fundi in Carſis.) In hoc inſigni fragmento deeſt annus certus Fundationis Roſacenſis: deinde mendoſe *Meynardus* Udalrici Patriarchæ Pater ſcribitur; cum conſtet: *Marquardum*, ſubinde Carinthiæ Ducem, Udalrico Patrem fuiſſe. Verum & *annus* ſuppletur, & ſcripti nominis *Meynardi* error corrigitur in Documento, ſero quidem confecto, nempe Anno 1496., vel ſimili, anno 1460.; ſed in quo memorantur vetera Diplomata, quibus ea continentur, quæ BELLONUS iſthic narraverat. Hujus Documenti exemplum extare in Tabulario Abbatiæ Roſacenſis, manu propria teſtatus eſt Reverendiſſimus Dominus LUCAS ABORTA hodie ejusdem Abbatiæ Cancellarius, qui epitomen inde, ſed nimium brevem, extraxit, atque ad nos per Illuſtriſs. Comitem ATTEMSIUM miſit. Idem Eruditiſſimus D. Comes nonnulla in Epiſtola ſua adnotavit, quæ huc faciant.

Ejusdem Documenti, vel ſimilis formæ, epitomen am-

(u) Antonii Belloni Vitæ Patriarch. in Udalrico, pag. 40. Muratorii Script. Ital. Tomo XVI.

ampliorem nobis impertiit Perilluſtris ROSENTHALIUS *e Tabulario Aulico Græcenſi*, ubi Libellus ſupplex ad Goritienſes Comites ſcriptus habetur, quem ſcripſit Petrus Saxo Monachus, idiomate Germanico, nomine Abbatiæ & Monaſterii Roſacenſis, pro confirmatione privilegiorum, anno 1460. cui tunc jam Commendator præerat. In hoc libello ſemel *Meynhardus*, alias *Marquardus* ſcribitur Pater Udalrici Patriarchæ: Cetera ita ſe habent, uti ſimillimus Libellus ſupplex, ſubmiſſus nobis ab A. R. & CELEBER. P. MARCO HANSIZIO S. J. ex *Hiſtoria Goritienſi MS.* BAUTSCHNERI *Jeſuitæ*; En verba („ De fundatione Monaſterii Roſacenſis luculentum habeo Documentum in Litteris Petri „ Danduli, S. Marci Venetiarum Primicerii, Cœnobii, & Abbatiæ S. Petri de Roſacis Commendatoris perpetui, datis ad Illuſtrem ac Potentem Dominum Leonardum Goritiæ, ac Tyrolis Comitem, anno 1496. ſupplicat: donationes, a Comitis majoribus factas, approbari, & confirmari: Reperio, inquit, Illuſtriſſime Princeps, in quodam antiquo „ Privilegio ad an. 1060. per Udalricum (Patriarcham „ Aquilejæ, filium Marquardi Comitis Gorit.) Roſacenſe Cœnobium ſub Reg. S. Bened. fuiſſe fundatum, „ & tempore *Geroldi* primi Abbatis ejusdem Cœnobii, „ per manus Marquardi Com. Gorit. claræ memoriæ „ manſis 140. ditatum. Conſtat ex alio Privilegio ad „ an. 1077. ab eodem Patriarcha multa alia bona eidem cœnobio collata. Anno 1083. Idem Patriarcha „ cum fratre Henrico, Com. Gorit., jura omnia, & jurisdictiones dicti Cœnobii confirmavit cum nova donatione plebis de Brazano. Item per Maynhardum,

„ Marquardum, & Henricum Goritiæ Comites, eo-
„ rumque ſucceſſores dictæ Abbatiæ donata ſunt in
„ Carſiæ partibus rura & villæ Dobrigeti, Cöſſana in-
„ ferior, Sernica &c. Anno 1333. Giliarchus, tunc ejus
„ Cœnobii Abbas, corpora Henrici Gorit. Com. (& Joannis ejusdem filii) quæ ante annos 18.: (*corrige 10. pro Henrico*: *& Joannem exclude*) Tarviſii tumulata fuerant, ad ſuum Cœnobium transferri curavit, ac in Capella Capituli ſepeliri. Idem Leonardus Comes ad hanc ſupplicationem donationes, conceſſiones, gratias, bona, jurisdictiones, Abbatiæ Roſacenſi per Progenitores ſuos collatas, laudat, approbat, confirmat. Datum Goritiæ 15. Julii 1496.

Hujus Documenti ope primum corrigitur ille deſcribentium error, qui in *Belloni* opere *Meinhardum*, pro *Marquardo* poſuerunt: hic enim *Marquardus* appellatur Pater Udalrici Patriarchæ. Deinde ſtabilitur annus fundati Roſacenſis Monaſterii per Udalricum (qui proleptice Patriarcha dicitur) conſenſu, & liberalitate Marquardi Patris, & Henrici Fratris.

XII. Ex probatis Autoribus: *Burkardo Monacho Sancti Galli*: ex *Conrado Urſpergenſi*: *Lamberto Schaffnaburgenſi*: & ex *Anonymo Hanſiziano*, certum eſt: & comprobatum a Viris doctiſſimis, PATRE RUBEIS (x) PATRE HANSIZIO (y) D. PESLERO (z) *Marquardum* fuiſſe *Adalberonis*, olim Carinthiæ Ducis, (de quo N. III. dictum eſt) filium, ex Eppenſteinia ſtirpe Comitum Murzthal-

(x) Monument. Aquil. Cap. LVII. pag. 535. & Cap. LVIII. pag. 555.
(y) M. Hanſiz German. Sac. Tom. II. pag. 219. & 226.
(z) Pſleri Ser. Ducum. Carinth. pag. 34. & 42. &c.

thalenſium: *Marquardum* ipſum ab anno 1073. ad annum 1077., quo obiit, Carinthiam Ducis titulo rexiſſe: denique ex hoc *Marquardo*, & *Liutpirga* uxore, natos eſſe IV. filios certos: I. *Luitoldum*, Carinthiæ Ducem ab anno 1077. ad annum 1090.: II. *Henricum*, itidem Ducem Carinthiæ ab anno 1090. ad 1127., vel 1129. III. *Udalricum*, Patriarcham Aquilejenſem ab anno 1085., vel ſequente, ad 1121. IV. *Hermannum* Epiſcopum Patavienſem ab anno 1085. ad 1087.

Dubitari poſſet: rectene in Documento allato *Petri Danduli*, *Comites Goritiæ* appellentur iſti, quos conſtet Carinthiæ Duces fuiſſe, & Comites Murzthalenſes? Mihi ita conciliandum videtur hoc Documentum cum laudatis Hiſtoricis: *Marquardum* anno 1060. recte ſcribi *Comitem Goritiæ*, qui eo anno nondum Dux Carinthiæ fuerit; atque tametſi Murzthalenſem quoque Comitatum poſſederit, cum tamen Goritienſem quoque Comitatum obtineret, atque *in eodem*, ac *de ejusdem Comitatus* bonis Roſacenſis Abbatia fundaretur: congruentius utique iſthic *Marquardus*, *Udalricus*, & *Henricus*, *Comites Goritiæ* nominantur. Recte quoque *Henricus* anno 1083. *Comes Goritiæ* vocatur; qui anno demum 1090. Ducis dignationem adeptus ſit; quando Iſtriam, aut an omnino poſſederit, incertum eſt.

Tametſi enim BURKARDUS *pag. 73.* GOLDASTI *Tom. I. Script. Rer. Aleman.* ſcribat: Luitoldum Ducatum Carinthiæ conceſſione Regia obtinuiſſe, & N. ejus fratrem Marchiam Iſtriam ſub eadem conceſſione poſſediſſe; attamen & Henrici nomen, & annus iſthic non exprimitur, ac *Iſtriæ Comitatum* Sighardo ab Henrico IV. donatum eſſe, conſtat e Diplomate relato ab

UGHELLO *Tom. V. pag. 57.* Liutoldo, Duce Carinthiæ, teſte, & nulla mentione Henrici *Anno 1077. indictione XV. III. idus Junii.*

Quod vero poſt annum 1083, ſed ſine certa anni nota, recenſeantur *Meinhardus*, *Marquardus*, & *Henricus Comites Goritiæ:* eo loco arbitror beneſactores, vel nullo certo ordine ac tempore comprehendi, vel *Meinhardum*, Marquardi fratrem fuiſſe ſuſpicor; cum ante Henricum nominetur. Conciliatione iſthac excuſari utcunque poteſt, quod de hac fundatione ſcripſit CANDIDUS (*a*), non adnotato anno, (" Ejusdem „ ordinis (Benedictini) Cœnobitanis Meynardus No„ ritianus Comes aliud Roſaci Monaſterium erexit, & „ ditavit.) Nempe novis beneficiis exerexit ac ditaverit Meinhardus, ab Udalrico fratre, Patris conſenſu, fundatum Cœnobium. Pari fere ratione corrigi poteſt certus ille error, qui in annum fundationis Roſacenſis, 1170. circiter poſitum, ab AUGUSTINO LUBINO, irrepſit in *Notitiam Abbatum Italiæ*, cujus meminit CL. RUBEIS (*b*). Nam dum iſthic ſcribitur: anno 1170. a Meinhardo Noritiano fundatum eſſe Roſacenſe Cœnobium: omiſſo centenario, poſitoque anno 1070., benefactori Meinhardo convenire ea narratio poterit. Exculpare quoque licet PALLADIUM (*c*), qui ab *Henrico Goritiano* Roſacenſem Abbatiam fundatam perhibet; quan-

(*a*) Joan. Candidus Commentar. Aquil. Lib. V. pag. 39. Grævii Theſ. Ant. Ital. Tom. VI. Parte IV.

(*b*) De Rubeis Monum. Aquil. Cap. LIX. pag. 566.

(*c*) Palladius apud Rubeis loco citato. Mirum eſt, nihil omnino celeberr. Mabillonium in Annalibus Ord. S. Benedicti, de Roſacenſi Monaſterio ſcripſiſſe. Sed fortaſſe ignotum id ei fuit, quia Benedictinis dudum ereptum.

quando Henricus quoque, Udalrici frater, inter primos & præcipuos ejus Abbatiæ benefactores in litteris Danduli memoratur. Denique rationem ex iſtis reddere poſſumus: cur UNRESTUS binis locis monuerit, e Carinthiæ Ducibus ortos eſſe Goritiæ Comites: Cur item a MEGISERO (*d*) qui correctam ab ſe *Lazii Genealogiam Goritienſem*, profitetur, & ab HUNDIO (*e*) inter primos *Goritienſem Comitum* majores collocetur *Marquardus*, & filius ejusdem *Henricus:* qui ſane alii non videntur hic ſumi poſſe, atque *Marquardus* ille noſter Eppenſteinius, filiusque ipſius *Henricus*, *Comitum Goritiæ* titulo, ſaltem in rebus Forojulienſibus uſi antea, quam ad Carinthiæ Ducis dignitatem eveherentur. In eo tamen peccavere *Megiſerus* & *Hundius*, quod *Cunonem* ſeu *Cunradum* Marquardo Patrem tribuant. Marquardi enim Pater erat *Adalbero*, qui a Cunone Antagoniſta Carinthiæ Ducatu anno 1036. depulſus eſt: porro ambo æmuli eodem anno 1039. morte ſunt ſublati, teſte HERMANNO CONTRACTO (*f*)

Illud enimvero non liquet; qua ratione a *Varien-* XIII.
to Forojulii Comite, ejusque filio *Azone*, ad *Marquardum* Goritia translata ſit: an ſanguinis vel affinitatis nexu, an favore Henrici IV. Imperatoris? Veroſimile mihi videtur: Azone Varienti filio (quem anno 1027, vivo etiamnum Patre in Diplomate memoratum N. X. diximus) ante annum 1060, ſine herede maſculo defuncto, Goritiam, cum Comitis titulo, donatam fuiſſe Mar-

(*d*) Megiſerus Annales Carinthiæ Cap. XII. pag. 490.
(*e*) Hundius Stemmatographia Bavar. Parte I. pag. 72.
(*f*) Hermannus Contractus ad an. 1036. & 1039. pag. 585. & 587. Henrici Caniſii Antiq. lect. Tom. I. Edit. Ingolſtad,

Marquardo Eppenſteinio, ejusque heredibus, ab Henrico IV; Comitatum tamen Forijulii alteri collatum eſſe, perſuadent ea, quæ ſupra N. X. relata ſunt de Anonymo Forijulii Comite, deque *Ludovico*, poſt cujus obitum 1077. Forum Julii Henrici IV. liberalitate Patriarchæ Sighardo conceſſum eſt.

Satis autem conſtat: *Marquardum*, filiosque *Luitoldum*, & *Henricum*, *Duces Carinthiæ*, conſtanter Henrico IV. adhæſiſſe, magnaque apud eum gratia floruiſſe. *Lazius* (*g*) *Limpurgam* (ſeu potius *Liutpirgam*) Marquardi uxorem, Henrici Eppenſteinii matrem, perhibet fuiſſe Henrici IV. filiam, ex Bertha, Azonis Marchionis Italiæ filia. Luitpirgam Matrem fuiſſe Henrici Ducis, certum tenemus ex Donationis Charta vetere ipſius Henrici Ducis (*h*) (" Omnibus Chriſti fide-
„ libus, tam præſentibus, quam futuris innoteſcat,
„ quod *Carinthiæ* Dux *Henricus* pro animæ ſuæ reme-
„ dio, & dilectæ Conjugis ſuæ *Liutkardæ*, & pro ani-
„ mabus Patris, & Matris ſuæ *Marchwardi*, & *Liut-*
„ *pirgæ*, fratrumque ſuorum, - - - - - - - - - - - -)
Verum quod Liutpirga Henrici IV. filia fuerit, Lazii non perſuadet autoritas. Sane ANONYMUS LEOBIENSIS (*i*) dum Henrici IV. proles, ex Bertha ſuſceptas, enumerat, ſolos appellat: *Henricum*, *Cunradum*, *& Agnetem*. Bertham, Henrici IV. conjugem, atque Azonis ſeu Ottonis Sabaudiæ Marchionis filiam fuiſſe, docte oſten-

(*g*) Lazius de migrat. gent. Lib. VI. p. 166. Edit. 1600. Francof.
(*h*) Bern. Pez Anecdot. Tom. VI. Parte I. pag. 283.
(*i*) Anonymus Leobienſis ad an. 1070. pag. 772. Hier. Pez Tom. I. Script. Auſtr.

oſtendit SIMON FRID. HAHNIUS (*k*) Ejusdem filios, præter eos, quos ANONYMUS LEOBIENSIS recenſuit, e vetuſtis ſcriptoribus duos producit, ſed Anonymos, quorum alter poſt baptiſmum illico obiit, alter in bello contra Mathildem occubuit.

PFEFFINGERUS in *notis ad Vitriarium Tom. I. Lib. I. Tit. V. pag. 532.* alias Henrici IV. Cæſaris e Bertha filias profert, ſed Recentiorum Scriptorum fide nixus: *Adelheidem* Abbatiſſam Gandersheimenſem, *Sophiam* Salomonis Regis Hungariæ uxorem, & *Bertham*, uxorem *Marquardi*, Senioris Ducis Carinthiæ, de qua videndum monet, *Theatrum Hiſtoricum* MATTHIÆ *pag. ſibi 902.* Sed quoniam *Luitpirga* certa eſt Marquardi Uxor, fortaſſe rectius (ni duas Marquardus duxit) Liutoldo, Marquardi filio conjux hæc Bertha tribueretur, ſi autoritas aliqua adſtipularetur. Alius vero certior nexus indicatur a CONRADO URSPERGENSI, his verbis: (*l*) (" Rex Henricus --- poſtmodum quo-„ rundam inſtinctu eundem Ducatum (Carinthiæ) Lui-„ tolfo conſanguineo ſuo dedit) Quis ille ſanguinis nexus fuerit, explicatur in *vetere Annalium Libro* (uti refert LAZIUS (*m*) ubi ita habetur: (" Henricus con-„ ſobrinus Henrici IV. Cæſaris, Marchio Carinthiæ „ obiit anno MCXXVII.) Quod ſi τὸ *Conſobrinus* propria notione ſumatur, ſorores fuere *Luitpirga* mater *Luitoldi*, *ac Henrici*, & *Agnes* mater *Henrici IV. Imp.* eadem ſoror, vel filia, Wilhelmi Aquitani, ſeu Pictavorum Principis. Utut iſthoc ſit, aliquod certe

(*k*) Hahnii Hiſtor. German. Imperii Parte III. pag. 95. notæ h. i. p.
(*l*) Conradus Urſpergenſis in Chron. an. 1057. pag. 232. Edit. 1540.
(*m*) Lazius de Gentium migrat. Lib. VI. pag. m. 167.

hic ſeſe prodit arctius vinculum, quo Henricus IV. *Marquardi* familiæ adſtrictus, eandem Comitatu Goritiæ antea locupletavit, quam Ducatum Carinthiæ conferret. Conſentit LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS, qui (*n*) Marquardum, Carinthiæ Ducem, *propinquum* Henrici IV. appellat. CL. PESLERUS *pag. 52. ad Cap. XII. not. 34. & 35.* duo gravia teſtimonia produxit ex BURKARDO *Monacho S. Galli* unum: alterum ex ipſo Henrici IV. Diplomate, anno 1091. Papiæ dato IV. Idus Maji, quibus Udalricus Patriarcha Aquilejæ, Marquardi Ducis filius, appellatur *cognatus*, item *dilectiſſimus conſanguineus*, Henrici IV. Cæſaris.

Majoribus deinde difficultatibus implectitur tranſitus ille Goritienſis Comitatus, ab *Henrico Eppenſteinio* Duce Carinthiæ (qui circa annum 1128. mortali vitæ valedixit) ad Meinhardum, & Engelbertum fratres, quos ad annum 1122. certos *Goritiæ Comites* fuiſſe, ſequente Capite aſſeremus. Si Meinhardum hunc, & Engelbertum, *Liutoldi Ducis* filios fuiſſe conſtaret, res ſalva eſſet.

XIV. Sed *Liutoldo* ſobolem, nemo, quod ſciam aſſerit: *Henrico* Carinthio, Luitoldi fratri, plerique prolem fuiſſe etiam aperte negant, ex illis, *Fragmenti veteris Genealogici*, verbis apud CL. HANSIZIUM (*o*) ("Luipoldus Fortis Patri (Ottocaro Styriæ Marchioni) ſuceſſit, Reinenſe monaſterium, ſeu Rownenſe, fundavit, tam de ſuis, quam de Comitis Waldonis me-

(*n*) Lambertus Schafnaburgenſis ad an. 1073. pag. 189. Piſtorii Tom. I. Edit. 1583.

(*o*) M. Hanſizii S. J. German. ſacra Tom. II. pag. 212.

„ mediis: & factus eſt heres Luitpoldus Marchio ex „ teſtamento poſſeſſionum, & miniſterialium, volun- „ tate Henrici Ducis de Eppenſtein.) Equidem mihi hic locus conficere non videtur: Henricum Ducem, Eppenſteinium, improlem deceſſiſſe. Nam ſi quid video: Luipoldus Marchio *heres* non Henrici Ducis factus eſt, ſed *Waldonis*, de cujus mediis fundavit Rownenſe Monaſterium, quod Monaſterium conſtat jam cœptum, vel deſignatum fuiſſe a Waldone; illud vero: *Voluntate Henrici Ducis*, conſenſum Ducis tantum indicare videtur; quia Styriæ Pars magna Carinthiæ tum erat obnoxia. *Henricum Ducem* ſine maſculo herede obiiſſe, illud magis mihi credibile facit; quod eidem ſucceſſerit in Ducatu *Henricus Ortenburgius*, ac deinde iſtius frater *Engelbertus*; neque enim ſæculo XII. ſine illuſtri, gravique cauſa filius ab Ducatu Patris omnino fuiſſet excluſus. Filias vero Henrico Duci fuiſſe, non incredibile videtur, ſi verum eſt, quod LAZIUS perhibet, & MEGISERUS: Henricum, Luitkardi mortua, duas uxores deinceps duxiſſe: *Beatricem*, & *Sophiam*. De Beatrice nolim cavere: de Sophia, Alberti pulchri, Marchionis Auſtriæ filia, docte id, modeſteque aſſeruit CL. P. SIGISM. CALLES S. J. e *MS. Chronico Glognicenſi* (*p*)

Noſtra ſuſpicio eſt: jubente, vel conſentiente Cæſare Henrico IVto, vel Vto, Goritienſem Comitatum ab Henrico Eppenſteinio Duce Carinthiæ (poſtquam ipſe anno 1090. Ducatum adeptus eſt) quacumque demum de cauſa, atque haud dubie ob ſanguinis,

(*p*) P. Sigiſm. Calles S. J. Annales Auſtriæ Parte I. Lib. VII. pag. 427.

aut affinitatis nexum, familiæ Comitum Tyrolenſium collatum fuiſſe, cujus tum caput, ab anno 1090. ad 1121. vel *Gotfridum II.*, vel filium *Adalbertum*, ſeu *Albertum* fuiſſe, *ad finem Capitis III.*, ſeu *ſequentis*, probabili conjectura oſtendam, ſimulque Tyrolenſium cum Goritianis Comitibus vetuſtæ connexionis ſigna aliqua illic explicare tentabo. Ea igitur Tyrolenſium ſerie, quam *Tabula I.*, ac *Tabula II.* propoſui, rediremus ad S. Otwinum, cujus Pater *Godefridus*, *Meraniæ Dux* a Bautschnero eſt appellatus. Equidem Ducis Meraniæ titulus, non eſt omnino hac ætate novus; eodem fere tempore, nempe circa 950., appellatur *Dux Meranius* celebris ille *Cuno*, ſeu *Conradus*, primum Franconiæ ſeu Dynaſta ſeu Dux, dein Lotharingiæ partis Dux, in prælio ad Auguſtam ab Hungaris, victis licet, occiſus anno 955. De hoc Ottonis I. Imp. genero, ac fortiſſimo Duce *Conrado* Witekindus, Annalista Saxo, Ditmarus, Hroswita, aliique varia prodidere. Sed noſtrum eſt *Ducis Meraniæ* titulum eidem aſſerere. In *vita B. Notkeri Balbuli*, ſcripta ab Ekkehardo Decano S. Galli. *Goldaſti ſcript. Alaman. Tom. I. curante Illuſtriſſ. Senckenbergio pag. 245.* Refertur: Ottonem Primum Imp. tentaturum modeſtiam monachorum S. Galli, in templo adſtantium, ſiviſſe baculum ſuum e manibus decidere; deinde ita narrat: (" Cunone vero Duce „ Meranio genero ejus accurrente, baculum ei timo„ rate reſtituente -----) Itaque etiam Godefridum, S. Otwini Patrem *Ducem Meraniæ* hac ætate appellatum fuiſſe, haud ita eſt abſonum, uti prima fronte videtur.

Quod ſi *Godefridum* iſtum, *Rathonem* illum, ſeu *Graf-*

Graf-Rathum, Chronici Andecenſis dicamus, qui obiit anno 954., atque ſortaſſe *Conradi, Meraniæ, & Lotharingiæ item Ducis*, fratrem vel cognatum: hæc ſi conſtarent, profecto explicari multa impedita, & conciliari pleraque poſſent, quæ ex Andecensi Chronico, ex Unresto, & ex Lazii lucidis intervallis ſupra N. VI. protulimus. Cum enim conſtet ex iis, quæ docte e Continuatore Reginonis *ad an. 919.* ex Ekkehardo Juniore *de Caſibus Monaſt. S. Galli Tom. I. Script. Aleman. pag. 40.* obſervavit *Illuſtriſſimus L. B. de* Senckenberg, *in Præfatione*, ad noviſſimam *Scriptorum Goldaſti* editionem: Conradi, Ducis Franconiæ, ac Lotharingiæ Ducis & Meraniæ, Patrem fuiſſe *Werinherum*, nobiliſſimum in Franconia Dynaſtam, & *ibidem Cameræ Regiæ Nuncium*, ſeu *miſſum*; (quod etiam Koelerus in *Diſſert. Genealog. de Familia Auguſta Franconica pag. 10.* ſtatuerat) haberemus ita ad mentem Chronici Andecensis originem Goritienſium Comitum, e Francia orientali, ſeu Franconia, quos a *Werinhero* uſque ad *Engelbertum I.*, & *Meinhardum I.* (Goritiæ primos certos Comites) deduceremus. Nanciſceremur S. Otwinum, non ipſum quidem Goritiæ Comitem ſed unum e majoribus eorundem Comitum. *Vide Tabulam I. Genealog. & Capitis III. N. XXIX.* Item illa, Tyrolenſium cum Goritienſibus connexio myſterio jam careret, manifeſta in *Godefrido II.* Tyrolenſi, Patre Alberti, Engelberti, & Meinhardi, qui Goritiam ab Henrico Duce Carinthiæ, quocumque demum titulo obtinuerint. Denique Lazii & Thwroczii Godefridus, Meraniæ Dux, emendatis chronologicis erroribus, inter Comitum Goritiæ Majores reciperetur: atque de illo

altero Godefrido Tyrolenſi, cum veritate ſcriberetur illud Lazii: Godefridum primum pedem in Foro Julio fixiſſe; quod nempe poſt annum 1090. Henricus Eppenſteinius, Dux Carinthiæ, Comitatum Goritiæ, aut *Godefrido II. Tyrolenſi* (qui anno 1082. innotuit) aut filiis ejus *Engelberto*, & *Meinhardo* ceſſiſſet.

Quod ſi cui nimis levis conjectura videatur illa, qua idcirco Godefridum I. Conradi Franconici fratrem, aut ſanguine junctum ſuſpicamur; quod uterque Meraniæ Ducis titulo compelletur; alius a Werinhero Francone, Godefridi Pater in Tyrolenſi Provincia quærendus eſſet. Equidem ſi temporum ratio ſpectetur, Godefridi I. circa an. 954. mortui Pater eſſe poterat *Bertholdus*, Tyrolenſi in regione, ille *Comes in Pago Venuſta* (Vinſtgau) qui anno 931. (obſervante etiam Cl. Roschmanno) in Diplomate Henrici I. Regis occurrit apud R. Meichelbeck, *Hiſtoriæ Friſingenſis Tom. I. pag. 163.* („ In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis. „ Henricus Divina favente clementia Rex. Divinæ „ igitur auctoritatis - - - - - - qualiter nos rogatu fide„ lis noſtri, ſcilicet Wolframi Friſingenſis Eccleſiæ „ Epiſcopi, prædium a S. Corbiniano quondam em„ ptum remittimus perpetualiter poſſidendum, hoc eſt, „ Majes, & Chorzes, & Chæines, & quidquid - - - - - „ quæ ſita eſſe noſcuntur in pago Venuſta, in Comi„ tatu Bertholdi - - - - - - Anno Incarnationis Domini„ cæ DCCCCXXXI. Indict. IV. XVIII. Kal. Maji „ anno Imperii Heinrici Regis XIII. actum in Quinti„ linburc feliciter Amen.

Guillimanus (a Cl. Roschmanno item adductus) meminit ejusdem Bertholdi, in alio Henrici Diploma-

te,

te, quo Eccleſiæ Curienſi Donata eſt *Vallis Eniatina* (Engadina) *in Comitatu Bercktoldi Comitis. An. Salutis 930. V. Idus April.* ſubinde, Guillimano teſte, anno 958. in Diplomate Ottonis I. *Adelbertus Comes, Comitatus Rhætiæ*, memoratur, qui potius in regione, hodie Griſonum dicta. quam Tyrolenſi, Comes fuiſſe videtur; quia Curienſi Epiſcopo, Curtem Regalem, in eo Comitatu ſitam, donavit Otto. Omitto itaque hunc Adelbertum. uti & *Welffonem* illum, cujus mentio fit in Hundio Gewoldi *Metrop. Salisb. Tom. I. pag. 317.* ad annum 1027. in Diplomate Conradi, ſed ita. ut: Comitatum *quondam*, in Valle Eniana, Welffoni commiſſum, legamus. Incertum eſt igitur ejusdem Welfonis tempus, incertior ſucceſſio. Omitto item Ratpotonem, qui apud Cl. Roschmannum in Diplomate Henrici IV. anno 1097. Monaſterio S. Georgii dato, ita memoratur: *In Pago Indale, in Comitatu Palatini Comitis Ratpotonis.* Nam hic Bavariæ Palatinus fuiſſe videtur. Videri de hoc poteſt Cosmas Pragensis *Chronicæ Lib. II.* ad an. 1073. Itaque Tyrolenſium Comitum ſeriem, ultra *Berchtoldum*, anno 930. & 931. occurrentem, ſatis certo *temporum* nexu, promovere nequeo. Vetuſtior quidam a Cl. roschmanno indicatur Tridentina in urbe Dux, *Alachis*, gente Longobardus, qui, cum Comite Bajoariorum, ſeu Gravione, Bauzanum, & reliqua Caſtella regente, bellum commovit adverſus Reges Longobardiæ Bertaridum, atque hujus filium Cunibertum. Aſt quoniam iſthæc ante annum 688. geſta eſſe conſtat ex Pauli Diaconi *de Geſtis Longobard. Libro V. Capite XXXVI., & ſequente pag. 486. & 487.* Muratorii *Script. Ital. Tom. I.* & ex Sigeberti *Chroni-*

co

co ad annum 670. PISTORII *Tom. I. pag. 536.* Hæc utique nimium abſunt a Bertholdo noſtro, duobus ſaltem ſæculis poſteriore. Sed evigilemus e tot conjecturarum ſomniis, & ad veritatis lucem, e tenebris prodeamus.

CAPUT III.

Goritienſium Comitum ſeries, Andecenſium, & Tyrolenſium ſtirpi conjuncta, quatenus Tabula Genealogica II. pertinet, autoritate firmatur.

1. DIſcuſſis iis, quæ ſæculo X. & XI. probabilia ſe dabant, Goritienſium Comitum veſtigiis, ad certiora, continuaque Illuſtris eorundem ſtirpis argumenta progredimur.

Engelbertus I. circa annum 1121. cum fratre *Meinhardo I.*, primi in Tabula II. ſe ſiſtunt.

Engelbertum I., & Comitem Goritiæ, & Meinhardi I. fratrem fuiſſe, patet ex Documento Belinienſis Abbatiæ, quod refert CL. P. RUBEIS *Monument. Aquil. Cap. LVIII. pag. 553., & 554.* Eo Wodolricus, ſeu Udalricus I. Aquilejæ Patriarcha, Eccleſiæ S. Joannis de Tymavo (hodie de Duino) varia donat. Eadem confirmat Pertholdus Patriarcha *Anno MCCXLIII. Indictione II. tertio Kalend. Novembris* (Indictione a Septembri inchoata) ubi inter cetera, in Udalrici Tabulis hæc habentur: („ Inſuper decem manſos, quos a „ Maynardo de Guriza, pro beneficio fratris ſui „ Engel - - - - a me tibi traditos accepi, in loco, qui „ Ortuwin dicitur.) - - - - - - („ Ego Wodolricus Patri-

TABULA II.

AD CAPUT III. *pag.* 88.

Tyrolenſes.

ALBERTUS. 1106. 1110. *pag.* 138. 141. 142. 143. - - -

„ Patriarcha, jam in ſenectute poſitus, manu mea ſub-
„ ſcripſi) Teſtium primi ſunt („ Otto Concordienſis
„ Epiſcopus, Andreas Epiſcopus Novæ Civitatis.

Duo Udalrici Patriarchæ Aquilejæ fuere: uterque, conſentientibus UGHELLO, & P. RUBEIS, ſedit ante Pertholdum. Dubium itaque eſſe poterat (quia Annus in tabulis Udalrici deſideratur, & quia circa 1182., annum obitus Udalrici II., itidem Meinhardus, & Engelbertus Goritiani fratres vixere, uti circa finem Udalrici prioris) ad utrum Udalricum Tabulæ illæ pertineant? ſed duo teſtes Epiſcopi dubium ſolvunt. *Otto Concordienſis* habetur apud UGHELLUM *Tom. V. pag. 328. & 329. Editionis Venetæ*, ex Originario Documento anni 1119.; neque deinceps alius occurrit Concordiæ Epiſcopus, usque ad Gervinum, ſeu Gentium, anno 1140. Pariter *Andreas Novæ Civitatis* (ſeu Aemonæ, hodie Cività de Friuli (Epiſcopus ſeſe offert apud UGHELLUM *Tom. V. pag. 59.*, ſub Udalrico primo Patriarcha, *anno 1119. Indictione XII. Epacta VII. Concurrentes II.* Indictio, & Epacta, anno rite congruit. *Concurrentes*, ſeu Cyclus ſolis, vel litteræ Dominicalis II, unitate aberrat; quod iſthic nihil obeſt; cum duo alii characteres concordent. Apud CL. RUBEIS (qui dem Documentum e FONTANINO refert, *Cap. LVIII. pag. 547.*) notatur: *Concurrente VII.* ſed Concurrentes eſſe deberent VIII., vel, ſubductis ſeptem, I. Litera Dominicali E.

Cum igitur Udalricus I. ſederit ab Anno 1086., vel præcedente, usque ad 1121., vel ſequentem, uti oſten lit laudatus RUBEIS *Monument. Aquil. pag. 542., & 558.* conſequens eſt: Epiſcopos illos teſtes ſub Udalrico

primo fuiſſe. Porro quoniam Udalricus, ſe, *jam in ſenectute poſitum*, ſubſcripſiſſe fatetur; recte utique hæ Tabulæ circa Annum 1121. exaratæ a R. P. RUBEIS conſtituuntur.

II. Illud in hoc Documento certum non erat: τὸ *Engel* - - - - - legendum eſſe *Engelberti*; cum legi poſſet: *Engelhardi*, *Engelſchalci*, aut aliter. Sed lectionem *Engelberti* certam eſſe, cum ſequentia monumenta ſuadent: tum id, quod urgente optimo Parente meo Goritia ad me perſcriptum eſt: extare, aut extitiſſe in Tabulario Palatii Goritienſis Chartas, quibus Anno 1122., & 1130., & 1139. *Engelbertus*, & *Meinhardus* Goritienſes Comites *Fratres* appellentur. Idem nobis ex iis, quæ ipſe collegit, Chartis compluribus antiquis, affirmavit, Excellentiſſimus Dominus Comes SIGISMUNDUS ATTEMSIUS, ſumma Eruditione clarus, & fide digniſſimus.

Hunc haud dubie *Meinhardum*, *Engelberti* Fratrem anno 1122. teſtem adhibent Tabulæ Gerardi Patriarchæ Aquilejenſis Anno MCXXII, Indictione XV exaratæ, apud R. RUBEIS *Capite LIX. pag. 557, & 559.* ubi ita habetur: (" Hi ſunt Teſtes: Comes Meinar-„ dus, Almericus, Aldager - - - - -)

III. Ejusdem *Meinhardi* proles novimus tres, filios duos: *Henricum*, & *Engelbertum*, & Filiam anonymam. *Henricum* Meinhardi fuiſſe filium, probat Documentum, a R. P. RUBEIS *Cap. LX. pag. 567. &c.* ex Tabulario Utinenſi prolatum, in quo ſequentia: (" Itaque Min-„ ginhardum Advocatum, filiumque ejus Henricum, „ ejusdem Advocatiæ conſortem, vocantes - - - - - - - -

Actum

„ Actum in Civitate Auſtrali Forojulii ----- Anno In-
„ carnationis Domini MCXXXIX.)

Ex antea relatis, & infra referendis Documentis, item e ſententia harum Tabularum tuto confici poteſt: *Meinhardum* iſtum, ſeu *Minginhardum*, & *Henricum filium*, Goritienſes Comites fuiſſe, etſi diſerte id non exprimatur. Nam iſthic de jure Advocatiæ Præpoſituræ Aquilejenſis Eccleſiæ Sti Stephani, deque poſſeſſionibus in Carnia, & Forojulio, pro jure Advocatiæ, a Peregrino Patriarcha datis, agitur; quæ omnia Goritienſibus Comitibus jam ſub Popone ante annum MXLII. Aquilejæ Advocatis, teſte CANDIDO *Commentar. Aquilejen. Lib. V. pag. 37.* GRAEVII *Theſauri Italiæ Tom. VI. Parte III.* apprime conveniunt; etſi fortaſſe Goritiani aut non inde continenter, aut non ſoli, Aquilejæ Advocati fuerint.

Sane his temporibus *Henricus de Guriza* inter teſtes ſubſcripſit in Tabulis circa Annum MCXXI. confectis ſub Udalrico Imo Patriarcha Aquilejæ, non ſub Udalrico IIdo; uti pererudite oſtendit P. RUBEIS *Cap. LXIII. pag. 599. 601.* contra UGHELLUM ubi easdem Tabulas recenſet.

Henrici hujus Frater *Engelbertus* proditus eſt ex Codice Manuſcripto a CL. RUBEIS *Cap. LX. pag. 571.* Tabulæ nempe ſunt confectæ MCL. *Indictione XIII. II.* (*id eſt Pridie*) *Kal. Maji*, quibus (" Engelbertus Mo-
„ ſacenſis Advocatus ------- obeunte Comite Henri-
„ co fratre) ob varia mala illata Eccleſiæ, & Patriarchæ Peregrino, inter cetera ſe daturum promittit: (" poſt obitum ſuum, ſi ſine heredibus obierit, Bel-
„ gradum, & Priſſinicum, & Goritiam) Ex quo pa-

tet: *Goritianos* hoſce Comites fuiſſe, & *Henricum* anno 1150, vel antea vivere, deſiiſſe.

Engelbertus IIdus teſtis comparet in Diplomate fundationis Abbatiæ Beatæ Virginis Mariæ, ad Scotos Ordinis Sti Benedicti ab Hainrico Duce Auſtriæ - - - - - (" Dato Wienne Anno ab Incarnatione Domini Mil-„ leſimo Centeſimo Sexageſimo primo, Decimo Ka-„ lendas Maji, Teſtibus adhibitis de Ordine Nobilium: „ Engelberto Comite de Gortz - - - - - - - - -) BERN. PEZ *Anecdot. Tom. VI. ſeu Cod. Diplom. Hiſtor. Parte I. Cap. CLXII. pag. 435. ad 437.*

IV. Henrici & Engelberti ſororem deprehendimus in Fragmento *Libri Traditionum Admontenſis Cœnobii*, Ordinis Sti Benedicti apud HUNDIUM *Stemmatographiæ Bavaricæ Nobilitatis*, *Parte I. pag. 73.* Illic Comes *Engelbrecht de Goerz* anno 1146, dedit poſſeſſionem aliquam Monaſterio Admontenſi, cum conſenſu Domini Ottonis, & Domini Bertholdi de Rechberg, *qui erat filius ſororis Engelbrechti.* Annus, & Sententiæ nexus oſtendit, de hoc *Engelberto IIdo* ſermonem iſthic eſſe. Fieri ſane id potuit, ſi Meinhardi Imi Filia, ſoror Engelberti, & Henrici, utroque fratrum natu major fuit, & juvencula nupſit Rechbergii Bertholdi Patri, idemque Bertholdus anno 1146. juventutis florem nondum exceſſit. Qua in re nihil eſt ab ordine temporum diſcordans. Nam *Meinhardus* Imus (qui anno 1139. poſtremum comparet) anno 1108. circiter, filiam generare potuit, cum anno 1121. jam filius ejus Henricus in Diplomate occurrat. Filia illa anno 1126, duodeviginti annos nata, nupſerit: Filium anno 1127. vel ſequente, pepererit

rerit Bertholdum; idem anno 1146. jam undeviceſimum annum attigit. Itaque anno 1146. Engelbertus, etſi tum adhuc juvenis fuerit, ſororis filium tamen nanciſci potuit, ætate haud multo minorem. Eodem quoque loco meminit HUNDIUS: *Henrici* etiam *Goritienſis* mentionem factam eſſe.

Engelberto IIdo uxorem *Machthildem*, ſeu *Mattildem* Andacenſem tribuit CL. RUBEIS his verbis *Cap. LXI. pag. 581.* (" Bertoldo, primo Meraniæ Duci, filii „ fuerunt Bertoldus Dux Meraniæ, Poppo, & Matil„ des --------- Mattildes nupſit Goritiano Comiti, „ ſcilicet Engelberto, filio Mainardi, ut eorum vitæ „ tempora ſatis evincunt.)

Liceat nobis hac levi in re a Viro ſummo diſſentire: Mattildemque hanc dicere Bertoldi IIdi *Marchionis Iſtriæ*, non Bertholdi IIItii, *Ducis Imi Meraniæ* filiam. Ea res ut manifeſta fiat, Andecenſium Bertholdorum Princeps ſtirps (cujus poſſeſſiones ad Goritienſes Comites, affinitate junctos, partem aliquam tranſiere) hic paucis proponenda, & ejus linea ſaltem recta, quantum ad res Goritienſes facit, comprobanda eſt. Diplomatis potiſſimum utemur: ubi ea defecerint, ſcriptores adhibebimus, etſi non pervetuſtos, vetuſtis tamen Documentis uſos. Ne vero ſæpius iſtorum citationes repetere opus ſit, loca Autorum, ſæpius reditura, hic præfigemus. AVENTINUS Lib. VII. *Annalium Bojorum pag. 692. & 693. Edit. Latinæ Ingolſtadii 1554.* VITUS ARENPECKIUS *Chronici Bajoariorum Lib. V. apud* BERN. PEZ *Tom. III. Anecdot. Parte III. pag. 247.* HUNDII *Stemmatographia Nobilitatis Bavar. Parte I. pag.*

26. &c. qui multa eruit, ex *Calendario* ſeu *Necrologio Monaſterii Dieſſenſis*, ſive *Damaſiæ* in Bavaria.

V. *Bertholdus* Imus Comes de Andechs natus eſt ex Arnolpho ſeu Arnoldo, & Giſila, laudatorum Scriptorum fide; Arnoldi frater erat Chunradus, Clericus in Dieſſen, teſte *Charta vetere in Codice Diplomat. Admontenſi*, *Bern. Pez Tom. III. Anecdot. Part. III. pag. 701.* Bertholdus ille primum nominatus habetur in Diplomate Hermanni, Auguſtæ Epiſcopi, dato pro Sto Monte Andechs, anno 1128. apud HUNDIUM GEWOLDI *Metrop. Salis. Tom II. pag. 68.* Idem *Bertholdus Comes*, ſeu *Berchtholdus*; occurrit in eodem opere HUNDII *Tom. III. pag. 303. ad annum 1130.* Rurſum idem *Berchtholdus Comes de Andeſs* invenitur in Diplomate ab ſe dato 1132: & eodem anno in Bulla Inocentii IIdi apud HUNDIUM *Tom. II. Metrop. Salis. pag. 67. & pag. 181.* Subinde *Bertholdus* cum *Poppone*, ut videtur, Fratre, Teſtis ſcribitur apud R. MEICHELBECKIUM *Hiſtoriæ Friſing. Tom. I. Parte II. pag. 549.* In Tabulis *Commutationis Mancipiorum: Actum Ratiſponæ, & in celebri curia terminatum anno Dominicæ Incarnationis MCXLVII.* Teſtes de Laicis Principibus - - - *Poppo & Berthold Comites de Andechs.* Quinquennio ante, idem Teſtis legitur: *Berchtholdus Comes de Andes*, in Donatione Conradi II. (vel III.) Regis, facta Garſtenſibus *anno 1142. Indictione III.* (corrige V.) *anno Regni ejus IIII.to* Apud Ludewig, *Reliq. MSt. Tomo IV. pag. 204.*

Hunc *Bertholdum* Imum mortuum eſſe anno 1151, & ſepultum in Domo Capituli Dieſſenſis, e *Calendario Dieſſenſi* notat HUNDIUS. Huic ſuffragatur Diploma an-

anno 1150. datum. Relatum a CL. RUBEIS *Cap. LX. pag. 572.* ubi inter Teſtes: *Comes Bertoldus, Comes Rapato &c.* Vivebat ergo anno 1150. Sed anno 1153. mortuis accenſetur in Tabulis Eberhardi Salisburgenſis anni 1153. apud BERN. PEZ *Anecdot. Tom. III. pag. 701.* In quo mentio fit *Bertholdi* ſenioris *mortui*, & filii ejus *Bertholdi*, & Germani iſtius *Ottonis* Clerici, qui ſubinde Epiſcopatum Babenbergenſem obtinuit. En verba: (" Comes Pertholdus de Andechſen, Pater illius *Per-*
„ *tholdi* qui nunc ſupereſt) Vide HUNDII *Metrop Salisb. Tom. II. pag. 84.* ubi *Ottonis*, fratris *Berchtoldi Marchionis* meminit.

Uxor Bertholdi Imi *Sophia de Ammertal* memoratur in Bulla Innocentii II. P. M. data 1132. Indict. X. HUNDII *Metrop. Salis. Tom. II. pag. 181.* & in *Calendario Dieſſenſi.* Eadem ab AVENTINO, & ab ARENPECKIO, HUNDIOque appellatur Filia Ottonis Ducis Norici. *Verſus veteres Dieſſenſes* apud HUNDIUM *Metrop. Salisburg. Tom. II. pag. 180.* Sophiam, & alia opportuna commemorant, quos hic deſcribo, continent autem ſepultos in Dieſſen.

„ Marchio Berchtoldus, Conjux Hadwigis, & ejus (*Pater*)
„ Berchtoldus Comes, atque ſua Conjux præclara Sophia.
„ Cunrat Canonicus, Comes Henricus, Otto frater,
„ & ejus.
„ Dux & Marchio Berchtoldus, ſua nobilis uxor &
„ Agnes.
„ Filius illorum Marchio Heinrich vir honorum.
„ In Cœli porta locet hos pia Virgo Maria.

Bertholdi Imi filius *Bertholdus Ildus* erat, *Comes*

de

de Andechs. Hic ſolo Comitis titulo ſeſe offert anno 1153, uti paulo ante dictum eſt. Deinde anno 1154. in Diplomate Friderici I, dato *Quedlimburgi III. Idus Aprilis*, quo confirmantur bona Monaſterio Sidikenbiſche, apud ILLUSTR. BÜNAU *in Friderico I. Appendice III. pag. 425.* Ubi teſtis adeſt *Comes Bertholdus de Andeſſe.* Anno 1156. *Bertholdum Comitem ab Andechs* in Conventu ad Carpheim fuiſſe perhibet AVENTINUS *Lib. VI. pag. 635.* Anno 1161. *Bertoldus Comes de Andexe* teſtis bis occurrit, apud CL. P. MARC. HANSIZ S. J. *Germ. ſacr. Tom. I. pag. 321:* & apud HUNDIUM *Tom. I. Metrop. Salis. pag. 247.*

Denique *Comitis* titulo (quem iſthic cum titulo *Marchionis* non omnino promiſcue, ut interdum alibi, ſumi poſſe, tot Diplomatum conſenſus probat, etſi ab aliis una aliave vice Marchio dicatur) anno 1164. idem *Bertholdus Comes de Andechs* ſeſe offert in Tabulis fundationis Monaſterii Aſpacenſis: *Indictione XII. Friderici I. Regni XIII. Imperii IX.* HUNDIUS *Tom. II. Metrop. Salisburg pag. 76.* Et poſtremum anno 1172. *Comes Bertholdus de Andechſe* Teſtis legitur in Charta Henrici Ducis Bavariæ. HUNDIUS GEWOLDI *Metr. Salisb. Tom. III.*

VI. Hactenus (quantum properanti occurrit) ſolo *Comitis* titulo uſus eſt *Bertholdus* IIdus, uti & primus. Ab anno 1174. *Bertholdus Marchio Iſtriæ*, atque deinceps ita invenitur. Inde factum credo, ut AVENTINUS hunc *Marchionem* Bertholdum, a *Comite* diverſum crediderit, duosque ex uno formaverit. AVENTINUM ſequitur KOELERUS *in Diſſertat. de Ducibus Meraniæ pag. 25. & 26.* Eundem contra eſſe Bertholdum ſecundum, *Ber-*

Bertholdi primi fundatoris filium, antea *Comitem*, ſubinde *Marchionem*, ſtatuit ARENPECKIUS. HUNDIUS fatetur, in *Calendario Dieſſenſi* Bertholdum II. Marchionem, (nempe creditum diverſum a Comite) non comparere. Veteres Verſus Dieſſenſes apud eundem HUNDIUM *Metrop. Salisburg. Tom. II. pag. 181.* Duos tantum Berchtoldos, *Comitem* unum, alterum *Marchionem:* tertium *Ducem una & Marchiorem* recenſent, uti ſuperius videre licet (*N. V.*) *Chronicon Sti Montis Andechs* germanice editum 1572. prorſus eadem habet de tribus Bertholdis his verbis: („ Marchio Bertholdus de Iſtria, Comi„ tis Bertholdi filius, de Andechs, & Hadwigis ejus „ uxor, genuerunt Bertholdum Ducem de Meran, „ Poponem Epiſc. Babenbergenſem, & Machtildem „ Comitiſſam de Goerz.) Idem confirmat *Calendarium Dieſſenſe* apud HUNDIUM, his verbis: („ Berchtoldus „ de Andechs Marchio, filius Berchtoldi Comitis, „ Fundatoris Eccleſiæ noſtræ, obiit anno 1188.) Conſentit iſthic ætas hujus Bertholdi IIdi, qui mortuo Patre, anno 1151, etiamſi triginta annorum fuiſſet, facile utique, usque ad annum 1187. circiter, vitam producere poterat. Accedit: Bertholdo Marchioni Iſtriæ filium fuiſſe *Bertholdum IIItium, Ducem Imum Meraniæ*, jam anno 1173. (uti mox oſtendam) *Ducis* dignatione illuſtrem: quorum ætas minime congrueret, ſi Bertholdus Marchio, Bertholdi IIdi Comitis filius diceretur. Denique AVENTINUS, qui reliquis Bertholdis Annum mortis aſſignat, Bertholdi ſecundi *Comitis* tempus mortis nullum invenit; quia eum diverſum a Marchione Iſtriæ, ſed non recte, cenſuit. Idem KOELERO accidit.

Itaque *Bertholdus*, *Marchio Iſtriæ* a Friderico Imo conſtitutus, idem eſt cum *Bertholdo IIdo Comite.* Jam vero Marchionis titulo Bertholdus idem gaudebat anno 1174. Indictione VII, in Tabulis, relatis a CL. RUBEIS *Cap. LXIII. pag. 595.* ubi Bertholdus Saunenſis Archidiaconuus queritur: (" de perſecutione, quam „ a Marchione Yſtriæ nomine Bertoldo & ab aliis ſu„ ſtinebat) ſubinde apud CL. BÜNAU *in Friderico primo Append. III. pag. 430.* in Privilegio Friderici primi de Advocatia, & Concambio, dato Monaſterio Kaltenbrunenſi, anno 1179. Indictione XII. in Curia apud Koyne celebrata, Teſtis nominatur: *Bertholdus Marchio Yſtriæ.*

Eundem Bertholdum anno 1180. apud GOLDASTUM *Tom. I. Conſt. Imper.* & anno 1183. *in Tabulis Launenſibus* apud UGHELLUM *Tom. I. Ital. ſacr.* cum Titulo *Marchionis Yſtriæ* ſubſcriptum legi, animadvertit CL. RUBEIS *Cag. LXIII. pag. 595.* Idem Vir doctiſſimus conjecturam facit, *Eadem pagina:* Bertholdum *Marchionem Iſtriæ* fuiſſe filium Bertholdi, *primi Meraniæ Ducis.*

Contrarium huic ſententiæ oſtendit Diploma (quod mox aliis confirmabo) apud HUNDIUM *Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 299.* quod integrum retulit BURGLEHNER *in Manuſcripta Hiſtoria Tyrolenſi*, inſcripta *Tyrolenſis Aquilæ* titulo: *Lib. XIII. Cap. IV. pag. 189.* Ubi autoritate Hainrici Brixinenſis Epiſcopi Conventio facta eſt, inter duos Bertholdos, & Dietericum Præpoſitum Wiltinenſis Monaſterii. En neceſſaria: (" In Nomi„ ne Sanctæ & Individuæ Trinitatis B. (*Bertholdus*) „ Marchio, de Andechs, & filius ejus itidem Bertholdus

„ dus Dux de Meran, D. (*Dieterico*) Præpoſito Wil-
„ tinenſis Cœnobii - - - - - - - - - Quod ego Berchtol-
„ dus Marchio Iſtriæ; & Filius meus Dux Meraniæ
„ - - - - - - Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domi-
„ ni 1180. Indictione XIII. ſub Imperatore Friderico)
Alia ſimillima Charta Bertholdi III, *Ducis Meraniæ*, Filii Bertholdi ſecundi, extat in Wiltinenſi Cœnobio, quam autographam perlegit CL. ROSENTHALIUS: ex qua, & correxit nonnulla, in Diplomate Bertholdi Patris non accurate deſcripta. En utiliſſima fragmenta: („ In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis B.
„ Marchio Iſtriæ, & Dux Meraniæ, & filii ejus, E-
„ kebertus, Otto, Henricus, D. Præpoſito Wilti-
„ nenſis Cœnobii, & ejus ſucceſſorlbus & toti ejus-
„ dem Cœnobii Congregationi in perpetuum. Quo-
„ niam gravia & difficilia negocia noſtra certis ſolemus
„ firmare teſtamentis, ne nimia antiquitate conſecta
„ oblivione deleantur, ac ſi per incuriam negligan-
„ tur &c. - - - - - - - - - hujus rei teſtes ſunt ipſe Mar-
„ chio, & filius ejus Dux Meraniæ, Dominus Degin-
„ hardus Præpoſitus in Diezen, & ejus Capellanus
„ Burghardus. Acta ſunt hæc Wiltin, anno ab incar-
„ natione Domini MCLXXX., Indictione XIII, ſub
„ Imperatore Friderico: per aliam paginam ſigillo Pa-
„ tris mei confirmata. Petitionem igitur Dieterici
„ Præpoſiti ejusdem Cœnobii, & univerſæ congrega-
„ tionis ad tuitionem ipſorum & ad ſalutem animæ no-
„ ſtræ ego B. Dux Meraniæ & Marchio Yſtriæ, cum
„ filiis meis Ekeberto, Ottone, Hainrico, præſcripta
„ jura præſenti teſtamento atque ſigillo noſtro ſubſcri-
„ ptis teſtibus renovamus atque confirmamus.

† Bertholdus de - - - - - - - - - Marchio Yſtriæ (a dextera.)

Ex inſigni hoc utroque Documento patet: Bertholdum III, Ducem I. Meraniæ, Bertholdi II. Marchionis Iſtriæ Filium fuiſſe, eumque ſaltem ab anno 1180 Ducis titulo clarum. Enim vero jam anno 1173. Indictione VI, in Diplomate, ab Henrico VIto Rege dato, apud Würzburg, quo Privilegia Monaſterio Eberſpergenſi conceſſa ſunt, inter teſtes occurrit. *B. Dux Meraniæ*, apud HUNDIUM *Tom. II. Metrop. Salisb. pag. 192.*

Videtur itaque ante annum 1173. Bertholdus IIdus Marchio Iſtriæ, & filius ejus Berchtoldus III. Dux Meraniæ, Friderici Primi Imperatoris gratia, renunciatus eſſe. Etiam poſt annum 1180. Bertholdus II. (Pater Bertholdi Ducis) *Marchionis* titulo contentus vixit. CL. P. HANSIZIUS *Tom. I. Germ. ſacr. pag. 334.* meminit: in Decreto Friderici Imi, itemque in alia charta Ottonis Babenbergenſis Epiſcopi, ſubſcripſiſſe: *Diepoldum, cum Avunculo ſuo Bertholdo Marchione Iſtriæ, ejusque filio Bertholdo Duce Meraniæ - - - - - - Datum apud Niremberg anno Domini MCLXXXIII. Indictione I. III. Idus Martii.* In charta conventionis inter Godefridum Aquilejæ Patriarcham, & Henricum Comitem de Tyrolis, teſtis occurrit: *Bertholdus Marchio de Andechs. Datum Vincentiæ XIV. Calend. Decembris* (die 16. Novembr.) *1184.* In Tabulario Græcenſi Aulico vidit Perilluſtris ROSENTHALIUS autographum.

Bertholdum IIdum Marchionem ARENPECKIUS, & AVENTINUS; item CALENDARIUM DIESSENSE, & KOELERUS anno 1188. obiiſſe ſcribunt. Verum eosdem er-

erraſſe, & Bertholdum ſecundum anno 1187, vel præcedente, obiiſſe, evincunt Tabulæ judicii, lati de lite inter Monaſterium Wiltinenſe, & Oenipontanos: apud BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. IV. pag. 192.* in quibus *Berchtoldus Marchio Hiſtriæ, & Dux Meraniæ* mentionem facit *Berchtoldi Patris ſui* jam mortui. In eodem Documento, inter teſtes adnotantur *Gottfridus, Ludovicus, Gottſchalcus, hi de Andechs - - - - - - - - - Acta ſunt hæc anno Domini MCLXXXVII. - - - - -*

VIII. Bertholdus III, Dux Primus Meraniæ, occurrit (præter memoratos annos 1173. 1180. 1183. 1187.) etiam anno 1193. in Diplomate Henrici VI, quo ſubſcripſit Privilegiis Degernſeenſibus inter teſtes *Bertholdus Dux Meraniæ.* HUNDIUS *Metrop. Salisb. Tom. II. pag. 276.*

Anno 1194. memoratur inter eos, qui Wormatiæ ſub Henrico VI. Imperatore Crucem ſuſcepere. *Dux Dalmatiæ Meran:* In *Chronico Admontenſi* apud R. HIERONYMUM PEZ *Tom. II. ſcript. Auſtr. pag. 192.* Dalmatiæ Dux ob Iſtriæ Poſſeſſiones dici videtur.

Anno 1199. *Berchtoldus Dux Meraniæ* teſtis adeſt in Diplomate Philippi Regis R. dato Monaſterio Aldersbach: apud HUNDIUM *Tom. II. Metrop. Salisb. pag. 43.*

Denique anno 1201. *Bertholdus Dux Meraniæ* teſtis eſt in confirmatione Monaſterii Staingaden, data a Philippo Rege, Rom. Norimbergæ, XII. Calen. Octobris anno 1201. BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. IV.* ex HUNDIO GEWOLDI *Tom. III. Metrop. Salisb. pag. 249.* Idem Teſtis, & Pacator anno 1102. inter Peregrinum II. Patriarcham Aquilejenſem, & Goritienſes: apud CL. RUBEIS *Cap. LXVI. pag. 644. 645. 646.*

Bertholdum hunc (*Meraniæ Ducem*, ejus Nominis, *Primum*, & *Ultimum*) vitam finiiſſe anno 1204. AVENTINUS, ARENPECKIUS, & HUNDIUS conteſtantur, atque in Domo Capituli in Dieſſen ſepultum eſſe. Eidem Bertholdo, a tribus modo laudatis ſcriptoribus, frater *Popo*, & ſoror *Mattildes Goritienſis* tribuitur. Uxor ejusdem *Agnes* Leopoldi VI. Virtuoſi, Ducis Auſtriæ, filia ab AVENTINO appellatur. *Agnetis* nomen (ſed non Auſtriacæ) ueteres VERSUS DIESSENSES apud HUNDIUM *Tom. II. Metrop. Salisb. pag. 181.* („ Dux & Mar„ chio Bertholdus, ſua nobilis uxor & Agnes) qui Verſus pulchre comprobatur ab illis Diplomatis ante relatis anni 1180. & 1182, ubi Bertholdus III. *Dux* ſimul & *Marchio* nominatur. Agnetis Auſtriacæ meminit ORTILO in *Notulis poſterioribus pag. 135.* Sed nihil de his nuptiis indicat, quod vix omitteret. Ab ALBERICO TRIUM FONTIUM MONACHO *ad Annum 1196. pag. 407. Edit. Lipſiæ 1698. in 4to.* Ducis Bertholdi Uxor appellatur *Aalix*, Teconis filia, Conradi Miſnii Neptis. BRUSCHIUS Dedonis filiam vocat: quin & ipſe AVENTINUS *Lib. X. Rhapſod.* Bertholdi Ducis Uxorem, Theodonis Miſnii filiam facit. Igitur vel duas Uxores habuit Bertholdus Dux, vel potius *Aalix* eadem *Agnes* eſt Miſnia, ſola uxor Ducis Bertholdi: erravitque in Agnete *Auſtriaca* AVENTINUS. Sane unam Agnetem conjugem Bertholdi Ducis ponunt VERSUS DIESSENSES. Denique rem decidere videntur *Annales Vetero-Cellenſes* apud MENCKENIUM *Tom. II. pag. 396. & Tom. III. pag. 345.* CHRONICON DRESDENSE *Germanicum*, Annalibus conſentiens. ANNALES VETERO-CELLENSES de *Dedone Comite de Rochelitz*, in Miſnia, ſic habent:

bent: („ Genuit præterea filiam Agnetem, quæ nu-
„ pſit Bertholdo Duci de Merania, qui genuit ex ea
„ filios Ottonem Ducem de Merania, & Marchionem
„ de Oſtirreich (Iſterreich) qui etiam Dandaſſe di-
„ cebatur, & Eckehardum (*Eckebertum*) Babinber-
„ genſem Epiſcopum, & Bertholdum, Patriarcham
„ Aquilejenſem. Item genuit tres filias - - - - - - - -)
Eadem de *Dedone*, Conradi Marchionis filio & *Agnete*, perhibet CHRONICON DRESDENSE, ſæculo XIV inclinante abſolutum, cujus ætatis quoque ſunt Annales VETERO-CELLENSES. Vide quoque *Monumenta deſcripta ex vetuſtis membranis*, LUDEWIGII *Reliq. Tom. VIII. pag. 182.* *Aalix* itaque illa MONACHI TRIUM FONTIUM, eadem *Agnes* eſt, Bertholdi Ducis uxor. Solius AVENTINI cauſa (qui ſibi hac in re non ſatis conſtare videtur) Agnetem alteram Auſtriacam, Bertholdi Ducis uxorem, hic non putamus recipiendam.

Filii Bertholdi Ducis ab omnibus memorantur: IX.
Ecbertus Epiſcopus Babenbergenſis: *Bertholdus*, ex Coloczenſi Antiſtite, 1218. Patriarcha Aquilejenſis: *Otto Primus*, ſeu *Senior*, Dux Meraniæ: *Henricus* Marchio Iſtriæ, qui obiit 1228, poſt 14. Maji, teſte CHRONICO OSTERHOVENSI, *ad anno 1228.* De Ecberto Ottone, & Henrico Bertholdi Ducis filiis, vide hujus Diploma anni 1180, indicatum N. VII. Filiæ ab ARENPECKIO & AVENTINO recenſentur tres: *Gertrudis*, Uxor Andreæ Regis Hungariæ: *Hedwig*, Henrico Sileſio nupta: *Agnes*, Philippo Regi Gallorum collocata. Quartam filiam præterea, apud HUNDIUM, *Calendarium Dieſſenſe in Decembri* nominat: *Mattildem*, *Abba-*

batiſſam in Kizing. Abbatiſſæ hujus & ALBERICUS TRIUM FONTIUM, & HASELBACHIUS *Chron. Auſtr. Lib. V. pag. 719.* apud R. HIERONYMUM PEZ *Tom. II.* mentionem ſecere, ſed omiſſo nomine Mattildis. Omnia confundit *Autor Additionum* ad CHRONICON MELLICENSE, HIER. PEZ *Tom. I pag. 239.* Ubi ad annum 1242. ita ſcribit: (" Berchtoldus Patriarcha Aquilejenſis; frater Otto-„ nis Ducis Meraniæ, cujus ſoror Mechtildis, Co-„ mitiſſa Tyrolis obiit) Sed ipſe Doctiſſimus P. PEZIUS has Additiones, a recentiore manu profectas, parvi facit. Alteram hanc Mattildem, Bertholdi III, Ducis filiam, omnes, qui ejus meminere, *Abbatiſſam* tantum, nemo Goritienſis Comitis, aut alterius uxorem appellat, ſi Mellicenſis Chronici *Additamenta* demas, quæ Mattildes duas, unam cum altera, & Tyrolenſes Comites cum Goritienſibus confundunt. Mattildem vero priorem Bertholdi II. *Marchionis* Iſtriæ filiam, *Goritienſem* vocant: ARENPECEIUS, HUNDIUS, & utroque potiores AVENTINUS, & CHRONICON STI MONTIS ANDECHS, quod vide N. VI. AVENTINUS præterea *Lib. VII. Annal. Boj. pag. 693. Mattildem, illius Meinhardi Aviam* appellat, qui poſt mortem Ottonis II. Meraniæ Ducis 1248., ejusdem terras occupaſſe fertur. Verba AVENTINI ſunt: (" Menardus Goricius, cujus „ Avia ab Andechs erat.)

Meinhardus iſte, qui anno 1248. floruit, & usque ad 1258. vixit, eſt nobis Meinhardus III; fuit ergo Mattildes Engelberti II uxor, Meinhardi II, & Engelberti III mater: & ita Meinhardi III. Avia, quem nexum quantocius pluribus expediemus. Porro hanc Mattildem Bertholdi *Ducis* filiam dici non poſſe, confici-

ficitur ex annis Engelberti II, atque duorum Bertholdorum. Engelbertus II. circa annum ſaltem 1150. nuptiis certo maturus fuit. Bertholdus II. Marchio obiit 1187: Bertholdus III. Dux I. obiit 1204. Filia igitur Bertholdi II. commode uxor eſſe poterat Engelberti II: contra, Bertholdi Ducis filia vix, ac ne vix quidem Engelberti II. conjux eſſe poterat.

Hac de Bertholdis diſſertatiuncula ſequentia, niſi fallor, commonſtrata ſunt: *Primum:* Bertholdo I. Andechſio, Fundatori dicto, duos tantum Bertholdos deinceps ſucceſſiſſe in Principatu, nulla hic habita ratione Bertholdi Patriarchæ Aquilejenſis. *Secundum:* Bertholdum IIItium, Ducem Imum, fratrem fuiſſe Mattildis Goritienſis, filiæ Bertholdi II. Marchionis. *Tertium:* unicum Bertholdum Meraniæ Ducem fuiſſe: eidem duo Ottones deinceps Duces ſucceſſere. ARENPECKIUS male Ottonem II. cum priore confundit. *Quartum:* Bertholdum non eſſe *Ducem Meraniæ* factum anno 1180. occaſione exautorati a Friderico I. Imp. Henrici Leonis Bavar. & Saxoniæ Ducis; quod hactenus prope omnes ſcripſere, etiam KOELERUS, *in Diſſertat. de Ducibus Meraniæ*, & Illuſtr. BÜNAU *in Friderico I. pag. 266.* ubi etiam *Bernardus* legitur loco *Bertholdus.* *Quintum:* Non eſt ergo audiendus LAZIUS, qui *Lib. XII. Commentar. Reipubl. Rom. pag. 1024.* (ſed ſecum pugnans *Libro VII. de Migrat. Gent. pag. 302. &c.* & *Lib. Vi. pag. 173. &c.*) duos Bertholdos Duces ſtatuit. Errat quoque ANONYMUS LEOBIENSIS apud HIER. PEZ *Tom. I. pag. 836.* ubi ita habet: (" Meinhardus Co-
„ mes, Alberto Patre, ex filia Marchionis Andacen-
„ ſis, viri nobiliſſimi ortus.) errat, inquam, in eo,

quod cum CHRONICO STAMSENSI Albertum Meinhardi IV. (de quo hic agit) Patrem compellet, quod inferius confutabitur N. XX: deinde, quod Meinhardi IV. Matrem, Marchionis Andacenſis filiam, appellet, quæ Mater fuit Meinhardi II; Meinhardi IV. vero Matrem aſſeremus Adelheidem, Alberti Tyrolenſis filiam: *vide* N. XV. Unum vel alterum Diploma, quod noſtræ Bertholdorum ſeriei adverſum videtur, ſeorſim diſcutietur ad finem, N. XXX. hujus Capitis.

X. Redeamus ad *Engelbertum IIdum* cui duos (haud dubie ex Mattilde) filios fuiſſe, Diplomata declarant. Prior Meinhardus invenitur in *Theſaur. Anecdot.* BERN. PEZ *Tom. III. Par. III. pag. 803.* in Traditione Ottonis de Puch, ſine anno adnotato. Verba, quæ huc faciant, ſunt: (" Delegarunt illud in manus & fidem Engilber-„ ti Comitis de Gorze; tradendum per eum Admun-„ tenſi Eccleſiæ. Teſtes ſunt hujus rei Dominus Pa-„ triarcha Aquileienſis Gotfridus, ipſe Comes, & „ filius ejus Mainhardus Comes &c.) rurſum infra, ubi de executione agitur, (" Teſtes: Patriarcha Got-„ fridus, Mainhardus Comes, filius Engilberti Comi-„ tis.)

Goteſridus Patriarcha Aquilejenſi Eccleſiæ præfuit ab anno 1182, ad annum 1194: uti docte comprobavit R. P. RUBEIS. *pag. 627. & 639:* Quare hoc Documentum de Engelberto II ſine dubio tractat. Conjecturam facere licet: ante annum 1187 has Tabulas confectas eſſe; cum deinceps, aut Meinhardus ſolus compareat, aut cum Fratre, ſine Patre. Anno 1186. ſub Goteſrido Patriarcha Indictione IV. Teſtes no-

notantur *Comes Engelbertus*, *& Meynardus ejus filius*, apud CL. RUBEIS *Cap. LXV. pag. 632.* Apud eundem *Cap. LXVI. pag. 651.* in Tabulis confectis Aquilejæ 1186, Indictione IV, die V. Septembris: hæc habentur: (" Ego Engelbertus Comes de Goritia, Aqui-
„ lejenſis Eccleſiæ Advocatus - - - - - - - - - una cum
„ filio meo Meginardo, conſentiente quoque filio
„ meo Engelberto, refutavi - - - - - - - - - - - - Actum
„ eſt Aquilejæ in Patriarchali Palatio.)

Tenemus ergo duos *Engelberti IIdi* filios, qui deinceps ſinguli ſæpius occurrunt. Patrem eorum *Engelbertum* II. circa annum 1188. ex hac vita demigraſſe ſuſpicor; nusquam enim deinceps ejusdem occurrit memoria. Sane anno 1188. ſolus *Meinhardus* (ut mox videbimus) ſolus item occurrit anno 1193. in *Epiſtola Henrici VI. Imperatoris ad Philippum Regem Franciæ*, apud ROGERIUM HOWEDENUM, *Annalium Angliæ Parte Poſteriore: Inter Scriptores Rerum Anglicarum, Francofurti editos 1601. pag. 721.* His verbis: (" Qui-
„ dam itaque fidelis noſter Comes Mainardus de Gor-
„ tze, & populus Regionis illius inſecuti ſunt, In-
„ tendentes eum capere) nempe Richardum Regem Angliæ, circa eas oras Nauſragium paſſum, ac deinde Viennæ captum.

Denique anno 1102. in Documento, inferius memorando, mortui jam *Engelberti* II. certa mentio eſt facta.

De *Meinhardo* II. memorabile eſt, quod legimus XI.
apud UGHELLUM *Tom. V. Italiæ ſacræ pag. 77.* in Tabulis transactionis de juribus Abbatiæ Moſacenis Anno 1188.

Indict. VI. Nam inter Teſtes mentio fit. *Meinardi junioris Advocati.* Solet hæc junioris appellatio ſeniorem eiusdem nominis viventem indicare. Quare aut Avus *Meinhardus* I. etiam tum in vivis fuiſſet: aut Patruus aliquis *Meinhardus* fingendus eſſet. Verum neutrius ulla hiſce temporibus occurrit memoria. Fortaſſe τὸ *junioris* ad vocabulum *Advocati* referri poteſt; ut *Meinhardus* diceretur *junior Advocatus*, ſi *Engelbertum* Patrem *Seniorem Advocatum* intelligas. Sane in *Gloſſario Latinitatis* CELEB. DU FRESNE occurrit *Major Advocatus*, & *Majores Advocati*, Minores vero dicebantur *Subadvocati.* Neque iſthic Meinhardi II. filium Meinhardum III. collocare licet; quia *Meinhardus III. junior*, diſerte anno demum 1220, & ſequentibus, *junioris* cognomento, in publicum prodiit: quod cum anno 1188. non cohæret. Denique & mortuo Seniore, *junioris* appellatio aliquomodo adhiberi potuit, cujus certum exemplum dedimus e ſigillo Alberti III. Com. Goritiæ, *Cap. I. N. IX.*

Anno 1202. Meinhardus II, & Engelbertus III. fratres cum Udalrico II. Patriarcha olim: ac deinde cum Peregrino II. Patriarcha adnotantur concordiam iniviſſe. Tabulas exhibet CL. RUBEIS *Cap. LXVI. pag. 644.* Quarum initium eſt: (" In Nomine Sanctæ, &
„ Individuæ Trinitatis Amen. Notum ſit omnibus
„ Chriſti Fidelibus, tam futuris, quam præſentibus:
„ qualiter diſcordia inter Dominum Patriarcham Pe-
„ legrinum II, & Comitem Meynardum, & Fratrem
„ ejus Comitem Engelbertum de Goritia - - - - - - - -
„ - - - inſuper omnem tenutam, quam Pater eorum,
„ tempore Domini Udalrici Patriarchæ in ultimis vi-
„ tæ ipſius, usque ad Patriarcham Gotefredum, ha-
„ buit

„ buit &c.) Hinc patet, Engelbertum II, Patrem Meinhardi II, circa Gotefredi Patriarchæ primos annos mortem oppetiiſſe. Gotefredus Udalrico II. ſucceſſit anno 1182. (RUBEIS *pag. 627.*) Anno vero 1186 ultimum comparet, expreſſo nomine, hic Engelbertus: Itaque paulo poſt vitam finiiſſe videtur, uti ſuperius indicavimus.

Prætermittimus hic quosdam Meinhardi II, & Engelberti III. fratrum annos, quos ad Chronicon rejicimus. Illud præſenti loco proprium eſt: Meinhardo II, natu majori, Filios non fuiſſe, aut ſaltem non ipſi ſuperſtites; quia idem Meinhardus in Litteris publicis nonniſi cum Meinhardo III, Engelberti Fratris filio, comparet. Filium hunc, ſed ſine nomine, commemorat ſequens Charta, vulgata a CL. P. RUBEIS *Cap. LXVIII. pag. 672.* Data anno 1216. Indictione IV: qua Marquardus (*Meinhardus*) & Engelbertus, Filiusque Engelberti abdicant jus Advocatiæ in quosdam manſos in Faganea poſitos, in favorem Canonicorum Civitatis Auſtriæ. Verba, quæ rem conficiunt, ſunt iſthæc: (" inſuper idem Comes Marquardus „ (*Meinhardus*) dedit vadium dicto Ottoni Decano, „ recipienti nomine Eccleſiæ Civitatenſis ſub pœna „ XXXV. Marcarum: quod faciet reſignare Fratrem „ ſuum Comitem Engelbertum, & Filium ejus.) XII.

Recte iſthic pro *Marquardo*, *Meinhardum* legit CL. P. RUBEIS; quippe eadem in Charta *Comes Marquardus de Goritia* appellatur: idem cum Engelberti frater compareat, alius a Meinhardo II. eſſe non potuit; quando

hos duos, & ſolos, plura documenta commemorant Fratres, & Goritienſes Comites.

Mentio iſthic facta eſt unius tantum Engelberti III. filii Meinhardi, alter igitur, *Albertus II.* aut nondum natus, aut etiamtum parvulus, ſilentio præteritur.

Anno 1217. poſtremum, quod ſciam, in publicum prodit *Engelbertus* III. Chartam Conventionis inter Wolfkerum Patriarcham, & Lupoldum Ducem Auſtriæ, & Styriæ confectam *anno 1217. Indictione V. Nono Julii* habenus productam a R. P. RUBEIS *Cap. LXVIII. pag. 675.* In qua legitur: („ - - - - - - - - In „ Præſentia - - - - - - - - - D. Meinardi, & Engelberti „ Comitum de Gorze - - - - - - - - - - - - - -)

XIII. Engelberti III. filium natu majorem *Meinhardum* III. comprobat Documentum anno 1226. ad Diem V. exeunte Octobri (id eſt die 27. Octobris) conſcriptum, quod ex BELLONO refert laudatus RUBEIS *Cap. LXXII. pag. 717.* („ Dominus Comes Maynardus Senior de „ Goritia, cum manu & voluntate Nepotis ſui Mey- „ nardi Junioris de Goritia &c.

Igitur *Meinhardus* III. non fuit Meinhardi II. Filius, ſed ex fratre Engelberto Nepos. Ne vero de *Nepotis* vocabulo, propter Meinhardum IV. quisquam vitilitigare poſſit; adferimus ex aliis Tabulis teſtimonium, quod ſcrupulum omnem eximet. ILLUSTISS. COMES SIGISMUNDUS ATTEMSIUS, Peritiſſimus Diplomatum Goritienſium Poſſeſſor, datis Goritia Litteris 1750. VII. Idus Decembris, ſequentia nos edocuit. (Extat pe- „ nes me præſtantiſſimum Diploma (cujus & BAUTSCH- „ NERUS mentionem fecit) Anni MCCXXXII., quo „ Mainardus Junior Comes Goritiæ (qui alio Diplo-

ma-

„ mate itidem Pater Alberti Comitis Goritienſis nun-
„ cupatur) confirmat Fundationem commendæ, ut
„ ajunt Teutonicæ, in Precinis factam a *Patruo* ſuo
„ Mainardo Seniore. In eodem Diplomate idem Mai-
„ nardus Junior de ſe loquens ait: Qui Patruis, & Pa-
„ truelibus Bonis Deo Auctore ſucceſſimus.)

Certi itaque reddimur: Engelberto III., Meinhardi II. fratri, filium tribuendum eſſe *Meinhardum III.* Deinde: Anno 1232. jam vita exceſſiſſe & *Patrem*, & *Patruum* Meinhardi III., quorum bona idem obtinuit. Sane *Engelbertum III.* intra annum 1218. & 1222. mortem oppetiiſſe, ex eo probabile fit, quod poſtremum anno 1217. idem in publicis Tabulis inveniatur; Anno vero 1222. unicus tantum Goritiæ Comes Advocatus Aquilejæ cum Patriarcha Bertholdo, Venetiis Pacem cum Duce firmaſſe legatur, nulla alterius Comitis facta mentione. Apud RUBEIS *Cap. LXIX. pag. 691.* ex DANDULI *Chronico, & ſumma Tabularum.*

Meinhardum II. anno 1231. poſtremum legimus in Charta Bertholdi Patriarchæ, quam a COMITE FLORIO, Viro Doctiſſimo, ſibi communicatam, R. P. RUBEIS retulit *Cap. LXXI. pag. 707.* Datam anno 1231. Indictione IV. die XIV. intrante Julio. Inter Teſtes habetur: („ Comes Meynardus de Goritia) Cum igitur idem Meinhardus II. in Attemſiano Diplomate Anno 1232. mortuus memoretur; neceſſe eſt eundem poſt XIV. Julii Anno 1231., & intra annum 1232. (diem ignoro) naturæ penſum perſolviſſe.

Quænam Engelberti III. *Uxor*, Meinhardi III. *Mater* fuerit, nos latere fatemur. Equidem Doctiſſimus P. RUBEIS Cap. *LXXI. pag. 709.* de Alberti Tyrolenſis XIV.

Fi-

Filia ita ſentit. „ Filiam, quam vocant nonnulli Adel-
„ heidem, matrimonio copulavit Engelberto III. Go-
„ ritiano, Filii Engelberti II., & Mattildis Andacen-
„ ſis. Nato filio Nomen Alberti inditum eſt, quod
„ in Familia Goritienſium Comitum audiri cœpit. Engel-
„ berti nomine prætermiſſo, quod hactenus obtinuerat.)

Quin Eruditiſſimi Viri opinioni ſubſcribam, vetant me Documenta, quibus oſtendam N. XV. Alberti poſtremi Tyrolenſium Comitis Filiam, eamque Nomine certo *Adelhaidem*, non fuiſſe uxorem Engelberti III., ſed Meinhardi III. ejus filii.

Meinhardus III., poſt Patris obitum, anno 1234. a Bertholdo, Patriarcha Aquilejenſi, *Nepos* appellatur in Documento, cujus Epitome refertur *in Repertorio Auſtriaco Part. II. fol. 741.* ubi Patriarcha cum *Comite Meinhardo de Gœrz Nepote ſuo* convenit de Telonio, aliisque juribus in Monte Tauro, & Creizperg. Cur *Nepos* dicatur Meinhardus, palam fit ex hoc ſchemate Genealogico, jam ſuperius comprobato a N. V. ad N. XI.

Bertholdus II. Marchio Iſtriæ, antea Comes de Andechs.

Bertholdus III. Dux Meraniæ I.	Mattildes, Uxor Engelberti II. Goritiæ Comitis.
Bertholdus Patriarcha Aquil.	Engelbertus III. Comes Goritiæ.
	Meinhardus III. Comes Goritiæ.

Fuit nempe Mainhardi III. *Avia* Mattildes, AVENTINO teſte: Eadem Bertoldi Patriarchæ *Amita*; ut ita Bertholdi Patriarchæ Nepos dici poſſit Meinhardus III.

Obi-

Obitus Meinhardi III. a BURGLEHNERO *Lib. III. Cap. V.* Conſignatur Anno 1258. 22. Julii. Annum confirmat CHRONICON STAMSENSE MStum, citatum a CL. ROSCHMANNO *in Diſſertat. MS. de Orig. Comitum Tyrol.* his verbis: (,, Defuncto Patre Fundator noſter ,, Comes Goritiæ ac Tyrolis anno proxime ſequenti, ,, hoc eſt, quinquageſimo nono, matrimonium con- ,, ſtituit cum Sereniſſima D. Eliſabetha - - -)

Meinhardo III. uxorem *Adelheid*, Alberti Comitis Tyrolenſis filiam, tribuimus. In Hiſtoria MS. *Aquilæ Tyrolenſis* MATHIÆ BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 202.*, refertur *Conventio facta Meraniæ X. Novembris 1254.*, inter Comitem Gebhardum de Hirſchperg, ejusque Uxorem Eliſabetham, ex una: & ex altera parte, inter affinem illorum Comitem *Meinhardum Goritiæ*, ejusque uxorem *Adelheid*, de diviſione hereditatis Alberti Tyrolenſis mortui, Patris *Eliſabethæ*, & *Adelheidis*: deque bonis *Utæ* (piæ memoriæ) Comitiſſæ Tyrolis. XV.

Ex hac charta diſcimus: Alberto Tyrolenſi ex Uta binas filias fuiſſe, alteram *Adelheid*, *Meinhardo III.* nuptui datam, qui hoc demum anno 1254. Tyrolenſium terrarum poſſeſſionem adiit; qua de re plura in Chronico: alteram *Eliſabeth*, quæ *Oſteca* nominatur, in Documento anni 1253., cujus apographum autentiſtum, e Tabulario Capituli Tridentini, obtinuit *Illuſtriſs. D. Comes* SIGISMUNDUS ATTEMSIUS.

In aliis Tabulis *Adelheidis* mentio fit, *cujus Vice & nomine Meinhardo III.* Anno 1256. Feuda Tridentina conferuntur, etiam pro Filiis Alberto & Meinhardo, & Succeſſoribus, ab Egnone Epiſcopo Tridentino. *Tridenti, die martis, ſecunda intrante Majo;* ſed feuda hæc per alias Tabulas petita

 ſunt

ſunt antea *die II. exeunte Aprili* (XXIX. Aprilis) Tabulæ extant apud BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 203.* Ejusdem Scriptoris autoritate (qui Tyrolenſia Tabularia autoritate Cancellarii, & Judicio docti Critici perſcrutatus eſt) nititur id quod ſynoptice memorat: *Lib. XV. Cap. III. pag. 104.* ab Egnone Epiſcopo Tridentino (nato Comite ab Eppan, electo anno 1240. in Septembri) collatum eſſe Feudum *Alberto Comiti Tyrolis* Anno 1253., ſimulque uxori ejus *Jutæ*, & Filiabus duabus *Adelheid*, & *Eliſabeth.*

XVI. Omne denique dubium de *Adelheide* Meinhardi III. Conjuge, diſſolvit charta, adnotata: *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol. 703.* & *Collection. Docum.* P. STEYERER *Parte IV. fol. 50.* qua *Comitiſſa Adelheid de Tyrol, Comitis Meinhardi de Goritia Vidua*, vendit Patriarchæ Aquilejæ Gregorio Belgradum, Luzenicum, & Budiz pro 3000. Librarum Pernenſium. *Datum anno 1261. Indictione IV. XV. Auguſti in Caſtro Formiano.* Extat in Regiſtratura Auſtriaca, olim Oeniponte, nunc Græcii repoſita.

Ipſa bina Documenta, quorum ex UGHELLI *Tom. V.* R. P. RUBEIS *Cap. LXXIII. pag. 733. & 734.* meminit (vide inferius N. XX.) id manifeſto comprobant, quibus *Comes Albertus Tyrolenſis*, Meinhardi IV., & Alberti II. ejus Fratris, *Avus* ter appellatur; quia nempe Adelheid, ejusdem Alberti Tyrolii filia, horum duorum Mater erat.

Adelheidem hanc Tyrolenſem priore matrimonio Henrico Rom. Regi, Imperatoris Friderici II. Filio, pro ſecunda uxore datam eſſe, atque Henrico mortuo, eandem nupſiſſe *Meinhardo Seniori Goritienſi*, narrat HUNDIUS *Stemmatographiæ Bavar. Part. I. pag. 75.* Autoritatem

tem huic narrationi non adjungit; ſed cum Henricus Rex, Friderici II. Filius, Anno 1242. in Februario obierit (Teſte RICHARDO DE S. GERMANO *Tom. X.* UGHELLI *Venet. Edit. pag. 240.*) temporum ratio videtur repugnare: porro autem repugnant Scriptores alii vetuſti probatique, qui Margaretham Auſtriacam, Leopoldi VII. Filiam, certam R. Henrici *Viduam* commemorant. *Vide* R. P. CALLES S. J. *Annales Auſtriæ Tom. II. pag. 288. 352. 355.*

De obitu Adelheidis alia non ſuppetunt, quam ex laudato BURGLEHNERO *Lib. XIII. Cap. V.* ſequentia („ Adelheid obiit anno 1275., ſepulta eſt cum Soro„ re ſua Eliſabeth, in Parthenone Steinach, ſupra Me„ ran, ad Atheſim ſito, ab ambabus fundato.)

Ex *Adelheide* binos filios *Meinhardus III.* ſuſtulit: XVII.
Meinhardum IV., & *Albertum II.*: Filias totidem: *Adelhaitam*, & *Bertham.* Hos omnes, demta Bertha, comprobant notatæ in *Excerptis Genealog. Roſenthalianis*, Tabulæ, datæ 1258. quibus convenit inter Henricum Curienſem Epiſcopum, & Adelhaitam Comitiſſam Tyrolis, de variis Controverſiis &c. en verba: (A. Comi„ tiſſam, & Filiam ejus A. nec non M. & A. ejus filios „ &c.) id eſt *Adelhaitam Comitiſſam, & filiam ejus Adelhaitam: nec non Meinhardum & Albertum ejus filios.*

De filiis plura dicenda erunt. Filia *Adelhaita* uxor fuit Friderici Comitis de Ortenburg, qui vitam finiit anno 1304. Oſtendit iſta CL. P. RUBEIS *Cap. LXXIII. pag. 731.* e duobus monumentis. Prius eſt Epitaphium in Eccleſia PP. Prædicatorum Civitatenſium, quod ita habet („ † „ Hic jacet Dna Adelheyta Comitiſſa Uxor Dni Federici „ de Ortenburch ſoror Domini Mainardi Ducis Karin-

„ thiæ, & Domini Alberti Comitis Goritiæ) Alterum eſt NECROLOGIUM eorundem PP. Prædicatorum („Anno Do-„ mini MCCCIV. obiit Dominus Federicus nobilis Co-„ mes de Ortenburch) Adelheytæ Epitaphium, refertur & ab HUNDIO *Stemmatograph. Bavar. Parte II. pag. 18.* (ubi loco *Adaleyta*, legitur *Adalita*) atque idem nuptias Adeleytæ cum Friderico collocat an. 1256.

Hujus *Adelheitæ*, Friderico Ortenburgio nuptæ, meminit quoque Accuratiſſimus BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V.* additque: alteram Meinhardi III. filiam fuiſſe *Berthan*, Comiti Conrado de Wuelenſtætten, & Kirchberg elocatam: inde natus Bruno, poſtea Brixinæ Epiſcopus, qui Urbem Brauneggen condidit. Eadem de *Bertha* jam antea perhibuit HUNDIUS GEWOLDI, *Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 301.*

XVIII. Priusquam ad Meinhardi III. Fratrem *Albertum I.* transgrediar, de Primogenito ejus Filio *Meinhardo IV.* controverſiam diſſolvam. *Meinhardi* hujus quarti Patrem Albertum I. (nempe Meinhardi III. fratrem) *Chronicon. Stamſenſe apud* R. P. HIERONYMUM PEZ *Scriptorum Auſtriac. Tom. II. pag. 457.* item *Tom. I. pag. 1233.* VITUS ARENPECKIUS *in Chronico Auſtriaco:* Et eodem *Tom. I.* ANONYMUS LEOBIENSIS *pag. 835., & 836.* cujus verba ſunt, ad annum 1272. („ Meinhardus Comes, „ Alberto Patre ex Filia Marchionis Andacenſis, viri „ nobiliſſimi, ortus) ſed errat in Patre, & Matre: de Matre Mattilde Andacenſi ſuperius N. V. &c. actum eſt; de Patre nunc agimus. Similis eſt ANONYMI locus ad annum eundem, dum notabili Anachronismo *Albertum illum Tyrolenſem* Meinhardi IV. Patrem facit, qui ſub Friderico I. Imperatore ad Mediolanum miri fica-

ſica perpetravit. Ea res accidit anno 1158., de qua RADEVICUS FRISINGENSIS *Lib. I. Cap. XXXVII. pag. 772. Tom. VI. Script. Ital.* MURATORII. Porro CHRONICON STAMSENSE (ex quo manifeſte hauſit ARENPECKIUS) ita apud HIERON. PEZ *Tom. II.* habet: („ Anno Domini „ 1253. in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ, obiit Al- „ bertus Comes Georitiæ, & Tyrolis, Pater Comi- „ tis Meinhardi Fundatoris noſtri, qui apud nos eſt „ honorifice tumulatus) Etſi autoritas STAMSENSIS CHRONICI, dum de Patre Fundatoris ſui agit, magna autoritate polleat; hic tamen locus, deſcribentium vitio, certo mendoſus eſt, debetque reponi *Avus Comitis Meinhardi*, loco *Pater*. Alius enim, magis integer *Chronici Stamſenſis* Codex MS., cujus verba *Num. XIV. ad finem* retuli, aperte anno 1358. Patrem Meinhardi IV. Fundatoris, obiiſſe narrat. Deeſſe in PEZIANO Codice nonnulla arguit ſaltus ab anno 1353., ad 1373. Porro primo demonſtrabo *Albertum*, *Comitem Tyrolis*, anno iſthoc 1253. mortem opetiiſſe, quem jam oſtendi Meinhardi IV. Fundatoris *Avum Maternum* fuiſſe. Deinde palam faciam: Meinhardi IV. Patrem non fuiſſe *Albertum I.* ſed *Meinhardum III.* Alberti I. fratrem.

Albertum Comitem Tyrolenſem intra annum 1253. XIX.
& 1254. mortalem vitam poſuiſſe, liquido concluditur, e duobus Documentis, quæ paulo ante, e BURGLEHNERO de Adelheide agens, N. XV., adduxi. Quippe anno 1253. Alberto Tyrolenſi, Jutæ uxori, ac duabus Filiabus feuda contulit Egno Tridentinus. Mox anno 1254. hereditatem Alberti Tyrolenſis, & Jutæ, defunctorum, partiuntur duo Generi, Comes Hirſchbergius, & Meinhardus III. Accedit aliud ex

eodem BURGLEHNERO Alberti Tyrolenſis Diploma, quo Wilthinenſi Monaſterio, occaſione famuli, de jure ſuo providet: („ Acta ſunt hæc anno Dominicæ „ Incarnationis MCCLIII. Indictione I. (corrige XI.) „ apud Inſpruck in Domo Henrici Hutarii. Hujus „ facti Teſtes ſunt Dominus Wintilo de Andechs - -) BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V.* Cum his prorſus conſentit CHRONICON SALISBURGENSE *Tom. I. Script. Auſtr.* HIER. PEZ *pag. 363.* Quod, ad annum 1253. ita habet: („ Comes Tyrolenſis obiit) id quidem CL. RUBEIS *Cap. LXXIII. pag. 731.* ad *Albertum I. Goritienſem* refert; ſed reclamat ſolus *Tyrolenſis Comitis* titulus, ſine mentione *Goritienſis*, aliaque plura, quæ paulo poſt adferemus. N. XXII.

Certum denique reddit annum 1253. mortis Alberti Ultimi Comitis Tyrolis, Bulla Innocentii IV. Autographa inſpecta a PERILL. ROSENTHALIO qua (" V. (Utam) Comitiſſam, A (Alberti) Comitis „ Tyrolis Viduam, in ſuam protectionem ſuſcipit. „ Datum Laterani Idibus Januarii, anno Pontificatus „ XI.) Denotat hic annus Pontificatus XIus certo annum æræ Vulgaris 1254; quia Innocentius IV. Sedem Apoſtolicam conſcendit 25 vel 24 Junii 1243: uti probat FRANC. PAGIUS *in Breviario Geſtor. Pontif. Rom. Tom. III. pag. 291. de Innocentio IV.* Quoniam vero die 13 Januarii 1254 Bulla Romæ ſignata eſt, ad *Viduam* Utam; ejus Mariti mors ante finem anni 1253 debuit contingere, tertia ſaltem, alterave hebdomade. Diem mortis 22 Julii videtur indicare VITUS ARENPECKIUS *Chron. Auſtr. pag. 1233 apud Hier. Pez Tom. I.* ubi confundens duos Albertos, Patremque Meinhardi IV. ma-

male appellans Albertum, ita ſcribit: („ Albertus „ Comes Goritiæ, & Tyrolis obiit 1253 in die Mariæ „ Magdalenæ. &c.) Mortem vero Alberti I. Comitis Goritiæ, Fratris Meinhardi III. ad annum 1250 referimus, ſolo quidem teſte *MSto*, TABULARII GRÆCENSIS, quod hiſce verbis R. P. ANTONIUS STEYERER S. J. *in Præfatione ad Commentarios pro Hiſtoria Alberti II. Auſtr. pag. ultima* commemorat: („ Differt tamen a Neoſta„ dienſi (MSto, Græcenſe MStum) quod illud pri„ mo loco referat mortem Alberti Goritienſis, & Ty„ rolenſis Comitis ad annum 1250.) Non ſatis accurate, pro *hoc tempore*, Albertus videtur Comes Goritiæ *& Tyrolis* appellari; niſi ad veterem nexum Tyrolenſium & Goritienſium Comitum ſcriptor reſpexerit: vel hic quoque Scriptor, uti aliis accidit, duos Albertos, Tyrolenſem, & Goritianum confuderit.

Veniamus jam ad alteram Aſſertionis noſtræ par- XX.
tem: Meinhardum IVtum Meinhardi IIItii, non Alberti Imi, filium fuiſſe. In *Repertorio Auſtriaco Parte II fol. 735.* memorantur Tabulæ Concordiæ initæ, inter Patriarcham Aquilejæ Gregorium, & *Comitem Meinhardum de Goritia:* quibus idem *Meinhardus* abdicat jus ad quasdam oppignorationes, & ad illa feuda Aquilejenſia, quæ *Pater ipſius*, *Comes Meinhardus* obtinuit, pretio 4000 Marcarum Aquilejenſium, &c. Anno 1260. Hoc igitur anno (defuncto antea 1258 Meinhardo III 22 Julii, uti oſtenſum eſt N. XIV.) Meinhardus IV cum Gregorio Patriarcha tractat; itaque nihil clarius hoc argumento pro Meinhardo III Patre Meinhardi IV. ſimile dabimus *Capite IV. N. I.* an. 1262.

His

His egregie ſuffragantur binæ Tabulæ apud CL. RUBEIS *Cap. LXXIII. pag 733 & 734.* Priores anno 1259 ex *Tom. V* UGHELLI *pag. 605 &c.* deſumptæ ſunt, in quibus legitur: (" Dominum Egenonem, nomine „ recti, & honorabilis feudi, & ad rectum feudum „ inveſtiviſſe Nobilem D. Comitem Menhardum, fi„ lium Nobilis Domini Comitis Menhardi de Goritia, „ de ſuo antiquo feudo, recipiente dicto Dom. Co„ mite Menhardo pro ſe, ac nomine, & vice Fratris „ ſui Domini Comitis Alberti abſentis, & ſuorum he„ redum utriusque ſexus - - - - - - - ſecundum quod „ D. Comes Adelpretus Tyrolenſis eorum Avus - - - - „ habebat, & tenebat - - - - - - - - -) Tabulæ Poſterio-res, Rudolphi Regis Diploma exhibent, datum Ulmæ, anno Domini 1266, ubi hæc habentur: (" Comes etiam „ (Meinhardus) retinebit, & pacifice perpetuo reti„ nebit omnem jurisdictionem, & omnia jura, quæ „ in prædicto Oppido Bozano, & ejus diſtrictu, quo„ modo Albertus Comes Tyrolis ipſius Avus, & Pa„ ter ejusdem Comitis Meinhardi, & poſtmodum ipſe „ Menhardus Comes continuata poſſeſſione Patris, & „ & Avi - - - - - - - pacifice tenuerunt.) Hic, quoniam Meinhardi Patris nomen non exprimitur, ex Filii nomine, & e prioribus Tabulis colligitur.

Accedit his argumentis Documentum indicatum a BURGLEHNER *Libro V. Cap. XIII. pag. 203.* quo Meinhardus Comes Goritiæ ab Egnone Tridentino Epiſcopo Feuda accipit pro ſe, & pro uxore, ac Filiis. *Datum Tridenti II. Aprilis 1256.* Hic Feuda accepit *Meinhardus* III; quia Meinhardus IV ab eodem Epiſcopo eadem Feuda ſubinde cum Fratre obtinuit anno 1259, poſt

poſt mortem Patris. Fuerunt igitur Meinhardo IIItio *Filii*, atque illi non ſane alii, quam Meinhardus IV & Albertus II. quos conſtat, Paternis iisdem feudis anno 1259. potitos.

Colligitur etiam ex hac Charta: erraſſe CHRONICON SALISBURGENSE apud R. P. HIERON. PEZ *Tom. I. pag. 364.* quod ad annum 1255 hæc refert: (" Meinhardus Comes Goritiæ Filiis ſuis pro Alberto quondam „ Comite Tyrolenſi in captivitate conſtitutis, obiit) Nam anno 1256, teſte Diplomate, etiamnum idem vixit. Mortem Meinhardi III BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V.* anno 1258. XXII. Julii, ut ſupra diximus N. XIV. recte, cum CHRONICO STAMSENSI MSTO conſignat; atque ſepultum eſſe in Caſtro Tyrol, deinde translatum in Stams. Eundem hunc mortis annum comprobant Tabulæ N. XX. ſupra relatæ, Feudi, ab Egnone Tridentino, Meinhardo IV collati 1259: aliæque Tabulæ, in quibus poſt annum 1258 ſolus Meinhardus IV cum uxore ſua Eliſabetha Bavara occurrit (vel cum fratre Alberto II.) ſuis locis proferendæ in Chronico. XXI.

Satis, opinor, his argumentis comprobatum eſt: In STAMSENSI CHRONICO, *Editionis Pezianæ*, ad annum 1253 loco: *Albertus Pater Meinhardi*, reponi debere: *Albertus Avus Meinhardi*, vel fortaſſe: *Patruus*. Nam Meinhardo IV & Avum, & Patruum, *Albertum* nomine fuiſſe, idem STAMSENSE CHRONICON paulo inferius ad annum 1284, HIERONYMI PEZ *Tom. II. pag. 457*, tia perhibet: (" Eodem Die (Nonis Septembris) tu„ mulati in Choro ibidem ex utroque latere Præcla-

„ rus Comes Patruus Fundatoris noſtri, atque Avus „ Nobiliſſimus Albertus) Patrui nomen hic omittitur; cum tamen ſingulorum deinceps nomina accurate exprimantur. Nempe quoniam cum *Avo* eodem nomine *Alberti* gaudebat *Patruus Meinhardi IV:* ſemel in eadem ſententia poſitum *Alberti* nomen ſatis eſſe putabat Autor.

Engelberti IIItii filio natu minori, Meinhardi IIItii fratri, Alberto I. Goritienſi uxorem tribuimus *Hippolytam Neram*, Rambaldi de Collalto Filiam. In *Tabulis Genealogicis* HÜBNERI *Parte III. Tab. 803. Edit. 1728.* Rambaldi VI. Filia ponitur: *Nera, uxor N. Comitis de Goritia.* Rambaldus VI. Collaltius confirmationem ab Henrico VI R. obtinuiſſe notatur *ibidem*, anno 1199. Itaque filiam nuptiis maturam aliquanto poſt 1200 habuiſſe videtur. Ea ætate juvenes duo Comites Goritiæ florebant: Meinhardus III, cujus uxorem novimus Adelheid Tyrolenſem; alter Albertus I, cui itaque *Nera* uxor conveniet.

Illuſtriſſimus Comes SIGISMUNDUS ATTEMSIUS nos per literas datas Goritiæ cIↃIↃccI. VII Idus Decemb. edocuit: *Hippolytam* vocari in Actis Collaltianis Rambaldi filiam, quæ Goritienſi Alberto I nupſerat. Verum cum & HÜBNERUS (cui ſine hac autoritate parum tribuerem) *Brevis introductionis in Partem III, Tabb. pag. 65.* profiteatur: ſibi genealogiam Collaltianam ab ipſa Illuſtriſſima Familia ſubmiſſam eſſe; ita conciliari ambo poterunt: ut *Hippolyta* illa, compellata ſit cognomine *Nera*, a crinium, vel oculorum, aliusve rei nigro colore, aut quacumque de cauſa. Quotus hoc nomine Rambaldus e Collaltiis fuerit, Hippolytæ Neræ

ræ Pater, in medio relinquo; quando HÜBNERUS eundem *Sextum*, Eruditiſſimus COMES ATTEMSIUS *Secundum Rambaldum* ſcribit, hujus verba hic refero: (" Plura „ hac de re ex antiquis monumentis Comitum de Collato, ex quibus conſtat, Hippolytam Rambaldi II. „ Collalti filiam nupſiſſe Alberto I. Goritiæ Comiti, „ ex quo conjugio natus ſit Meinhardus, Pater Eliſabethæ, uxoris Alberti Habſpurgici, dein Imperatoris, ut refert Jacobus Zabarella Merav. Part. Ia „ Lib. 3. pag. 96. 97. ex Dominico Franciſco Colin „ de S. Cruce, Hiſtoriographo, & Bibliothecario „ Bavariæ Ducis, & ex Jacobo Bracello in Genealogia Comitum Goritiæ, Maximiliano I. Imperatori „ dicata) Quæ de Meinhardo IV, *Alberti* credito *Filio*, laudati iſthic Autores proferunt, me non movent, ut ab ea ſententia, quæ Meinhardum IV Meinhardi III. Filium ſtatuit, diſcedam; nam Diplomata, quæ N. XX. recens adduxi, facile contrariæ ſententiæ momenta elevant, quæ ex mendoſo, aut manco, & merito ſuſpecto CHRONICI STAMSENSIS loco deſumta videntur.

Ex Alberto I. & Hippolyta Nera natum cenſeo *Meinhardum V.* Perſuadet iſtud JULIANUS *in Chronico Forojul. apud Rubeis im Appendice pag. 29.* ad annum 1301. qui ita habet: („ quæ Verra, & diſcordia in Feſto „ Exaltationis Sanctæ Crucis tractatu Domini Meinhardi, Filii Domini Alberti Comitis Goritiæ, fuit „ pacificata.) Alberto II. Comiti Goritiæ non fuit filius Meinhardi nomine; quia in nullo documento diviſionis Paternæ hereditatis, aliove, filius ejus Meinhardus memoratur. Meinhardus VI. *Henrici II.* filius fuit, ſed & hic anno 1300. infantiam non exceſſit, ut

Cap. ſequente N. V. probabitur. Noſter ergo Meinhardus V. *Alberti I. filius*, fuit. Equidem excerpta e BAUTSCHNERI *Jeſuitæ Hiſtoria MSta, Meinhardum*, Alberti II. filium, memorant ad annum 1304. accepiſſe de hereditate Paterna *Palatinatum Carinthiæ*; ſed alia certiora documenta nonniſi duorum Alberti II. filiorum: *Henrici II.*, & *Alberti III.* meminere, præſertim illa, quæ in CHRONICO ad annos 1303. 1304. &c. adferemus; ubi Albertus II. dividit terras ſuas in *duos filios*, Henricum, & Albertum: Alberto omnia in *Carinthia* tradit: *ambo* iisdem titulis utantur: denique ſi *alteruter* absque prolibus moriatur, ad *alterum* omnia redeant. Nullus ergo *tertius* tunc Alberti II. filius vixiſſe cenſendus eſt.

Confirmat ſententiam noſtram de Meinhardo, Alberti I. filio, Documentum ex *Collectaneis MSti Genealogicis* CL. ROSENTHALII, nempe literæ oppignorationis Comitum Heinrici, & Meinhardi de Goritia, pro pignore, quod ipſis dederat eorundem Frater & Patruelis Albertus de Gœrz (*ihr Bruder, und Vetter, Albrecht von Gœrz*) Datum die Martis poſt diem S. Gertrudis 1318.

Albertus hic *Comes Goritiæ*, eſt Albertus III.; nam ſecundus antea obiit 1304. ut oſtendetur *C. IV. N. II. ad finem.* Hujus Alberti III. *Frater* erat *Henricus II. Patruelis* vero *Meinhardus V.* Alberti I. Filius; alius enim nullus Meinhardus, ne ſextus quidem, ſuperfuiſſe noſcitur: quod Caput ſequens docebit.

De *Alberto I.*, Meinhardi III. Fratre, pauca Documenta publica, quod ego ſciam, mentionem faciunt. Equidem aliæ proferuntur Tabulæ apud BOLLANDUM *in Actis SS. ad diem V. Februarii* §. *II. N.* 10. *pag.* 722.

Ve-

Velaci in Carinthia editæ, quibus Patriarcha Aquilejæ Bertholdus inter cetera Parocho Steinenſi poteſtatem facit: („ præſentandi, & confirmandi duos Præbendarios, quos Dominus Albertus Comes de Tyrolis „ fundavit, & ordinavit - - - - - - Acta Velaci præ„ ſente Comite Meinhardo Goritiæ & aliis - - - - - - „ die III. Aprilis MCCXXXVIII. Indict. XI.) Addit BOLLANDUS: Albertus, qui in ſuo Diplomate Codicillos ipſe ſuos Codicillis Patriarchæ adjunxerat, ſe *Palatinum Carinthiæ*, *Comitem de Goritia*, *& Tyrolis* nominat, &: *Advocatum Aquilejenſis Eccleſiæ*, *& Brixinenſis*. Munivit hoc Diploma Albertus proprio, & Comitis Hermanni ſigillo, *præſente Comite Meinhardo de Goritia*.

Doctiſſimus P. RUBEIS *Cap. LXXI. pag. 710.* hæc de *Alberto I.* Goritienſi accipit, propterea quod τὸ *Goritienſis* præponatur *Tyrolenſi*; deinde quod natum e Tyrolenſi Matre opinetur Albertum I. denique, quod Aquilejenſis Advocati titulum pre ſe ferat, qui Goritienſibus proprius erat. XXII.

Liceat mihi, non temeraria tanto Viro contradicendi libidine, ſed veritatis indagandæ ſtudio, proferre rationes, quibus credam: in præclaro hoc Diplomate *Albertum* illis titulis ornatum, *Tyrolenſem* eſſe Comitem, non *Goritianum* Meinhardi III. fratrem.

Primo: Albertum hunc *Goritienſem* non eſſe Tyrolenſis Matris filium, quod Adelheid Tyrolenſis non nupſerit Engelberto III., ſed Meinhardo III., Alberti I. fratri, probatum eſt, N. XV. & XVI.

Secundo: Quod titulus *Goritienſis Comitis* præponatur *Tyrolenſi*, id ſolum nihil conficit; nam BOLLANDUS ſubſcriptionis ſententiam potius, quam verba ipſa, ipſam-

ve ſubſcriptionis Formulam repræſentavit. Præterea apud CL. RUBEIS *Cap. LXXIII. pag. 733., & 734.* Diplomata afferuntur, in quibus idem Meinhardus IV. jam, 1259., Comes *Goritiæ:* jam, 1776. *Tyrolis Comes*, tantum: alias, 1265. utroque titulo appellatur; igitur & ordo arbitrarius erat, etſi BOLLANDUS veram formulam protuliſſet.

Tertio: Meinhardus III. erat natu major Alberti I. Frater: idem Meinhardus Adelheidis Tyrolenſis connubio jus ad Tyrolim vel novum aquiſivit, vel vetus amplius ſibi roboravit, imo Meinhardus Tyrolis magnam partem ab anno 1254. poſſidere cæpit (uti N. XV. oſtendimus) Neque tamen is ſimilibus titulis omnibus unquam uſus legitur. Itaque multo minus Alberto Fratri natu minori, Tyrolenſibus nullo novo nexu, niſi per Fratrem, cohærenti, id congruere videtur. Atque iſtud eo minus, quod anno 1238. etiamnum vixerit, floruerit que Otto II., ſeu Junior, Meraniæ Dux, & Albertus Tyrolenſis Comes; poſt quorum obitum denique Tyrolis pars major ad Meinhardum III. pervenit. Otto II. ſeu junior (teſte CHRONICO MELLICENSI) anno 1248. obiit: Albertus Tyrolenſis anno 1253., (vide dicta N. XIX.) ſupremum ſpiritum duxit; nihil itaque jurium Tyrolenſium ad Albertum I. Goritienſem, minime vero jam anno 1238. pertinuiſſe videtur.

Quarto: Si quis mutua ſucceſſionis pacta ante annum 1238., inter Tyrolenſem, & Goritianos inita cauſari velit, e quibus hæc titulorum communio in Albertum Goritienſem dimanaſſet; eodem ego Argumento pro Tyrolenſi Alberto utar, rationemque inde reddam:

dam: cur Albertus Tyrolenſis ſe *Goritiæ Comitem, & Eccleſiæ Aquilejenſis Advocatum* ſcribere potuerit. Et vero in hoc Diplomate Albertum non Goritienſem, ſed Tyrolenſem ita ſe ſubſcripſiſſe vel ex eo veriſimile fit, quod Meinhardus III huic Diplomati inſeratur ſolo *Goritienſis Comitis* titulo; qui tamen majori multo in Tyrolim jure gaudebat, præ Fratre Alberto I Goritienſi.

Quinto: CL. P. RUBEIS poſt Alberti Tyrolenſis mortem exiſtimat, Tyrolim *ad Albertum I. Goritienſem* perveniſſe atque ab hoc Alberto I, anno (uti opinatur) 1252 mortuo, denique Tyrolim ad fratrem ejus Meinhardum III transiiſſe. Sed contra ſunt, & ea, quæ de morte Alberti I. Goritienſis N. XIX. diximus, & porro Diplomata omnia, ſeu partitionis Tyrolenſis anno 1254, ſeu Feudorum collatorum 1253, 1256, 1259, quorum N. XV, & N. XX mentio facta eſt, in quibus ne verbum quidem ullum legitur de *Alberto I Goritienſi*, dum viveret, *Tyrolis* poſſeſſore; tametſi ſeries poſſeſſorum Feudi, præſertim in illo Diplomate 1259, & altero 1276 (*N. XX*) accurate recenſeatur, nempe: Meinhardum IV hæc obtinuiſſe a Patre ſuo Meinhardo III: hunc ab *Alberto Tyrolenſi*. Sane Tridentina Feuda Albertum Tyrolenſem *ad finem vitæ usque* poſſediſſe certum eſt, ex verbis Diplomatis anni 1259. apud UGHELLUM *Tom. V. pag. 606* (" De omnibus illis „ Feudis, quæ quondam Nobilis Dominus Adelpre„ tus Tyrolenſis, tempore mortis ſuæ habebat, & te„ nebat, & poſſidebat) Idem vero Adelpretus, mox *Avus Meinhardi* (*IV*), *& Alberti* (*II*) appellatur. Porro poſt obitum Alberti Tyrolenſis, feuda Tridentina XXIII.

tina adeo *Alberto Goritienſi* data non ſunt; ut ipſi Meinhardo III non niſi *vice & nomine Adelheidis uxoris* collata ſint. *Vide N. XV.*

Quoniam ergo Tyrolim Albertus I. Goritienſis nunquam, minime vero anno 1238, poſſedit: porro autem in Diplomate Bollandiano pro Steinenſi Eccleſia binis vicibus *Alberti Comitis de Tyrol* mentio fit, qui duos Præbendarios ibidem fundavit: deinde ut Steinenſis Eccleſia deinceps ad ſolos ſucceſſores ſuos, Comites ſcilicet *Tyrolis* - - - - - ſpectatura eſſet - - - - - liquet ſane, de ſolo *Alberto Tyrolis Comite*, non de *Goritiano* iſthic eſſe cogitandum. Sane ne Meinhardum III quidem, majorem natu Alberti Goritiani fratrem, quidquam de Meraniæ vel Tyrolenſis Provinciæ Terris etiam anno 1252 poſſediſſe, comprobant Tabulæ hujus Meinhardi, productæ a R. MEICHELBECKIO *Hiſtor. Friſing. Tom. II. Parte II. pag. 9.* quarum hoc eſt initium: (Nos Meinhardus Comes Goritiæ, Aquilejenſis Eccleſiæ Advocatus - - - - - - Datum Goritiæ anno Domini MCCLII. Indictione decima, ultimo Maji) Nulla in hoc titulo mentio *Tyrolis* vel *Meraniæ*, nulla *Advocati Brixinenſis.*

Sexto: Multo probabilius eſt, Albertum Tyrolenſem ſe *Aquilejenſis Eccleſiæ Advocatum* ſcribere potuiſſe, quam Albertus Goritienſis, *Advocatus Brixinenſis* anno 1238, dici poſſit. Nam Brixinenſis Eccleſiæ Advocatia neque ipſi ſtirpi Tyrolenſi avito jure propria fuit, neque hac ætate in ſolius Alberti Tyrolenſis poteſtate erat. Utrumque oſtendo; prius ex BURGLEHNER *Lib. XIV. Cap. III. pag. 1023.* ubi adducit *Documentum Hiſtoricum* ſcriptum ſub Cuſano Cardinale, Epiſcopo Brixinenſi, circa annum 1456, quod ſe-

ſequentia refert: (" Anno 1200 Brixinæ Advocatus „ fuit Comes Arnoldus de Murich & frater ejus Ber- „ tholdus; deinde Henricus Marchio Iſtriæ. Henrico „ banno Imperiali exautorato Brixinæ Advocatus fuit „ Albertus, filius Alberti Comitis Tyrolis, virtuti- „ bus clarus, ſub Conrado Epiſcopo) Porro hunc Albertum Tyrolium nequaquam pleno jure Advocati Brixinenſis gaviſum eſſe, etiam poſt annum 1209, quo Henricus Marchio Iſtriæ, ob necem Philippi Regis, exauctoratus eſt die Epiphaniæ Domini ad urbem Auguſtam, teſte OTTONIS A S. BLASIO APPENDICE *Cap. L. pag. 162.* apud URSTISIUM *Hiſtor. Illuſtr. Parte I.* docent Tabulæ Latinæ, de Concordia inita inter Egnonem Brixinenſem Electum, & Albertum Comitem Tyrolenſem: de Hominibus, de Advocatia, de Arcibus. Initium eſt ſequens: (" In Nomine Domini Amen. Notum „ ſit univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod „ hæc forma compoſitionis facta eſt inter Dominum „ Egnonem Venerabilem Brixinenſem Electum, nec „ non inter Dominum Albertum Comitem Tyrolen- „ ſem - - - Præterea Dominus Electus debet inſeuda- „ re Ducem Meraniæ, & Comitem Tyrolenſem de „ Feudis eorum indiviſim, prout prius inſeudati „ fuerunt, cum omnibus ſuis pertinentiis, excepta „ Advocatia Brixinenſi, quam unus eorum tantum, „ de conſenſu alterius, & voluntate debet habere in „ feudum tempore vitæ ſuæ: deſuncto illo alter ſucce- „ dit ipſi Advocatiæ jure hereditario, & dicti Domini, „ ſcilicet Dux Meraniæ, & Comes, non debent alie- „ nare ab Eccleſia ipſum Feudum calumnioſe exceptis „ ſuis heredibus - - - - - - - & idcirco Dominus Co-

„ mes pro ſe, & Duce Meraniæ promiſit dare, &
„ ſolvere ſeptingentas marcas argenti - - - - -) Iterum iterumque repetitur: *Dominus Comes pro ſe, & Duce Meraniæ.* („ Acta ſunt hæc in Brixina, in Capella
„ Sancti Hermanni, cum conſenſu, & voluntate Capi-
„ tuli, & Miniſterialium, Anno Incarnationis Domi-
„ ni Milleſimo Ducenteſimo Quadrageſimo Primo,
„ Indictione XIV., die Mercurii, XII. Kalendas Apri-
„ lis.) Indictio proba eſt: Sed loco XII. Kalendas Apriles, ſcribendum eſt XIII. Kal. Apriles, nam ea dies Mercurii fuit anno 1241. Littera Dominicali F. Sed hic apographi eſt error, apud BURGLEHNER *Lib. XVI. Cap. III.*

Ex hoc Diplomate perſpicuum fit: Brixinenſis Advocati jus haud ita proprium fuiſſe Alberto Tyrolenſi, ut illud, vel legare, vel etiam ante mortem ſuam alteri communicare potuerit, cum alternis vicibus ad Meraniæ Ducem pertineret, qui hoc anno 1241. fuit Otto II. Junior.

Contra vero Aquilejenſis Eccleſiæ Advocati, jam diu ſoli Goritienſes Comites hereditario jure uſi fuiſſe deprehenduntur, eorumque plures hoc titulo *ſimul* inſignes comparent. Verum, dum *ſolos* Goritienſes Comites Aquilejæ Advocatos dudum ante annum 1238. deprehendi aſſero, intelligo id de *præcipua Aquilejæ Advocatia* ipſius Patriarchalis Eccleſiæ, & Fori Julii. Cum enim adeo ampla eſſet Diœceſis Aquilejenſis, ut præter Forum Julii, in Carnioliam, Carinthiam, Iſtriam, Styriam, Tyrolim, extenderetur, & complura in variis Regionibus Prædia ad Aquilejenſem Eccleſiam ſpectarent; facile creditu eſt, alios quoque Principes,

pro

pro ſuis terris *Aquilejenſis Eccleſiæ Advocatos* dici potuiſſe, & ſingillatim *Tyrolenſes*, quia hac ætate Tyrolenſia etiam quædam Feuda conferebat Patriarcha Aquilejenſis. Teſtem habeo Chartam *Repert. Auſtr. Part. II. fol. 735.* („ Concordatum Gregorii Patriarchæ Aquile„ jenſis, cum Comite Meinhardo de Gœrz: Comes „ abdicat ſe pignoribus, & feudis, quæ Pater ipſius „ Com. Meinhardus ab Aquilejenſi Eccleſia, datis „ 4000. Marcis Aquilejenſibus interim poſſederat, „ contra Patriarcha Meinhardo confert omnia Feuda, „ ab Eccleſia Aquilejenſi originem nacta, exceptis „ Feudis Tyrolenſibus. Datum 1260.)

In *Gloſſario latinitatis* CELEB. DU FRESNE ſub vocabulo *Advocatus* animadverſum eſt ex *Lege Longobardica Lib. II. Tit. 47. §. 8.* ſingulis Epiſcopis, Abbatibus, & Abbatiſſis, concedi *duos Advocatos.* Inferius monet DU FRESNE: interdum tot fere Advocatos fuiſſe, *quot majora Eccleſiarum prædia*: quæ nempe diverſis Principibus illius Terræ obnoxia erant. Quoniam itaque in Carinthia, ac Tyroli Aquilejenſis Patriarcha varia poſſidebat, atque illic Tyrolenſium Comitum Dominio non pauca eſſent obnoxia; iisdem utique Tyrolenſibus ad annum 1238. Advocati Aquilejenſis titulus competere poterat. Contra Goritiæ Comitibus cum Brixinenſi Diœceſi parem nexum fuiſſe circa annum 1238., non conſtat; cum anno demum 1253., vel fortaſſe 1248., Tyrolenſium terrarum aliquam poſſeſſionem Goritiani adierint. Adde illud, quod ex Diplomate relato certum eſt: Brixinenſem Advocatiam ipſos Tyrolenſes non aliter obtinuiſſe, quam alterna cum Ducibus Meraniæ ſucceſſione, ita, ut: *unus tantum de*

conſenſu alterius, *& voluntate*, *debeat habere* (Advocatiam Brixinenſem) *in Feudum tempore vitæ ſuæ.* Multo igitur credibilius eſt: Albertum Tyrolenſem, quacumque de cauſa, *Aquilejenſem Advocatum* ſcribi, quam Alberto I. Goritienſi *Brixinenſis Advocati* titulum aſſignari. Si quærat quiſpiam: cur Albertus Tyrolenſis in illa Charta 1328. non utatur titulo *Advocati Tridentini*; cum tamen ex Diplomate anni 1259. conſtet, antiquum illud eſſe jus Comitum Tyrolis? reſpondeo: Albertum Comitem ab Ulrico, ſeu Aldrigheto Epiſcopo Tridentino, qui 1235. electus eſt, nondum anno 1238. feuda accepiſſe. Rationem reddunt verba *Catalogi Epiſc.* UGHELLI *Tom. V. pag. 605.* („ Fuerunt tunc adverſi„ tates ingentes contra Tridentinam Eccleſiam, & an„ no 1238. Imperator habebat Commiſſarium Tridenti „ Lazarum de Luca, & Dominium temporale tenebat.)

Exiſtimant nonnulli: Veteres Tyrolis Comites e communi cum Goritianis ſtirpe deſcendere. Itaque quod de Bertholdis Andexiis a N. V. ad X. præſtiti, idem hic de Tyrolenſium Comitum ſtirpe præſtare conabor, quorum ſeriem Chronologico-Genealogicam, nexumque cum Goritienſibus, paucis exequar. Non attingam hic alios Comites ejus Regionis, quæ nunc Tyrolis appellatur, niſi illos, qui diſerte *Comites de Tyrol* ſcripti inveniuntur. Permultos enim alios Sæculo XIII. non ignoro, in illa Regione floruiſſe Comites, uti: de *Eppan*, de *Andechs*, præter Meranios; de *Murich*, de *Ulthen*, de *Mætſch*, de *Eſchenlorche*, de *Kirchberg*, de *Bozen*, de *Arch*, de *Tauffers*, aliosque, qui paſſim in tabulis publicis apud BURGLEHNER occurrunt, & quorum Catalogum ordine Alphabetico digeſtum

ſtum confecit COMES MAXIMILIANUS de MOHR *in opere MS. Germanico*, quod inſcripſit: *De Principali Comitatu Tyrolis Parte I. fol. mihi 21.*

En Tyrolenſium Comitum Schema Genealogicum, quatenus certum eſſe exiſtimo, & mox documentis firmabo. XXV.

Berchtoldus Comes Tyrolis 1141. Albertus. I. 1177. 1158.

Henricus I. Comes Tyrolis, 1184. 1189.
Uxor Agnes de Wangen.

Albertus II. Comes Tyrolis. 1202. 1204. 1208. — Henricus II. Comes 1202.

Albertus III. Comes Tyrolis (*vel* Goritiæ & Tyrolis) 1212. 1214. 1217. 1224. 1234. 1238. 1241. 1253. †1253.
Uxor Juta ſeu Uta, vel Guta.

Adelheid Uxor Meinhardi III. Comitis Goritiæ. — Eliſabeth Uxor Gebhardi Comitis de Hirſchberg.

Priore loco ſucceſſionis ſeriem, poſteriore annorum rationem comprobabo. Henricum I. Alberti II. Comitis Tyrolenſis Patrem fuiſſe demonſtrat vetus Charta memorata ab HUNDIO *Stemmatographiæ Bavar. Parte I. pag. 74.* In Monaſterio Wilthen latinas Tabulas extare memorat HUNDIUS, quibus Fridericus de Reiſſenſtein donat Curiam in Algunde Monaſterio & Eccleſiæ in Wilthen, *cum conſenſu Comitis Heinrici de Tyrol, & filii ſui Comitis Alberti.* Annus deeſt. Harum Tabularum apographum autentizatum, ut ajunt, vidit Doctiſſimus ROSCHMANNUS, & integrum refert in egregia

Dissertatione MSta de origine Comitum Tnrolensium. Initium ita habet: („ Generalitas Christiana cognoscat præ„ sens & futura, quod Dominus Fridericus piæ me„ moriæ de Reisenstein agrum quendam situm in Al„ gunde, quem beneficiali jure a Comite Tyrolensi „ detinebat, licentia & consilio, permissioneque ejus„ dem Comiti Henrici, & suorum Ministerialium - - - - „ quod factum, ut eo melius ratum - - - - - habere„ tur, secundario sub Comite Adalberto, filio prædi„ cti Comitis Heinrici, & sub Venerabili Præposito „ Dieterico - - - - -)

Uxorem Henrico tribuit HUNDIUS *loco citato* Agnetem de Wanga: eandem Agnetem de Wangen, & Wangenbellerberg appellat BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 204.* Vetusta autoritas non adnotatur.

Jam vero Alberto II. Henrici I. Filio, Filium itidem Albertum III. nomine fuisse, docemur, e *Documento* illo *Historico*, quod sub Cusano Cardinale, Brixinensi Episcopo, conscriptum e BURGLEHNER produxi N. XXIII; Ejus verba, quæ huc faciant, sunt: („Hen„ rico (Marchioni Istriæ) Banno Imperiali exaucto„ rato, Brixinæ Advocatus fuit Albertus, Filius Al„ berti Comitis Tyrolis.) Henrici Istriani exautorati annum 1209. ac diem ipsum Epiphaniæ Domini, certo tenemus, ex OTTONIS A SANCTO BLASIO APPENDICE *Cap. L. pag. 162.* URSTISII *Histor. Illustr. Parte I.* Itaque Albertus II. Pater Alberti III, anno 1209, aut antea obiit.

XXVI. Jutam Alberti III Uxorem, & filias ex hoc conjugio natas Adelheid, & Elisabeth, deduximus N. XV

ex

ex Documento diviſionis hereditatis Alberti III Tyrolenſis, inſtituta anno 1254 ex BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V.*, ubi & Uta Comitiſſa Tyrolis, & Filiæ Adelheid, & Eliſabetha, cum ſuis maritis diſerte nominantur.

Adelheidem Meinhardo III Goritienſi nupſiſſe, N. XV, & N. XVI pluribus commonſtravimus; Eliſabetham Gebhardo Hirsbergio Comiti collocatam fuiſſe, & illic oſtendimus, & ſequens Charta Donationis comprobat, cujus meminit BURGLEHNER *Lib. III. Cap. III. pag. 53.* Anno MCCLVI. XII *Kalendas Septembris in Matray:* Comes Gebhardus de Hirsberg, pro anima ſua, & uxoris ſuæ Eliſabethæ, quæ fuit *Filia Alberti Comitis Tyrolis*, donat Fratribus Domus Teutonicæ in Bozen duodecim vecturas ſalis in perpetuum. Item confirmat ſimile donum, quod defunctus Gebhardi *Socer* Albertus Comes donaverat Teutonicis.

Gutam, Utam, ſeu Jutam, Alberti III Tyrolenſis Uxorem, BURGLEHNER *Meraniam* vocat; ſed in Meraniorum Ducum Genealogia hæc Juta, ſeu Uta non occurrit, neque in ALBERICI MONACHI, neque in AVENTINI, neque in ARENPECKII Stemmatologia Meraniorum Andechſiorum. Unde HÜBNERUS *Parte I. Tab. 128*, didicerit: Jutam Bertholdi Ducis ſororem fuiſſe, in ſua *Introductione* ſilet. Attamen vel mater Alberti III, vel uxor, ex Andexia ſtirpe fuit: vel certe ipſi Comites Tyrolenſes Andexiorum e ſtirpe fuere. Certum enim eſt, mortuo anno 1248 (ut habet CHRONICON SALISBURGENSE *pag. 360.* apud HIERONYMUM PEZ *Tom. I.*) Ottone II, Meraniæ *Duce*, ex Andexiis *ultimo*, poſt annum illum 1248, Albertum III Tyrolenſem terris

Ot-

Ottonis II, in Tyroli ſitis, potitum eſſe; quandoquidem anno 1253. idem Oeniponte ſua autoritate Diploma edidit, quo Wilthinenſi Monaſterio de juribus ſuis providet, cujus Chartæ mentionem fecimus N. XIX ex BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V.* Inter teſtes illic habetur *Dominus Wintilo de Andechs.* Igitur aut Albertus III Tyrolenſis Andechſius fuit, aut Andechſiam Uxorem, Matremve habuiſſe videtur, qui præ aliis Andechſiis Oenipontem, Meraniæ ad Oenum hereditatis locum ea ætate facile præcipuum, obtinuerit: neque enim hic *Dominus Wintilo* ſolum de loco *Andechs*, ut non raro fiebat, appellari videtur.

Plures vero e ſtirpe Andechſia, ſaltem laterali, hoc tempore præter *Dominum Wintilonem*, modo memoratum, ſuperſtites fuiſſe, probabili ratione colligo, ex Diplomate, quod N. VII retuli ex BURGLEHNER: ubi ad annum 1187 inter *Nobiles* teſtes tres Andechſii nominantur: *Gotfridus, Ludovicus, Gotſchalcus hi de Andechs.*

Atque hæc quidem de tribus poſtremis Tyrolenſium Comitibus certa eſſe arbitror. Quem vero Henrici I Patrem dicam, mihi nondum ſatis liquet; tametſi BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 204.* Ulricum Henrici Patrem, Matrem Agatham appellet: Fratrem vero Ulrico tribuat Albertum Tyrolenſem Comitem, illum, qui ſub Friderico I anno 1158 ferocem Ligurem proſtravit, uti N. XVIII. retuli ex RADEVICO FRISINGENSI *Lib. I Cap. XXXVII.* Similia jam antea de Ulrico ſcripſit HUNDIUS *Stemmatographiæ Bavar. Parte I. pag. 74.* ubi Ulrici filius nominatur Henricus: uxor Agnes de Wanga, ſoror Friderici Epiſcopi Tridentini, qui obiit anno 1219 in Accaron Palæſtinæ, & D. Gerol-

roldi de Wangen. Illud non perſpicio, cur *Tom. V.* UGHELLI *Ital. ſacr. pag. 605 Edit. Venetæ* ex notis GENTILOTTI, ad *Ulricum Tridentinum*, memoretur: *Albertus* Comes Tyrolis *Ulrici* filius, idque ex HUNDII *eadem pagina 74.* ſcripſerit GENTILOTTUS; cum tamen laudato loco, *Henrici* Patrem *Ulricum* diſerte ſtatuat HUNDIUS. Verum cum nullo vetuſtatis teſtimonio ſententiam de Ulrico fundatam inveniam, nihil aſſero. Opinio de Ulrico, Henrici, vel Alberti Patre, nata videtur ex Diplomate 1259 apud UGHELLUM *Tom. V. pag. 607.* ubi Meinhardus IV. inveſtitur de Feudis Patris ſui Meinhardi III, & Avi Materni Alberti Tyrolenſis: Præterea: (" de omnibus illis Feudis, quæ quondam fue„ runt Domini Ulrici de Ultimis, & Dominorum „ Georgii, & Friderici Comitum de Epiano.) Sed hoc nihil conficit de Ulrico, ſicut nihil probat de Comitibus de Epiano. HUNDIUS *Tom. I. Metrop. Salis. pag. 205.* meminit Udalrici Comitis ab Heeffr, qui Patavienſis Epiſcopus electus eſt 1092, quem Tyrolis Comitem vocat CUSPINIANUS *in Auſtria.* Sed ex hoc quoque Ulrico, quippe Clerico, nihil certi extunditur: neque ex illo, cujus meminit CHRON. TYROLENSE *MS. Vindobonenſis Bibliothecæ Auguſtæ Hiſtor. Profan. N. 169.* ubi ita habetur ad annum 1224 (" die S. Magdalenæ „ Bozen conflagrat. Hoc tempore Dominus terræ erat „ Ulricus Comes de Velthen.) Videtur hic idem eſſe, cujus mortui hereditatem adivit anno 1259. Meinhardus IV. Aſt hic Ulricus utique Henrici I. Pater eſſe non potuit. Quid, quod HUNDIUS ipſe, qui Henrium, Ulrici filium, ſcribit, eadem *pag. 74. Stemmat. Bavar.* alium nobis Henrici I. Tyrolenſis, & ſors Goritienſis Co-

mitis Patrem indicare videatur; nam proximum ante *Henricum* ponit *Berchtoldum*: & antea *Ulricum*. Ulricum in nullo Diplomate reperio *Comitem Tyrolis* appellatum; at *Berctholdus* diſerte *Comes de Tyroles* inter teſtes ſcribitur in Tabulis anni MCXLI. apud R. P. MEICHELBECK, *Hiſtor. Friſing. Tom. I. Part. II. pag. 546.* item *ibidem pag. 562.* de lite inter Albertum I. Epiſcopum Friſingenſem, & Comitem *Bertoldum de Tyrole* poſt an. 1158, ſub Friderico I. Imperatore. Porro HUNDIUS ita proxime ante *Henricum Tyrolenſem* ſcribit: (" Comes „ Berchtoldus de Tyrol, temporibus Friderici I. an- „ no 1177. memoratur in antiquo Codice Traditionum „ Byburgenſium; item memoratur Comes Henricus „ de Eppan eodem anno.) Berchtoldum itaque certum *Comitem Tyrolis* tenemus, ac probabiliter Henrici I Patrem; quoniam *Henricus I. Tyrolenſis* ab anno 1184, ad 1189. occurrit, & *Berchtoldus* ab anno 1141 ad 1177. Attamen perſpicue, aſſerere nequeo: eſſe Bertholdum Henrici Patrem; neque illud liquet: fuerit hic *Berchtoldus I. Andechſius Comes*, & idem Pater *Bertholdi Marchionis Iſtriæ*, de quo fuſius actum eſt N. V. &c. Quod quidem ego dicere nolim; cum & Berchtoldus I. ille Andechſius ante & poſt annum 1141. in Diplomatibus conſtanter appelletur; *Comes de Andechs*, & ab anno ſaltem 1174. *Marchio Iſtriæ*, vel *Marchio de Andechs*, ſemper ſcribatur Bertholdus II, Primi filius. Illud probabilius puto: hunc *Berchtoldum Comitem Tyrolis*, fuiſſe *Alberti* illius filium, quem annis 1106, & 1110. occurrere paulo poſt oſtendam. Præterea Berchtoldo huic fratrem tribuo *Albertum*, Primum hactenus, illum videlicet, quem N. XVIII. ex RADEVICO FRISINGENSI po-

poſui ad annum 1158, quando, jam virili utique in ætate conſtitutus, pene inermis, armatum Ligurem, ad Mediolanum, Nobilis victor ex equo dejecit: appellaturque *Albertus nobilis Comes de Tyrol.* Eadem de hoc Alberto GUNTHERUS *Poëta Ligurinus canit. Lib. VII. ad finem* (" *Albertus Tyrolenſis erat* - - -) Berchtoldus itaque ab anno 1141 ad 1177. *Comes de Tyrol* ſuperſtes, hujus Alberti Frater haud dubie fuit. Albertum hunc eitiam BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 203.* Henrici I. Tyrolenſis Patruum facit, etſi *Ulricum* illum incognitum, incertumve, loco Berchtoldi, Patrem Henrici appellet.

Satis de Henrici I. Patre. Ad nexum ejusdem XXVII.
Henrici Tyrolenſis cum Goritienſibus veniamus, quem proderet titulus *Comitis Tyrolis, & Goritiæ,* niſi *Repertorii Auſtriaci,* quam habeo, apographa Epitome ab autographo iſthic diſcordaret, primum in Henrico iſto Tyrolenſi obſervatus, in *Repertorio Auſtriaco Part. II. fol. 740.* (" Fridericus I. confirmat: quod Gotfridus „ Patriarcha Aquilejæ tradiderit *Henrico Comiti Tyrolis* „ (*& Goritiæ*) dimidium telonium in Clauman aliaque „ de limitibus conſtituerit: datum anno 1184.) Sed in autographo legitur tantum *Tyrolis.*

In eodem *Repertorio Parte II. fol. 463.* tabulæ indicantur: quibus anno 1189. Communitas in Clamaun *Comiti Henrico* Tyrolis (*& Goritiæ*) tradit tertium partem prædicti Oppidi &c. Hujus Henrici I. filium *Albertum II.* jam ſuperius oſtendi N. XXV. Alterum filium nunc ei tribuo Henricum II. Albertus II. cum Henrico II. legitur apud P. RUBEIS in Tabulis, initæ

Pacis inter Patriarcham Peregrinum, ejusque Adjutores, Comitem Albertum, & Comitem Henricum ex una parte: ex altera parte inter Comites Goritiæ Meinhardum II., & Engelbertum III. Referuntur Tabulæ *Cap. LXVI. Monument. Aquil. pag. 645.* Confectæ Anno Domini MCCII. Adjungit CL. P. DE RUBEIS ſequentia. („ Hæc ad annum 1204., repugnantibus tabulis re„ fert PALLADIUS. Comites Goritianos vocat ille „ Meinhardum, & Albertum, contra fidem Tabula„ rum, aliorumque monumentorum, queis duo Go„ ritiani fratres exhibentur, Meinhardus & Engelber„ tus: diſſidiumque in tabulis memoratum inter En„ gelbertum, & Comites Albertum, & Henricum, „ narrat ille inter ipſos Goritianos Comites erupiſſe.)

Annum quod attinet; erravit fortaſſe PALLADIUS; niſi potius (ut ſæpe factum eſt) nova concordia hoc etiam anno 1204. inita eſt. Quod vero diſſidium inter *Meinhardum, & Engelbertum* fratres, ex una: & ex altera parte inter Comites *Albertum & Henricum*, inter ipſos *Goritianos* Comites erupiſſe dicat PALLADIUS, indicare videtur: interdum Tyrolenſes Comites, Goritiæ Comitis titulo uſos, ad ſtirpem *Goritianorum* aliqua ratione pertinuiſſe.

XXVIII. Subinde anno 1208. *Albertus de Tyrol* ſubſcribit Diplomati Ottonis IV. apud UGHELLUM *Tom. V. pag. 78.* Sitne ultimus iſte Albertus III. Tyrolenſis, an Pater ejus, definire nequeo; ſed poſt annum 1208., Albertum III., Alberti II. Filium, Tyrolenſem Comitem in Diplomatis occurrere, certum eſt, ex *Documento Hiſtorico*, quod retulimus N. XXV. Albertus III. Comes Tyrolis ſcriptus legitur in variis Chartis An. 1212.

apud

apud BURGLEHNER *Lib. XIV. Cap. III. pag. 1040.* ubi ſe vadem præſtitit, *Albertus Comes Tyrolis*, pro Friderico Epiſcopo Tridentino. anno 1214. *Albertus Comes Tyrolis*, ſubſcribit Diplomati Ottonis IV. RUBEIS *Cap. LXXI. pag.* 709.

Anno 1217. *Albertus Comes Tyrolis* facit donationem familiarum ſervilium, apud UGHELLUM, *Tom. V. in Alberico Concordienſi pag. 336.* Anno 1224. *Albertus Tyrolenſis* aſſidet judicio Eberhardi Epiſcopi Tridentini habito in Bozen. BURGLEHNER *Lib. XV. Cap. II.* anno 1234. *Albertus Comes Tyrolis* cum Egnone Epiſcopo Brixinenſi de Advocatiæ juribus concordatum init. BURGLEHNER *Lib. XVI. Cap. III.* Anno 1253. Egno Tridentinus Feuda confert *Alberto Comitis Tyrolis*, Uxori Jutæ, & duabus Filiabus BURGLEHNER *Lib. XV. Cap. III.*

Cur in ſolo illo Documento 1238. apud BOLLANDUM Albertus III. *Comes Goritiæ & Tyrolis*, *Aquilejenſis*, *& Brixinenſis Eccleſiæ Advocatus* ſubſcriptus legatur; rationem certiorem aliam non invenio, quam ſtirpis utriusque, vel nexum affinitatis, & pacta ſucceſſionis, vel antiquam communem originem.

Tyrolenſium Comitum ſtemma cum expreſſo titulo *Comitum Tyrolis*, cujus partem notabilem N. XXV. eamque ſatis certam, dedi, probabiliter ampliari poſſe cenſeo, ex Hiſtoricorum, Diplomatumque annis, & hactenus probatis, & deinde comprobandis: nempe ita: ut Bertholdum, & Albertum I. Fratres *Tyrolenſes*, dicamus fuiſſe Filios *Alberti*, anterioris utique illis tribus Albertis *Tyrolenſibus*, quos cum certo *Tyrolenſium Comitum* titulo antea comprobavi. En Schematis, cum Goritianis forte connexi, & ampliati ſynopſim.

(*Tyrolenſes.*) Gotfridus 1082. (*Goritienſes.*)

Albertus 1106. 1110. — Engelbertus I. 1122. — Meinhardus I. 1122. 1139.

Berchtoldus. 1141. 1177. C. Tyrolenſis. — Albertus I. 1158. C. Tyrolenſis. — Henricus I. † 1150. — Engelbertus II. † circa 1187.

Henricus I. 1182. 1184. 1189. — Meinhardus II. — Engelbertus III.

Albertus II. 1200. 1202. 1208. — Henricus II. — Meinhardus III. *Uxor Adelheid.* — Albertus I.

Meinhardus IV. — Albertus II.

Albertus III. *Uxor* Juta. — *Adelheid* — Eliſabeth.

Quem hic e Tyrolenſibus Albertis omnium primum poſui, equidem *Tyrolenſis Comitis* titulo diſerte ſcriptum non invenio; attamen cum apud UGHELLUM *Tom. V. pag. 595.* Tabulæ ab Henrico V. Imperatore datæ Gebhardo Tridentino Epiſcopo, producantur, inſcriptæ anno 1110., Indictione VI. in villa Bauzani; in quibus legitur *Adalpretus Comes*, & *Advocatus Epiſcopi.* Conſtet porro ex recitato toties Diplomate illo anni 1259.: *Advocatiæ Tridentinæ Feudum*, Tyrolenſium Comitum *antiquum Feudum* appellari: præterea cum *Alberti* nomen Tyrolenſibus fuerit ferme continuum: facile, inde conſequitur, hunc Albertum, e Tyrolenſium Comitum majoribus fuiſſe. Ejusdem Alberti

berti mentionem facit, ut opinor, ABBAS URSPERGENSIS *in Chronico pag. 261. Editionis 1540.*, ubi ad annum 1106. *Adelbertum* adoleſcentem Comitem ad Tridentum, Epiſcopos, aliosque Proceres Germanos, intercepiſſe ſcribit in valle Atheſina, per quam Epiſcopi illi Romam tendebant. Tyrolenſis hic non compellatur, ſed ſolum: („ Quidam Adelbertus adoleſcens, partium „ illarum quodam inſignis Comitatu.) Attamen in Carinthia quoque eundem aliqua poſſediſſe (quod de Tyrolis Comitibus certum eſt) inde deducitur, quod URSPERGENSIS addat: reliquos captivos indigne tractatos fuiſſe, („ præter Ottonem Babenbergenſem Epi- „ ſcopum, cui idem Adelbertus, eo quod eſſet ſuus „ miles, parcere cogebatur.) Miles Epiſcopi Albertus Comes fuiſſe videtur, ob eas terras, quas in Carinthia fiduciario jure ab Eccleſia Babenbergenſi obtinuerat. Itaque vero ſimile videtur, hunc Albertum e Tyrolenſium Comitum majoribus fuiſſe, & forte fratrem Engelberti I. & Meinhardi I. Goritienſium, quorum ætas omnino congruit.

Duorum quoque in Tridentina valle Comitum, qui anno 1156., Adriani IV. Papæ Legatos intercepere, duriterque habuere, meminit RADEVICUS FRISINGENSIS *Lib. I. Cap. XXI. pag. 759. Muratorii Scriptor. Ital. Tom. VI.* His verbis: („ Nam Fridericus, & „ Henricus Comites, quorum in illis partibus (in val- „ le Tridentina) non parum poterat violentia, tam „ Cardinales, quam Epiſcopos ſpoliatos in vinculis „ ponunt - - - - - -) Fuerintne hi duo Fratres Alberti, qui anno 1158. memoratur, vel an ſit Henricus idem, qui an. 1184. ſubinde occurrit, decidere ne- XXIX.

nequeo; quod plures illa in Provincia Comites floruiſſe, ſupra monuerim: neque iſti Advocati Tridentinæ Eccleſiæ appellentur.

His itaque in ſeriem Comitum *Tyrolis* non receptis alium videamus. BURGLEHNER *Lib. XIII Cap. V.* HUNDIUSQUE *Stemmatog. Bavar. pag. 74.* poſt Albertum illum, annis 1106., & 1110. occurrentem, ſua autoritate ponunt *Conradum Comitem Tyrolis*, Alberti Filium, Patrem Ulrici illius incerti, vel ſimul Patrem *Bertholdi*, & *Alberti*, quos fratres dicimus. De *Conrado* illo Tyrolenſi ante annum 1106., mihi memoria alia non occurrit, quam apud OTTONEM FRISINGENSEM *Lib. I. pag. 661. Cap. XXV. de Rebus Geſtis Friderici I.* ubi ſub Friderico I. adhuc tunc juvene, vel adoleſcente potius, memoratur captus *Conradus de Dachowe tunc nobilis Comes, poſtea Dux factus Croatiæ, & Dalmatiæ.* Equidem Bertholdum III. Meraniæ Ducem, nominatum legimus ita: *Dux Dalmatiæ Meran* HIERONYMI PEZ *Tom. II. Chron. Admont. pag. 192.* Unde videtur HUNDIUS hunc Conradum *Dalmatiæ Ducem* per conjecturam Tyrolenſibus *Meraniis* inſeruiſſe, fortaſſe Iſtriam cum Dalmatia confundendo.

Itaque *Conradus* hic *de Dachau*, vel Conradi hujus Pater (Conradus item appellatus ab HUNDIO *pag. 42. in Familia Dachau.*) Is eſſe videtur, quem *Tyrolenſem Comitem* (ſed ſine Teſte) appellavit idem HUNDIUS. Nobis certe inſititio hoc Conrado inter Albertum, & Berchtoldum non eſt opus; nam *Albertus*, anno 1106., etiam tum *adoleſcens*, utique Pater eſſe per ætatem potuit *Bertholdi*, qui anno 1141., & *Alberti*, qui anno 1158. in Documentis occurrunt.

Et

Et vero his porro antiquiores in Tyroli Comites alios invenio: anno 1082. apud UGHELLUM *Tom. V. Ital. ſacræ pag. 594.* Henricus IV. Imperator donat Henrico Tridentino Epiſcopo Curtem Caſtellariam, Litaldo Duce: *ad Veronam: anno MLXXXII. Indict. V. - - - - Advocatus Epiſcopi, & Eccleſiæ Gottfridus, ſuique Succeſſores.* Quid ſi hic Pater Engelberti I., & Meinhardi I. Goritienſium, atque una Alberti illius fuit, qui anno 1106. *adoleſcens* fuiſſe perhibetur?

Ante hunc Gotfridum *Sigefridus Comes* memoratur in Diplomate Henrici III., quo Poponi Epiſcopo Brixinenſi datur: *Foreſtum in pago Buſtriſſa, in Comitatu Sigefridi Comitis ſitum Anno MXLVIII. VIII. Kal. Febr. actum Ulmo.* HUNDII *Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 317.*

Denique hos omnes antecedunt Engelbertus, S. Otwini, & S. Otwinus, Gotfridi Ducis Meraniæ, Comitis in Heimvels, Sonneburg, & Lienz, Filius, de quibus *Cap. II. dictum eſt: N. VII VIII. & IX.* Quod ſi conſtaret: ex eadem ſtirpe fuiſſe Comites, quos in Tyroli rerum potitos hactenus recenſuimus; haberemus illam ſeu Tyrolenſium, ſeu Goritienſium una & Tyrolenſium ſeriem, annorum ſucceſſioni optime reſpondentem, quam in *Tabula I.* ad *Caput II.* propoſuimus, & cujus partem Goritienſem, ac Tyrolenſem hactenus, qua licuit, ſumus executi, aliaque *ſub finem Capitis II.*, huc referenda, protulimus. Nam cum Henricus Eppenſteinius, Dux Carinthiæ, Comitatum Goritiæ poſſederit antea, quam Dux fieret, anno 1090. obierit vero idem 1127., ſine herede, uti fere pro certo habetur: porro autem jam anno 1122. compareant. *Comites Goritiæ Engelbertus, & Meinhardus:* ac

paulo poſt 1184. *Henricus* legatur *Comes Tyrolis* (& *Goritiæ*) diverſus ab *Henrico Comite Goritiæ*, mortuo 1150; cum inquam hæc omnia hactenus comprobata ſint; mihi videtur: Goritienſium ſubinde Comitum continuam ab anno 1122. ſtirpem, eſſe potuiſſe ramum Tyrolenſium Comitum, ita ut habet Schema paulo ante propoſitum. Sed nihil certi de *hoc nexu* aſſerere auſim.

XXX. Quam ſuperius N. IX. dedi fidem, præſto de Diplomate B. Hartmanni Epiſcopi Brixinenſis, quod aliqua ſui parte Bertholdorum Andecenſium ſeriem, a nobis aſſertam, perturbare videtur. Documentum hoc, etſi eſſet ad Chorographiam Tyrolenſem ejus ætatis perutile, quodque nondum vulgatum novi, cum tamen prolixum ſit, nec Goritienſibus proprium, integrum hic non repræſento, ſed partes neceſſarias. A CL. ROSCHMANNO acceptum eſt ejusdem apographum collatum deinde cum autographo Wilthinenſis Tabularii.

„ In Nomine Sancte & individue Trinitatis Amen.
„ Hartmannus Dei gratia Brixinenſis Epiſcopus, omni-
„ bus Chriſti fidelibus, ſalutem in perpetuum. Dilec-
„ cio vera, cum ſuggerat nobis, de profectu matris
„ noſtre Univerſalis Eccleſie utcunque gaudere, ſpe-
„ cialiter tamen vult nos in Eccleſia nobis incorpora-
„ ta, uti in fundatione noſtre Kathedralis Eccleſie
„ donata eſt, & ſic commiſſa, omne incrementum
„ virtutum diligere: cumque noſtre humilitati ex
„ precepto Domini Pape innocentii IIdi injunctum
„ fuerit, religionem in Eccleſia noſtra Kathedrali an-
„ teſata reformare, multo magis obedientia ejus exi-
„ git a nobis transferacionem, & plantationem baptiſ-

„ ma-

„ malis Eccleſie, legitima cum dote, a monte Um-
„ brans Sanctorum Apoſtolorum, & Nicolai Pontifi-
„ cis, quam Anteceſſor noſter Epiſcopus Venerabilis
„ Reginbertus beate memorie, &c.

" Et ut hec adnotatio preſcripta Honemarche,
„ vel finium, & terminorum, ut prehabitum eſt, dein-
„ ceps notior, & decimationum donatio firmior ha-
„ beatur, appenſione ſigilli noſtri Epiſcopalis majoris
„ preſentem paginam adhibitis ſubſcriptis teſtibus ro-
„ boravimus.

„ *Hujus rei teſtes ſunt* Dominus Baldwinus Abbas
„ montis Sancti Georgi, *Dominus Degenhardus prepoſitus*
„ *in Diezzen*, *filius Marchionis de Andechs.* Dominus
„ Heinricus Prepoſitus in Willtinga, Dominus Weren-
„ berus archi presbiter, Dominus Cunradus Cuſtos,
„ Canonici Brixinenſes. *Berchtoldus Marchio de Andechs,*
„ *& Comes Hiſtriæ*, *Berchtoldus filius ejus Dux de Merano,*
„ Arnoldus Comes & Advocatus de Morith, Hugo,
„ & filius ejus Hugo de Tauſers, Henricus nobilis de
„ Stauffe, hii nobiles, Rupertus & Amelricus frater
„ ſuus de Riſenſtain, Rupertus & frater ſuus Herpran-
„ dus de Mulein. Miniſteriales Brixinenſes, Udel-
„ ſchalcus & frater ſuus Diemus de Uffelndorff, La-
„ zarus de Clamtor, Eberhardus de Hohenrain, Fri-
„ dericus de Schönberg, Ulricus, Gebhardus, Chun-
„ radus, Heinricus Fratres de Freüntſperg, Otto Obu-
„ lus de Rünn, Fridricus Diſpenſator de Fridberg, Fri-
„ dricus umbias, Ulricus Volterius de Rännes, Job
„ de Umbrans, Zydeler de Pradel, *Miniſteriales Domi-*
„ *ni Marchionis*, *& filii ejus Ducis:* Richerus, Reinber-
„ tus Wernnherus Wolfrigel, Gebolfus Tageno, Fri-

„ dricus, Burchardus, Lantfridus, Albero, & quam-
„ plures fide digni per aurem attracti ex Barrochia
„ Ambans. Acta ſunt hæc ab Incarnatione Domini
„ Milleſimo, Centeſimo, Quadrageſimo Quinto, co-
„ ram teſtibus prenotatis feliciter. Amen.) In ſigil-
lo Hartmannus Epiſcopus in ſolio ſedens, dextera pe-
dum, ſiniſtra librum tenet. † *Hartmannus Dl. gr. Brixin. Epc.*

XXXI. Ex nominibus Teſtium, huic Diplomati adſcriptis, conſequens eſſet: aut anno 1145. jam Bertholdum III. Ducem Meraniæ, ejusque Patrem Bertholdum II. Marchionem, vel Comitem Iſtriæ fuiſſe: aut fingendos eſſe duos Bertholdos *Duces Meraniæ*, quorum utrique Pater fuerit Bertholdus *Marchio*, vel *Comes Iſtriæ;* utrumque pugnat cum temporum ac diplomatum certo quodam ordine, a nobis propoſito a N. V. ad N. X.

Equidem cum Diploma hoc unum, propter Teſtes adnotatos, pluribus, certisque adverſetur teſtimoniis, in eo Diplomate ſcribæ vitio aliquid immutatum, ommiſſum, perturbatumve fuiſſe, merito ſuſpicamur. Nolim equidem hujus documenti (in cujus illæſo autographo & adnotatus annus 1145. B. Hartmanno congruit, & res ipſæ veritatem ſpirant) fidem omnino dubiam reddere; illud ſolum vehementer ſuſpicor: *Teſtes* quosdam adſcriptos, ad Hermanni tempora iſta, nempe ad an. 1145. non pertinere.

Enimvero prope certum id reddit (Imo) *Degenhardus* Præpoſitus in Diezen Teſtis hic adſcriptus 1145. Nam apud HUNDIUM *Gewoldi Metrop. Salisb. Tom. II. pag. 184.*

184. Primus Dieſſenſis Præpoſitus *Hartwicus* fuit ab anno 1132, ad 1173. Alter, *Degenhardus* nomine Præpoſiti munere functus eſt ab anno 1173 ad 1213 vel ſequentem. Comprobatur id ibidem *pag. 181, & 182.* variis documentis, inter quæ eſt Bulla Innocentii II. P. M. data ad *Hartwicum Præpoſitum in Diezzen* anno 1132. Indict. X. Pontificatus anno II. Deinde Charta donationis Comitis Hainrici de Wolfratshauſen, factæ Monaſterio in Diezzen, *præſente ejusdem loci Præpoſito Hartwico anno MCLVIII. die Kal. Majarum.* Itaque anno 1145. *Degenhardus* non poterat Præpoſiti in Dieſſen munus ſuſtinere; atque *ut talis*, Teſtem agere. Et fidem pene ſuperat, eundem Præpoſitum fuiſſe ab anno 1145. ad annum 1213. aut duo Hartwici, duoque Degenhardi fingendi eſſent. (Ildo) Anno 1145, *Engelbertus* Marchio Iſtriæ fuit (non *Bertholdus*) ſaltem uſque ad annum 1156. Nam, ut nihil de iis dicam, quæ MEGISERUS de Engelberti Marchionis Iſtriæ bellis narrat; ſane damna ab *Engelberto Marchione* data Aquilejenſi Eccleſiæ in bonis in Carniolia ſitis, commemorant Tabulæ Udalrici Patriarchæ Aquil. circa 1122. datæ; in quibus haud dubie Engelbertum Marchionem Iſtriæ deſignari aliaque huc facientia refert R. P. RUBEIS *Monument. Aquil. Cap. LVIII. pag. 554. &c.* Hunc Engelbertum, vel ſucceſſorem eodem nomine, etiam anno 1156. fuiſſe Iſtriæ Marchionem, certiſſimum eſt, e celeberrimo illo Friderici I. Imperatoris Privilegio, Ducibus Auſtriæ dato anno 1156, cujus meminit CHRONICON AUGUSTENSE *apud Freherum Struvii Tom. I. pag. 510.* VITUS ARENPECKIUS *Tom. III. Bern. Pez Anecdot. pag. 217.* HUNDIUS *Tom. I. Metrop. Salis. pag. 77. &c.* Cujusque Privilegii

Originarium exemplum, bona Auſtriæ Fortuna, ſuperiore anno Oenipontano in Tabulario integrum atque illæſum invenit Perill. ac Doctiſſimus ROSENTHALIUS (idemque Diploma illibatum ſe vidiſſe jam antea monuerat R. P. ANTONIUS STEYERER *in adverſariis MStis*) in quo teſtem Engelbertum ita ſcriptum legit: *Marchio Engielbertus de Iſtria.* Apud ARENPECKIUM legitur *Engelhardus* vitioſe ſcriptum.

Itaque jam anno 1145, ac deinceps, *Bertholdo* titulus *Marchionis Iſtriæ* vel *Comitis Iſtriæ*, non competit. Enimvero ne *Comitis* quidem *Iſtriæ* & una *Marchionis de Andechs* titulum (apud Andechſios inſolitum, & vel ideo ſuſpectum) Bertholdo noſtro jam ab anno 1145. congruere, conficio ex Documento Moſacenſi confecto 1160, vel 1158, quod refert UGHELLUS *Tom. V. Ital. Sacr. Edit. Venet. pag. 64.* & a R. P. RUBEIS *pag. 579.* indicatum: ibi legitur inter teſtes *Meinhardus Comes de Hiſtria.* Etſi illic quoque Doctiſſimus RUBEIS ſuſpicetur, eſſe legendum: *Meinhardus Comes de Goritia.* Accedunt alia documenta relata ſuo loco, ſex diverſorum annorum, quibus Bertholdus ab anno 1153. usque ad annum 1172. (niſi quod ſemel ponatur inter teſtes *Marchio* tantum ſine vocabulo *Iſtriæ*) nunquam *Marchio Iſtriæ vel Comes Iſtriæ*, ſed tantum *Comes de Andechs*, ſcriptus occurrit. Neque credibile eſt, Bertholdum Comitem, ob generis claritudinem, ac opulentiam præcipuo fere, poſt Duces, loco haberi ſolitum, paſſurum fuiſſe, ut ſub Engelberto (quisquis ille fuerit) *Iſtriæ Marchione*, ipſe Bertholdus *Comitis Iſtriæ*, ſecundario veluti titulo, appellaretur.

Suſpectam porro IIItio teſtium ſubſcriptionem red-

reddit: *Dominus Degenhardus Præpoſitus in Diezzen, filius Marchionis de Andechs.* Præterquam enim, quod ut modo oſtendi, anno 1145. certo *Hartwicus*, nequaquam vero *Degenhardus*, Præpoſitus Dieſſenſis fuerit, non placet illud adjectum: *Filius Marchionis de Andechs*, Nam neque in ullo Andacenſium Genealogico Schemate, alibi, quod ſciam *Degenhardi* fit mentio: neque in certis ambabus *Originariis* Tabulis anni 1180, relatis N. VII. Bertholdi Patris & Filii, Degenhardus appellatur *Filius Marchionis de Andechs*, quod vix omiſſum illic ſuiſſet, ubi alii de ſtirpe Andechſia recenſentur.

Ex his denique omnibus quid conficiam, ambigo; durum eſt dicere: imperitum ſcribam vel omiſiſſe aliquid in Hartmanni Diplomate ante teſtium nomina, vel poſt illa: aut alieno eos loco Diplomati inſeruiſſe; ut nihil omnino deterius iſthic ſuſpicari ſit neceſſe: aut Chartam Originariam caſu aliquo vitiatam, ſubinde poſt annum 1173. inſtauratam, aliterque deſcriptam fuiſſe, ubi Bertholdis duobus titulos tunc dari ſolitos ſcriba adjunxerit, & litteram initialem H. pro D. lectam, ita *Degenhardum* loco *Hartwici* prodiiſſe.

Exiguum alium ſcrupulum, adverſus Bertholdorum ſtemma noſtrum, injecit memorata ab HUNDIO *Gewoldi Tom. III. Metrop. Salis. pag. 9. & 10.* Charta concambii Ottonis Babenbergenſis Epiſcopi cum Engelſchalco Oſterhovenſi Præpoſito (" Datum Aterſe, „ anno Dominicæ incarnationis MCLXXX. Indictio„ ne tertia decima, Friderico Imperatore.) in iſta inter teſtes ita habetur: *Perchtoldus Marchio de Andechſen, & filius ejus Perchtoldus Marchio, miniſteriales eorundem.* XXXII.

Hic

Hic Berchtoldus filius nondum *Dux* appellatur anno 1180. quem tamen anno 1173. *Ducem Meraniæ* legimus. At enim ſubſcriptio teſtium ſæpius a ſcriba, quam ab ipſismet teſtibus fiebat, quam in re facilius aliquid omitti poterat, quam adjungi.

Sane *Berchtoldus Filius* ſeſe & *Marchionem Iſtriæ*, & ſimul *Ducem Meraniæ* ſcripſerat, ut ſuo loco vidimus. Quare hic aut a ſcriba, aut in apographo alter titulus *Ducis Meraniæ* omiſſus videtur, uti nonnunquam idem Bertholdus tantum *Dux Meraniæ* legitur, ſine adjecto: *Marchio Iſtriæ*. Denique Bertholdum III. ſimul *Ducem Meraniæ* & *Iſtriæ Marchionem*, nobis ſiſtit Charta Ludovici Bavariæ Ducis, ab Amico doctiſſimo deſcripta. Qua Wilthinenſi Cœnobio contractum & concambium olim cum Bertholdis duobus poſtremis, & eorum ſucceſſoribus, anno 1180. factum confirmat. Initium eſt ſequens („ In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinita„ tis Ludwicus Dux Bavariæ omnibus Chriſti fideli„ bus feliciter, amen. Quæcunque venerabilis anti„ quitas - - - - - - Quoniam igitur Bertholdus Illu„ ſtris Marchio Iſtriæ, & Filius ejus Bertholdus Dux „ Meraniæ, & Iſtriæ Marchio: hujus quoque Filii „ Ekebertus, Otto, & Hainricus, hereditario jure „ ſibi ſuccedentes - - - - - - Hæc autem acta ſunt „ anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo „ decimo, Indictione XIII. regnante Imperatore Otto„ ne (*quarto*) primo anno.)

Hoc Diplomate præter comprobatos utriusque Bertholdi titulos, etiam Bertholdi III. Ducis Meraniæ filii tres denuo indicantur, quos jam in ipſius Ducis Bertholdi Diplomate, anno 1180. dato, nominatos

N. VII. memoravimus, omiſſo illic, & hic quoque, Bertholdo, poſtea Patriarcha Aquilejenſi, quia is anno 1180. vix natus fuiſſe videtur, qui anno demum 1251. obierit; idcirco hunc Bertholdum fratrum natu minimum fuiſſe opinor.

Denique apud HUNDIUM *Gewoldi Metrop. Salis. Tom. II. pag. 67.* Ottonis Epiſcopi Babenbergenſis Charta adducitur, in qua hæc inſeruntur: („ Rogo propte-
„ rea eos, qui litteram hanc legunt, ut fidem narra-
„ tionis adhibeant. Anno gratiæ Dominicæ cum in-
„ ſtaret annus milleſimus centeſimus ſecundus, regnan-
„ te Chunrado Rege tunc temporis, quod nos devo-
„ tis & piis precibus Patris noſtri carnalis Bertholdi
„ Comitis de Andeſs, & juſtis poſtulationibus Fratris
„ noſtri Pertholdi Marchionis Iſtriæ inclinati - - - - -
„ Datum in Babenberg undecimo Kalen. Octobris.) Sed omnia, poſito illo anno 1102., confuſa, manca, & erronea videbit, qui totum legerit. Sane anno 1102. Conradus Rex Rom. nemo fuit; nam Conradus, Henrici IV. filius, obiit 1101. in Julio.

Otto I. Epiſcopus Bambergenſis erat quidem anno 1202. ab Henrico Cæſare nominatus Epiſcopus Bambergæ, poſt mortem Rotberti, teſte ANNALISTA SAXONE *Eccardi Tom. I. pag. 598.* ſed hunc Ottonem non fuiſſe e ſtirpe *Andexia*, ſolide probant HAGIOGRAPHI BOLLANDIANI *Tom. I. Julii, ad diem II. in Prolegomenis ad Vitam S. Ottonis Epiſcopi, pag. 357. &c.* Itaque ne Otto I. quidem Epiſcopus Babenbergenſis in hoc Diplomate ſtare poteſt, ſed annus vitioſe ſignatus eſt: aut is annus 1102. non ad tempus chartæ datæ, ſed ad primam piam deſignationem pertinet; cum alioqui

non ad finem, ſed poſt ingreſſus formulam poſitus ſit, ac in fine Chartæ anni nota deſideretur.

Neque vero (ſi annus 1102. *datæ Chartæ* eſſet poſitus) ſanari una medela vulnus poſſet, interponendo τὸ *quadrageſimo*, inter: *Anno Milleſimo Centeſimo* (quadrageſimo) *ſecundo*. Nam tum *Chunradus* quidem Rex Romanorum, ſed nullus *Otto* Epiſcopus Bambergæ fuit. S. Otto I. enim vero obiit 1139. ut habent ANNALES BOSOVIENSES *Eccardi Tom. I. pag. 1112.* & *Scriptores Vitæ S. Ottonis*, *Synchroni* apud BOLLANDIANOS *Tom. I. Julii pag. 366.* Sane anno 1141. *Ottonem*, *Beatæ Memoriæ*, *Bambergenſem Epiſcopum*, appellat Conradus II. Cæſar in Diplomate apud HUNDIUM: *Metrop. Salisb. Tom. II. pag. 359.* Itaque anno 1142. Otto I. Chartam dare non potuit.

Porro Otto II. Babenbergæ Præſul, Bertholdi Comitis de Andechs filius, Bertholdi Marchionis Iſtriæ frater, anno 1177. Epiſcopatum obtinuit; quando etiam in Charta data 1153. Otto, Germanus Bertholdi Marchionis, *Clericus* tantum appellatur in Diplomate apud BERNARDUM PEZ *Anecdot. Tom. III. Part. III. pag. 701.* Conſtat vero, ut reliqua taceam, vel ex Diplomatis Epiſcoporum Babenbergenſium, quæ citantur apud CL. GEORGISCH *in Regeſtis Chronologico Diplomaticis*, *Parte IV. ſeu in Indice Alphabet. Regeſtorum pag. 49. & 50.* Poſt Ottonem Imum Præſules Bambergæ fuiſſe Egilbertum, ſeu Engelbertum an. 1144. deinde Eberhardum, cujus Documenta plura ab anno 1151. ad 1166. recenſentur. Poſt hunc ſediſſe Hermannum 1176. Itaque circa annum demum 1177. Otto ſecundus Andechſius Præſul Babenbergæ inſtitutus eſt, de quo

TABULA III.

AD CAPUT IV. *pag.* 155.

ALBERTUS II. Comes Goritiæ, & Tyrolis, *pag.* 156. † 1304. ante 7. Septembris, *pag.* 159. *Uxor I.* EUPHEMIA, Conradi Ducis Glogoviæ filia 1266. *pag.* 157. *&c. Uxor II.* EUPHEMIA, Hermanni Comitis de Ortenburg filia 1275. 1304. *pag.* 158. 159. 160. 161.

1.
HENRICUS II. † Tarvisii 1323. 24 Aprilis. *pag.* 157. 159. 160. 164. *&c. Uxor I.* BEATRIX, Gerardi de Camin filia 1297. 1317. *pag.* 166. *Uxor II.* BEATRIX, Stephani Bavariæ Ducis, filia 1321. Vidua 1325. - - - - 1359. *pag.* 169.

1.
MEINHARDUS VI. 1300. - - - - 1317. 1318. *pag.* 166. 167. *&c.*
Sponsa I. N. Pauli Bani Croatiæ filia. 1300. *pag.* 167.
Sponsa II. Ruodolfi I. Palatini filia, forte MECHTILDIS, 1314. 1316. nupta deinde Comiti N. de Sponheim. *pag.* 168. 169.

ALZIBERTA *Uxor* Nicolai Prampergii 1313. *p.* 167.

2.
JOANNES HENRICUS seu JOANNES, natus 1322. sub tutela Henrici Regis Bohemiæ ab 1323. ad 1335. † 1338.
Sponsa I. BEATRIX, Petri Siciliæ Regis filia 1335. 27. April. *pag.* 171. *Sponsa II. & Uxor* ANNA, Regis Rom. Friderici Pulchri, Austriaci, filia. Desponsata 1335. Nupta 1336. Monialis facta 1340. circiter. † 1343. in Dec. *a p.* 170. *ad* 177.

2.
ALBERTUS III. seu JOANNES ALBERTUS 1307. - - (1324. cum filio Alberto) † 1327. *pag.* 160. 161. 178. *&c.* 180.
Sponsa vel Uxor I. N. ULRICI COMITIS DE HEUNBURG filia, Sponsa 1283. *p.* 181. 182.
Uxor I. vel II. ELISABETHA, Henrici Hassiæ Landgravii filia, 1299. *pag.* 182. 183.
Uxor II. vel III. OFFEMEIN UTEHILD DE MÆTSCH, 1327. Vidua 1350. *pag.* 183. 184. 185.

2.
CLARA EUPHEMIA, *Sponsa* 1286. Ducis Sclavoniæ ANDREÆ, qui fuit subinde Rex Hungariæ, *pag.* 161. 162. 163.

3.
ALBERTUS IV. 1324. 1327. † intra vel ante 1374. *pag.* 184. 185. 192. *&c. Uxor* CATHARINA, Friderici I. Cilejæ Comitis filia 1353. Vidua 1374. Ea deinde *Uxor* JOANNIS TRUCHSES DE WALDPURG 1377. 1386, *pagina* 192. 193.

3.
MEINHARDUS VII. 1327. 1347. † 1385. *pag.* 184. 185. 195. *&c.* 198. *Uxor I.* CATHARINA DE PFANNENBERG 1347. &c. 1374. *pag.* 195. *Uxor II.* UTEHILD, Udalrici de Mætsch filia, 1379. Deinde nupta JOANNI BURGGRAVIO DE MAIDBURCK COM. DE HARDECK 1387. 1389. 1406. 1415. *pag.* 195. 196. 197.

3.
HENRICUS III. 1327. † 1363. *Uxor* ZILIOLA, Jacobi Magni Carrarienfis filia, 1350. in Junio. *pag.* 184. 185. 193. 194.

2.
ELISABETHA. *Maritus I.* HERMANNUS COM. DE HEUNBURG, Ulrici filius (1302. Sponsa) Conjux 1310 1316. *Maritus II.* Com. WILHELMUS DE SCHAUMBURG 1324. 1325. 1338 *p.* 185. 186. 187.

2.
CATHARINA *Uxor* ULRICI COMITIS DE TAUFERS. 1312. 1337. *p.* 187. & 188.

CLARA *nupta* Dno HERDEGEN DE PETTAU 1319. *pag.* 188. 189.

CATHARINA *Maritus* ULRICUS DE WALSEE. 1320 *pag.* 189. 190.

3.
MARGARETHA *Uxor* RUDOLFI COMITIS DE ORTENBURG. 1361. *p.* 191. 192.

2.
HENRICUS IV. natus 1376. † 1454. *pag.* 196. *&c.* 200. *&c.* 210. *&c.*
Sponsa I. ELISABETHA, Leopoldi Probi Austriaci filia. 1382. † 1392 *pag* 214.
Sponsa II. & Uxor ELISABETHA, Hermanni Cilejæ Comitis filia, 1400. 1412. 1424. 1426. *pagina* 215. 216.
III. CATHARINA 1443. Vidua 1454. - - - 1471. *pag.* 211. 213. 217. *&c.*

2.
JOANNES MEINHARDUS 1387. † 1430. *pag.* 196. *&c.* 207. *&c.*
Uxor I. MAGDALENA, Friderici Bavariæ Ducis filia. 1405. *pag.* 207.
II. AGNES, Friderici Petovienfis foror, 1422. *Vidua* 1430. 1432. Deinde *Uxor* LEUTOLDI D. DE STUBENBERG. *pag.* 208. 209.

HENRICUS Junior 1421. *Incertus pag.* 208.

1.
ANNA *Uxor* JOANNIS COM. DE VEGEL, ET MODRUSCH, 1352. 17 Octobris. 1385. 1392. *pag.* 198. 205. 206.

1.
CATHARINA *Sponsa* LEOPOLDI III. Probi Austriaci 1361. *Uxor* JOANNIS Ducis Bavariæ 1372. † 1391. die S. Albani 21 Junii. *pag.* 202. 203.

1.
URSULA *Uxor* Comitis HENRICI DE SCHAUMBURG 1362. 1370. *pagina* 203. 204.

1.
ELISABETHA *Sponsa* 1373. WILHELMI COMITIS CILEJENSIS qui † 1392. *pag.* 204. 205.

1.
EUPHEMIA 1370. *p.* 205.

2.
MARGARETHA, *Uxor* JOANNIS COMITIS OETTINGENSIS 1433. *pag.* 216. & 217.

MARGARETHA, *Uxor* ULRICI COMITIS DE MONTFORT DE TETNWANG, incerta, *pag.* 217.

3.
JOANNES 1443. 1444. 1453. 1455. 1454. 1459. † 1462. *pag.* 219. 220. *&c. Uxor vel Sponsa* ELISABETHA, Ulrici Cilejensis filia. 1433. 1444. *pag.* 226. 225.

3.
LUDOVICUS 1453. 1455. † 1456. vel sequente, *pag.* 219. 220. 225.

3.
LEONHARDUS, ultimus suæ stirpis, Goritiæ Comes, 1453. 1455. † 12 Aprilis, Leontii, anno 1500. ibidem sepultus. *pag.* 226. 227.
Uxor I. N. Nicolai Bosniæ Regis filia 1475. *pagina* 228. 229.
Uxor II. PAULA, Ludovici III. Gonzagæ, Mantuæ Marchionis, filia 1477. 1493. 1495. *pag.* 229. 230. 231.

Incertæ proles Henrici IV. ex Elisabetha. pag. 231.

2. SIGISMUNDUS. 2. GEORGIUS. 2. ULRICUS. 2. FRIDERICUS. 2. ANNA. 2. BARBARA.

quo documenta an. 1180. 1183. & 1188. proſtant. Porro hujus Ottonis II. Andechſii, ut Fundatoris Ptochotrophii, ſeu Hoſpitalis ad Pirum, ſeu Pirnum montem in Auſtria Superiore, mentio fit ad annum 1183., & 1190. in BERNARDI NORICI *Catalogo Abbatum Cremifanenſium anno 1183. pag. 61. Hieron. Pez Tom. I.* Quare & hujus Ottonis Andechſii obitus recte videtur ab HOFMANNO ad annum 1191. referri; etſi VITUS ARENPECKIUS *in Chron. Bajoar. Lib. V. pag. 247.* Bern. *Pez Tom. III. pag. III.* annum 1196. adnotarit.

Perpenſis his omnibus, Charta illa, apud HUNDIUM, ab *Ottone Andechſio, Babenbergenſi Epiſcopo*, anno 1102., & *Rege Conrado*, edita, eſt omnino vitioſa, neque una correctione ſanari poteſt; quare eadem noſtræ Bertholdorum Andechſiorum ſeriei, multis verisque documentis comprobatæ, officere nullo modo poteſt.

CAPUT IV.

Series ſtirpis Comitum Goritienſium, ab Alberto II., ad Leonhardum, ſuæ gentis poſtremum, comprobatur, ſecundum Tabulam III.

MEinhardo III. filii duo fuere, *Meinhardus IV.*, & *Albertus II.* Meinhardus IV. natu major Tyrolenſem, eandemque Carinthiacam ſundavit lineam: Albertus II. Goritienſis ſtirpis, ita proprie dictæ, propagator fuit. De hac Goritienſi ſtirpe præſente Capite IV. agetur: de Tyrolenſi, Capite ſequente.

Meinhardum III. ex *Adelheide* Tyrolenſi Patrem fuiſſe *Meinhardi IV.*, oſtenſum eſt præcedente Capite, a N. XV. ad XXI. *Albertum II. Meinhardi III.* fratrem appellatum fuiſſe, vidimus in Tridentinis Tabulis, ex UGHELLI *Tom. V.* prolatis ad an. 1259., *Cap. III. N. XX. & N. XV.* ex Documento anni 1256. Itaque certum eſt Albertum II. natum eſſe ex Adelheide, Alberti Tyrolenſis filia, conjuge Meinhardi III.

Confirmare hoc poſſem documentis, confectis anno 1262., & 1264., & 1269., & 1292. in *Repertorio Auſtriaco Parte II. & III.* quorum aliqua paulo poſt, aliqua in *Chronico* adducam: quibus omnibus Albertus II. *Meinhardi IV. frater* commemoratur.

Alberti hujus duas invenio Uxores, quarum utraque *Euphemiæ*, ſeu *Offmein* nomine inſignis erat. Meinhardus III. Filio Alberto II. deſponderat *Euphemiam Ortenburgicam.*

Sponſæ deſtinatæ mentio fit anno 1256. *Repert. Part. III. fol. 959.* („ Dux Ulricus de Carinthia reci„ pit ſub protectionem Comitem Heinricum, & Co„ mitem Fridericum de Ortenburg; contra Comites „ ſe obſtrinxerunt obſequio Ducis contra quemvis, „ exceptis Com. Ulrico de Sternberg, Com. Ulrico „ de Heunburg, Com. Henrico de Pfannenberg, Wolf„ fingo de Stubenberg, & Comite Meinhardo de Gœrz, „ ſi ipſius filius intra biennium duxerit ipſorum (Or„ tenburgicorum) ſororem.) Filius Meinhardi, *Albertus* hic intelligi debet, & ſoror Ortenburgicorum *Euphemia*: utrumque mox oſtendam.

Mortuo, anno 1258., Meinhardo III. ea ſponſalia anno 1262. diſſoluta ſunt. Hac de re ita Synopſis char-

chartæ veteris *Repertorii Parte III. fol. 555.* („ Comes „ Meinhardus, & Comes Albrechtus, de Gœrz, & Ty„ rol, fratres, liberos pronunciant Comites de Orten„ burg, ab initis pactis nuptialibus inter Patrem ſuum „ Comitem Meinhardum de Gœrz, & Comitem Her„ mannum de Ortenburg: quæ pacta erant inter Co„ mitem Albrechtum, & Comitiſſam Offmiam, memo„ rati Comitis Hermanni filiam; quia eæ nuptiæ pro„ pter cognationem celebrari non poterant. Datum „ Tyrol anno 1262.) Hanc tamen ſponſam, ſecundo Matrimonio, ab Alberto II. conjugio receptam eſſe, poſtea dicemus, quam de priore uxore egerimus.

Prior itaque Alberti noſtri Conjux fuit *Euphemia*, Conradi, Glogoviæ in Sileſia Ducis, filia. Ea occurrit in tabulis datis in Lütmaricz III. Idus Maji anni 1266. (*Repert. Part. II. pag. 464.*) quibus („ Alber„ tus Comes Goritiæ compenſat uxori ſuæ Offmein, „ Ducis Conradi de Sleſia Filiæ, pretium 200. marca„ rum, annexum Caſtellis duobus de Eberſtein, & de „ Schenenberg.) Hinc confirmari, & ſuppleri poteſt Tabula Genealogica, propoſita in *Scriptoribus Rerum Sileſiacarum* SOMMERSBERGII *pag. 342. Tab. II. Genealogica*, ubi habetur: („ Cunradi II. (mortui 1298.) Ducis „ Zleſiæ, & Glogoviæ filia Euphemia, nupta N. Comi„ ti Goritiæ) hæc deſumpta eſſe SOMMERSPERGIUS meminit (*Ibidem pag. 343.*) ex *MSS. Annalibus Wratislavienſibus*, quos produxit POHLIUS, ubi ſic legitur: („ Ducis Conradi altera filia Euphemia nupſerat Prin„ cipi de Goritia, quæ ipſi Henricum peperit.)

Hoc teſtimonio itaque etiam *Henricum Secundum* te- II.
nemus, primum natu Alberti II. ex Euphemia Sileſia

filium. Eadem Euphemia ante annum 1275. marito per mortem erepta videtur; quoniam eodem anno, *die Mercurii ante Feſtum Pentecoſtes 3. exeunte Majo (id eſt die 29. Maji) an. 1275.* occurrit in *Repertorio Parte II. fol. 685.* e Tabulario Oenipontano, nunc Græcenſi: („Contractus Matrimonii, & dotalitius, inter Comitem „Albertum de Gœrz, & Comitiſſam Offmein de Har„deck ſuam conjugem, ſororem Comitis Friderici de „Ortenburg, anno 1275.) In eodem *Repertorio ibidem fol. 464.* habetur („confirmatio traditionis factæ a Do„mina Anna de Pfannenberg Dominæ Offmein, & ejus „marito Comiti Alberto de Gœrz, ratione dominio„rum Playen, & Hardeck anno 1275.) Eandem Euphemiam, cum filia Clara Offmein, produnt aliæ tabulæ *Repertorii Parte II. pag. 425.*, quibus („Offmein „Uxor Alberti Comitis Goritiæ aſſignat filiæ ſuæ Cla„ræ (*Offmein*) 1200. Denarios Aquilejenſes de bonis „ſuis Hardeck, & Playen, anno 1296.

Hanc *Euphemiam*, Friderici de Ortenburg ſororem, eandem eſſe ſponſam illam, cognationis titulo abdicatam 1262., *Hermanni Ortenburgici filiam*, colligo ex Documento & antea N. I. allato, & alio quo eadem jam Vidua occurrit (*Repertorii Parte II. fol. 592.*) quo („Rex Albertus Primus, Dux Auſtriæ, anno 1304. „confirmat aſſignationem dotis, quam Albertus Co„mes Goritiæ fecerat uxori ſuæ, Comitiſſæ Offmein, „Comitis Hermanni de Ortenburg filiæ. *Datum Wien, die XXVIII. Januar. Indict. II. Anno Regni VI.*) Recte itaque etiam LAZIUS *Commentar. de Republ. Roman. Lib. XII. pag. 1025.* hanc *Offmiam, Hermanni Artenburgenſis filiam* nominat.

Quoniam Euphemia de bonis *Hardeck & Playn*, tam-

tamquam *ſuis*, ſola, & pro libitu diſponebat: eam antea uxorem ſuiſſe ſuſpicabar, vel Ottonis Comitis de Hardeck, vel Conradi de Playn, hujus fratris, qui ambo anno 1260. fortiter in bello Hungarico occubuere, nullo herede relicto, uti perhibet HASELBACHIUS, *Chronici Auſtriaci Lib. II. pag. 733. & Lib. III. pag. 800. Hieronyni Pez Tom. II.* Familiam de Hardeck, & Playn, in duobus illis fratribus defeciſſe, ex AVENTINO refert HUNDIUS *Stemmat. Bavar, Parte I. pag. 115.* Idem HUNDIUS *ibidem Parte II. pag. 18.* Euphemiam Ortenburgicam diſerte Conradi de Playn uxorem appellat. Fallitur vero HUNDIUS, dum e LAZIO memorat: ex Euphemia Ortemburgica Alberto natos eſſe *tres* filios *Meinhardum*, *Albertum*, & *Henricum*; *Henricum* enim Euphemiæ Sileſiæ tribuunt & ætas ipſa, & *Annales Wratislavienſes*, quibus potius credendum eſt. De *Alberto III.* id verum eſſe, mox oſtendam: de *Meinhardo* non pugno, de quo nihil certi conſtat. *Vide dicta Cap. III. N. XXI.*

Annus Mortis Alberti II. adnotatus eſt in *Chronico Foro-Julienſi* JULIANI, apud RUBEIS *in Appendice pag. 30.* („ Anno Domini MCCCIV. Nobilis Vir Dominus „ Albertus Comes Goritiæ obiit Lonyz (id eſt Lüenz, „ ſeu Leontii in Tyroli) & ſepultus fuit Roſacis in „ Vigilia Nativitatis Sanctæ Mariæ.) Itaque ante ſeptimam Septembris obiit. Comprobat hunc annum Euphemia Ortenbergica, paulo ante Vidua 1304. commemorata. Porro confirmat Charta anno 1304. edita *Repert. Part. II. fol. 846.* qua („ Henricus Comes con- „ firmat indemnitatem Conrado Stetinger de Molen- „ dino ſuo, quia Pater ſuus Albertus hac indemnitatis „ gratia eundem donaverat. Al-

III. Alberti II. filios tenemus duos: *Henricum II.*, & *Albertum III.* Filiam unam *Claram Euphemiam*, cujus mentio paulo ante facta eſt, cum matre Euphemia.

Henricum II. præter laudatos ANNALES WRATISLAVIENSES, Alberti II. filium comprobant *Tabulæ Repert. Parte II. pag. 733.* quibus („ Anno 1286. Alber„ tus Comes, & filius ejus Comes Heinricus de Go„ ritia, abdicant jus Advocatiæ ſuper pagos, ſpectantes „ ad ſacras Virgines Aquilejæ degentes, pro annua „ penſione de qualibet Hueba,) ſeu prædio ruſtico. Eundem *Henricum II.* primogenitum fuiſſe Alberti II. filium, præter antea dicta, conficiunt illa, quæ narrat ANONYMUS LEOBIENSIS *Lib. II. pag. 860. Hieron. Pez Tom. I.*, qui, ad annum 1287., poſteaquam Meinhardum IV. Alberti II. fratrem, Ducem Carinthiæ inſtitutum perhibuiſſet, addit: („ Albertus Comes Goritiæ fra„ ter ejus (Meinhardi IV.) Feuda ſua recipere recu„ ſavit, ſed ea conferri Hainrico filio ſuo poſtulavit) Primogenito utique præ reliquis.

Henrici II. fratrem *Albertum III.* ſiſtunt in *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol. 125.* (“ Litteræ concor„ diæ, ac diviſionis Hereditatis, inter Comitem Hen„ ricum, & Fratrem ejus Comitem Albertum de „ Goerz: anno 1307.) *extant Viennæ.* Et aliud documentum eiusdem anni 1307. *ibidem fol. 465.* (“ Aſſi„ gnatio facta a Comite Henrico de Goerz fratri ſuo „ Comiti Alberto, de pretio proventuum in Wolken„ ſtein, qui ad Albertum Comitem ſpectant &c.) omitto plura in re certa.

Albertum IIItium ex Offmia IIda Ortenburgica natum fuiſſe, non ex Sileſia, probant verba in Contra-

tractu Matrimonii anno 1275, inter hanc Offmiam, & Albertum IIdum, ſupra memorato, quæ ita habent, communicante Perilluſtri ROSENTHALIO: (" Item ſi „ ipſa Domina Ofmya Comitiſſa filium vel filios ha- „ buerit cum Domino Alberto Comite, idem filius „ vel filii, cum Filio quem Dominus Albertus Co- „ mes habet cum priore uxore ſua defuncta, æqualem „ habeant portionem in Feudis, allodiis, &c.) Clarius id fit ex promiſſo Ulrici Com. de Heunburg de futuro Matrimonio inter unam ex filiabus ſuis, & Albertum, Alberti Com. Goritiæ filium. *Datum X. Kal. Martii 1283.* his verbis: (" Suis (Alberti Patris) de- „ ſideriis ſatisfacere cupientes, ſuo filio Alberto, „ quem habet per nobilem Dominam Euphemiam Co- „ mitiſſam de Ortenburch, unam de filiabus noſtris, „ quam maluerit, jurati dare promiſimus in uxorem.)

Comprobatis duobus Alberti IIdi Filiis, ad Filiam ſermo redit, *Claram*, quam N. II. vidimus ex Euphemia Ortenburgica natam. In REPERTORIO AUSTR. *Parte IIda fol. 585.* Eandem *Claram*, Alberti Senioris Comitis Goritiæ filiam, certis conditionibus Sponſam paciſcitur *Duci Andreæ de Marchia Vinidorum* (ita in Germanica Epitome) Procurator præfati Ducis, anno 1286. IV.

Exiſtimo in hoc Germanico Documento (vel in ejus Rubro in Repertorio) minus proprie appellari *Andream Ducem Marchiæ Vinidorum*; nam Vinidorum Marchiæ, circa Metlingam ſitæ, intra fluvios Savum, Colapim, & Gurcam, Duces non ſciuntur præfuiſſe,

ſed *Domini*, vel, ut plurimum dicam, fortaſſe olim *Marchiones*.

Porro ſi *Bautſchnerianis Excerptis* acquieſcimus, jam anno ſaltem 1272. Marchia Vinidorum Alberto IIdo, Goritiæ Comiti, parebat; itaque anno 1286. & *Dux Marchiæ Vinidorum* nemo, & ejus *Dominus* non alius a Goritiæ Comite Alberto IIdo ſuiſſe videtur. Sane Albertus II. filiis ſuis anno 1303. terras dividens, *Marchiam* etiam, præter Carnioliam nominat. *Vide Chronicon noſtrum ad an. 1303.* Porro Albertus Goritiæ Comes, anno 1365. Marchiæ Vinidorum Privilegia confirmat, ob fidelia obſequia *ſibi & majoribus* præſtita. LUNIG *in Archivo Imper. Parte Speciali Contin. Ia. §. 4. pag. 195.*

Andream Sclavoniæ Ducem hic intelligendum cenſeo, cujus ad annum 1278. mentio occurrit, in Epiſtola latina Rudolfi Imi Cæſaris (ſine loco, & die) apud RDISSUM HERGOTT *Geneal. Diplomat. Gentis Habſpurgicæ, Volum. III. ſeu Tom. II. Parte II. pag. 482.* in qua Rudolfus Rex Rom. condolet Ladislao IV, novo Regi Hungariæ, & *Andreæ Duci Slavoniæ*, de recens erepto ipſis Patre. Videtur hinc colligi: Andream hunc, Stephani Vti Regis Hungariæ ſaltem proximum Conſanguineum ſuiſſe; quando *Ducis Sclavoniæ* titulus filiis Regum Hungariæ uſitatus erat. Equidem Stephano Vto Regi filios duntaxat duos Ladislaum, & Cholmanum tribuit OTTOCARUS HORNECK *Cap. 97.* neque *Andreas* uſpiam, quod ſciam, inter Filios Stephani Vti Regis invenitur.

Attamen hac ætate *Andream* tenemus, dictum vulgo *Venetum*, qui ſe Sclavoniæ Ducem appellare pote-

terat, Nepotem Andreæ IIdi Regis Hungariæ, Stephani V. ſratrem Patruelem, proximum Ladislai IV. Regis Hungariæ Patruelem, & ſucceſſorem in Regno. Vide ſequens Schema

Andreas IIdus Rex Hungariæ.

Bela IV. Rex 1235.	Stephanus, Venetiis vixit.
Stephanus Vtus Rex 1275.	*Uxor* Tomaſina Maurocena.
Ladislaus IV. Rex. 1728.	Cholmanus ſeu Colomanus Dux.
	Andreas IIItius antea Dux, dein anno 1290. Rex (vulgo Venetus) *Sponſa* Clara, Alberti II. Com. Goritiæ filia.

Hanc Andreæ Genealogiam, aliaque nos docent BONFINIUS *Decade IIda Libro IX. pag. 306. &c.* item LUCIUS *de Regno Dalm. & Croatiæ Lib. IV. Cap. X. pag. 187.* atque ABRAHAMUS BAKSCHAY *in Chronologia Regum Hungariæ poſt Bonfinium pag. 920.* Addit porro Bonfinius de Andrea Veneto: Eundem ab Ungaris, ante occiſum Ladislaum IVtum, in Hungariam inductum, ac *Ducem* ſalutatum fuiſſe, *qui in demortui Regis locum ſubrogari ſolet.*

Hæc plane nobis confirmabant ſubmiſſæ e Tabulario Græcenſi ab Eruditiſſimo ROSENTHALIO pretioſæ ex autographis ſuppetiæ, ubi ita adnotatur: (" Con-
„ tractu ſponſaliorum inter hanc Alberti IIdi filiam
„ (Claram,) & Legatum Andreæ, Ducis Sclavoniæ,
„ Nepotis olim Andreæ Regis Hungariæ: *Dat. 6. intran-*
„ *te junio anno 1286.*) Hic itaque Andream tenemus, & Andreæ II. Regis Hungariæ Nepotem, & an. 1286. Ducem Sclavoniæ, Claræ Goritienſis Sponſum. U-

trum Matrimonio ipſo junĉti ſint, nobis non conſtat. Sane 1396. Agnetem Alberti I. Cæſaris filiam Andreæ, jam Hungariæ Regi, in manus conveniſſe, teſtatur HASELBACHIUS *in Chronico Auſtriaco Lib. III. pag. 747. Hieronymi Pez Tom. II.*

Oſtendimus hactenus de Alberto II. propoſita hoc Schemate.

Albertus II. Comes Goritiæ & Tyrolis † 1304.

Uxor Ima Euphemia Conradi Ducis Glogoviæ Filia 1266.

Uxor IIda Euphemia Hermanni Comitis de Ortenburg Filia 1275.

1.	2.	2.
Henricus IIdus	Albertus III.	Clara.
1286. 1287. 1307.	1307.	*Deſponſata* 1286. Andreæ Duci Sclavoniæ.

Henricum II. cum duabus Uxoribus, liberisque tribus, primum expedire libet; quod alioqui nulla ulterior ſucceſſio ex Henrici II. prolibus ſuppetat. Vita functum Henricum II. anno 1223. XXIV. Aprilis Tarviſii, memorant CORTUSII FRATRES *de Novit. Paduæ Lib. III. Cap. II. pag. 40. Grævii Script. Ital. Tom. VI. parte I.* Eundem annum notat JULIANUS *in Chronico Forojulienſi Append.* RUBEIS *pag.* 37. diemque ponit Feſtum S. Georgii, quod in Foro Julio XXIIII. Aprilis (in quibusdam locis XXIII. Aprilis) celebratur. Et vero ex verbis JULIANI etiam XXIV. Aprilis colligi poſſet (etſi Feſtum S. Georgii pridie celebratum diceretur) Henricum obiiſſe, cui morbus veſpere obve-

venit, e quo *ſtatim*, id eſt, poſt mediam noctem deceſſerit. Verba JULIANI ſunt: (" Anno Domini „ MCCCXXIII. D. Henricus Comes Goritiæ in Feſto „ S. Georgii, hora veſpertina tripudii, venit ei quæ„ dam infirmitas, de qua ſtatim ex improviſo mor„ tuus eſt in Terviſio: & ibi honorifice ſepultus.) His obeſſe videtur Documentum duplex in *Repert.* AUSTRIACO *Parte II*, Alterum anno 1324. editum. *pag. 744*, quo indicatur: (" Brevis cautio ſcripta a Friderico de „ Vilalta, & ab uno de Ciprianis, qua Comiti Hen„ rico cavent: quidquid is ædificaverit in turri Arte„ niæ, id Patriarcham Aquilejæ perſoluturum eſſe.) Altera Charta data anno 1325. *pag. 748.* (" de via, „ Utino Aquilejam reparanda) Verum cum hic tantum *Comes Henricus* appelletur, ſine addito *Goritiæ*, quod alias apponi ſolet; alium hic Comitem Henricum, vel Ortenburgicum (Arteniæ) vel Turrianum, aliumve intelligendum puto. Certius confirmat Henrici II. annum mortis 1323. Charta *Repertorii Parte III. fol. 560.* (" Comes Albertus de Görz, ſpondet Henrico Bohe„ miæ Regi: tanquam Tutori filii Comitis Henrici de „ Görz, ſe fideliter, & ad mentem Tutoris admini„ ſtraturum Præfecturam ſuper prædicti Comitis, (fi„ lii Henrici II.) Homines & bona. Anno 1323.) Item alia anni 1323. *Repert. Part. II. fol. 693.* qua (" Tar„ viſini Comitem Joannem Henricum de Görz poſt „ obitum Patris ſui Henrici acceptant Vicarium Impe„ rii in Urbe ac regione Tarviſina, deferuntque interea „ adminiſtrationem Dno Hugoni de Tibein. Statuunt „ porro Legatos mittendos, qui condoleant Comitiſſæ „ Beatrici de obitu mariti.) Poſtremæ Henrici II. lit-

teræ, an. 1223. d. IV. Aprilis datæ, Henrico Notario ſuo, exſtant in Tabulario Græcenſi.

V. Priore conjugio *Henricus II.* ſibi ſociavit *Beatricem*, Gerardi de Camin filiam. Conſtat id ex *Tabulis in Repert. Auſtr. Parte II. fol. 585*, confectis anno 1297. die II Maji quibus (" Spondet Dominus Gerardus de Ca„ min genero ſuo Comiti Henrico de Görz juniori, „ ſe daturum pro dote Filiæ ſuæ Dominæ Beatrici „ 26000. Marcas proximo anno, poſteaquam eandem „ domum deduxerit: addito vadimonio.) Henricus II. iſthic junior appellatur; quod ſenior diceretur Henricus Carinthius, Meinhardi IV. filius, poſtea Rex Bohemiæ: Meinhardus IV. vero ſenior erat Alberto II, fratre ſuo, & Patre Henrici II.

Gerardus de Camino Henrico Genero ſuo in bello Forojulienſi præſto fuit, uti ex *Juliani Chronico* memorabitur in *Chronico noſtro*. Comitum Caminatium ſtirpem maſculinam in Rizardo, Gerardi iſtius filio, anno 1335. defeciſſe, memorant CORTUSII *de Novit. Pad. Lib. V. Cap. IX. pag. 71.* GRÆVII *Tom. VI. Parte I:* & ejusdem rei meminit *Epiſtola Sti Bertrandi Patriarchæ Aquilejenſis*, RUBEIS *Cap. LXXXVII. pag. 874.* Attamen ſuperfuit Rizardi frater, *Vecelus de Camin*, quem ALBERTINUS MUSSATUS *Lib. X. Hiſtor. Auguſtæ, Rubrica I. pag. 483. Muratorii ſcript. Italiæ Tom. X.* recte appellat *Levirum Henrici Comitis Goritiæ*, quippe qui frater Rizardi & Beatricis fuerit, & Gerardi filius, teſte *Muſſato ibidem pag. 481.* qui Rizardum anno 1318. occiſum fuiſſe notat.

Ex hac Beatrice Henricus II. ſuſtulit *Meinhardum VI;*

VI; cum idem jam anno 1300. occurrat, uti mox videbimus: & filiam *Alzibertam*, cujus, & mariti ejus, ſolus, quod ſciam, meminit BELLONUS *in Vit. Patriarch. Aquil. pag. 52. Tom. XVI. ſcript. Ital* MURATORII circa annum 1313. ita ſcribens: (" Henricus Goritianus - - „ - - - Alzibertam Filiam ſuam, ut publico proditum „ eſt inſtrumento, Nicolao Prambergio in Matrimo- „ nium dedit.)

Meinhardum VI, parvulum utique, ſiſtit Charta *Tabularii Græcenſis, Repert. Auſtr. Parte II. fol. 592. anno 1300.* exarata *Salonæ d. XI. Auguſti*, qua continetur: (" Promiſſio Domini Pauli Bani Croatiæ, & filii „ ipſius Mladeni, & fratris ipſius Domini Georgii, „ qui omnes ſunt Comites Urbium in Dalmatia, qua „ conveniunt cum Legatis Com. Henrico de Görz: „ eum ex ipſis, qui prior filiam intra ſex annos e con- „ jugio nactus ſuerit, eandem ſe, Conſenſu Alberti „ Patris, & fratris, daturum uxorem Comiti Mein- „ hardo, Comitis Henrici de Gœrz filio.) Pauli hujus Bani, & Comitis Mladini, & Georgii Comitis totiusque Familiæ iſtius Breberienſis meminit Lucius de *Regno Dalmatiæ & Croatiæ Lib. IV. toto Capite IX. pag. 177. &c.* (" Nobiles de genere Subich, ob ſervitia „ Regibus præſtita, Comitatu Breberienſi donati, ab „ eodem cognomen ſortiti ſunt, ut ex confirmatione „ Regis Belæ conſtat.) Deinde Lucius ſubdit Diploma Belæ IV. Hungar. Regis, *datum anno 1251. IX. Kal. Decembris.*

Breberienſes Comites appellati ſunt a Caſtro *Brebir*, VI.
ſeu *Bribir*, quod in vetuſtioribus Dalmatiæ Chartis Geographicis, nempe ORTELII & VISCHERI, invenitur

ſi-

ſitum paulo ſupra Sebenicum, notam Dalmatiæ litoralis Urbem. Sebenicum vero, & vicina Dalmatiæ loca, Boſniæque, & Croatiæ magnam partem Breberienſes poſſediſſe, aliaque de eorumdem titulis, ac potentia commemorat LUCIUS *Lib IV. Cap. XIII. pag. 201. &c.* ubi etiam Diplomata Breberienſium adducit.

Sponſalia iſta, cum naſcitura Breberienſium Filia, nuptiarum finem non attigerunt. Etenim in *Repert. Auſtr. Parte II. fol. 589.* memorantur Litteræ novorum pactorum nuptialium, datæ („ a Comite Palatino Rudolpho, Duce Bavariæ, inter Filiarum ſuarum aliquam, & Filium Comitis Henrici de Goritia Meinhardum: anno 1314.) Nomen filiæ Rudolphi non exprimitur. TOLNERUS *in Hiſt. Palat. Tab. Genealog. C. ſeu III.* Mechtildem Rudolphi I. filiam unicam refert, nuptam Comiti N. de Sponheim. Itidem HÜBNERUS *Tab. 138. Parte I.* Rudolphi I Balbi, mortui anno 1319, unicam filiam Matthildem nominat, Comiti Joanni de Sponheim collocatam. Ea poterat Meinhardo VI. antea deſponſari, quin ad nuptias ipſas perveniretur. Id etiam colligi videtur, ex Documento anni 1317. apud P. RUBEIS *Cap. LXXXIV. pag. 842.* ubi Caſtonus Turrianus, anno 1316 exeunte, Patriarcha Aquilejæ renunciatus, certiorem ea de re per Litteras facit primo Henricum Comitem Goritiæ, deinde Beatricem de Camino ejus uxorem, quam *conſanguineam* chariſſimam appellat, & mox Meinhardum VI. *Nepotem* ſalutat; unde conſequitur: ſi vox *conſanguineæ* ſtricte ſumatur, e Turriana ſtirpe Caminates Comites fuiſſe. Tertia Epiſtola Caſtoni ad Meinhardum Henrici filium ita orditur („ Nobili & & dilecto filio conteſello Mainar-

„ nardo, Nepoti noſtro chariſſimo &c.) ex his ætas tenera Meinhardi VI. apparet, qui *Conteſellus*, ſeu Comitellus ſalutatur: atque adeo deſponſatum quidem, ſed nondum Matrimonio illigatum fuiſſe arbitror; cum nulla conſortis ejus mentio iſthic fiat, quod in Epiſtola hac perquam officioſa non omiſiſſet Caſtonus.

VII. Neque Meinhardi VI. poſt annum 1318. (quo cum Patre legitur die XXV. Novembris (vide *Chronicon noſtrum*) neque matris Beatricis de Camino, poſt annum 1317., memoria ulla ſe nobis obtulit; unde credibile eſt: ambos paulo poſt morte ſublatos eſſe. De Beatrice certum eſt, eam ad annum 1321., ſi non antea, obiiſſe. Nam in *Repertorio Parte II. fol. 592.* indicantur („ Litteræ Henrici Regis Bohemiæ (appenſis multis ſigillis) de conſtituendo Matrimonio „ inter Comitem Henricum de Gœrz, & Dominam „ Beatricem, natam de Bavaria, anno 1321.) De hac *Beatrice*, altera uxore Henrici II. verba VITI ARENPEKII, *Lib. V. Chronici Bajoar. pag. 286.* BERN. PEZ *Tom. III. Part. III.* referimus: („ Hic Dux (Bavariæ) „ Stephanus, Geuttam Filiam Ducis Poloniæ in uxorem „ ducit, ex qua duos filios Hainricum, & Ottonem „ genuit, & tres filias, Elizabet, Duciſſam Auſtriæ, „ Beatricem, Comitiſſam Goritiæ, & Agnetem, quæ „ Virgo apud monaſterium Felicis Vallis degit.)

BAUTSCHNERUS inter duas Beatrices, Henrici II. Conjuges, interponit *Euphemiam*, neſcio quam, ex qua geniti ſint: *Fridericus*, & *Matthæus*, ac *Filiæ duæ*. Fabulæ! Beatrix prior anno 1317. viva fuit: Beatrix altera jam anno 1321. uxor Henrici habetur; neque novæ nuptiæ Principum ſubito conſiunt. Itaque ne

tempus quidem quatuor prolibus ſuſcipiendis ſuffeciſſe videtur: ut taceam, & inſolita Goritienſibus filiorum nomina, & omnis autoritatis defectum.

Natus eſt ex *Beatrice Bavara Joannes Henricus* anno 1322., qui ſæpe *Joannes* tantum nominatur. Innoteſcit hoc ex CORTUSIIS *de Novit. Pad. ad annum 1323. Tom. VI.* GRÆVII *Scriptor. Ital. Part. I. pag. 14.* ubi ſic habetur: („Poſt mortem Comitis (Henrici, anno 1323. „XXIV. Aprilis) regnavit in Tarviſio D. Beatrix „ejus uxor cum Filio ſuo anniculo; quæ licet nobi„lis de Domo Ducum Bavariæ, & Juvenis fuit cum „Comite annos LX. matrimonio copulata.) Poſtrema iſthac aperte vitioſa ſunt; cum ante annum 1317. Henrico nubere Beatrix altera, vivente priore, non potuerit, & Henricus anno 1323. obierit. Quare ita corrigendam cenſeo Cortuſiorum voculam, uti alius Codex MStus legi notatur: „Fuit cum Comite an„norum LX., Matrimonio copulata. Nec diſſentit nexus ætatis Patris & Matris Henrici, quorum Conjugium anno 1262. vel ſequenti congruere poteſt. Quod ſi quid omiſſum eſſet, ita ſuppleri poſſet: („fuit „cum Comite annos tres matrimonio copulata, & „obiit anno LX.) Etenim hæc Beatrix Vidua in Documentis *Repertorii Auſtriaci* deinceps occurrit annis 1325. 1326. 1332. 1333. 1335. 1338. 1339. & poſtremo 1359. Quare 1360. circiter ex hac vita emigraſſe videtur.

Id, quod ſcribit HUNDIUS *Stemmatograph. Bavar. Part. I. pag. 80.* Beatricem hanc Bavaram anno 1329. nupſiſſe Ruperto I. Rufo, Palatino Rheni: mihi probabile non videtur; quia in tot Documentis, nulla occur-

currit ejus rei mentio. Porro VITUS ARENPECKIUS *Chron. Bajoar. Lib. V. Cap. XXIX. pag. 294.* BERN. PEZII *Anecdot. Tom. III. part. III.* Ruperto Rufo duas uxores tribuit: primam filiam *Comitis de Sulch.* Alteram *de Monte.* Quod ſi HUNDIUS ſub hac appellatione *de Monte* intellexit *de Goriza*; ſeu *de Monticulo*: haud recte, & præter ſolitum intellexit. Melius utique de *Comitiſſa de Bergen* id accepit FREHERUS *Orig. Palatin. Cap. XVII. pag. 122. Edit. 1613. in Fol.* item TOLNERUS *in Hiſtoria Palatina Tabula III., C. Genealogica:* atque cum his Beatricem de Bergen, alteram Ruperto I. uxorem recte tribuit HÜBNERUS *Tab. 138. Parte I.*

Joannis Heinrici (teſtibus *Cortuſiis*) curam primo geſſit Mater Beatrix. Subinde ipſo anno 1323. (ac poſtea per annos decem) Tutor ejusdem fuit Henricus Rex Bohemiæ, ac Dux Carinthiæ, Meinhardi IV. filius. Hac de re *in Chronico noſtro* plura tractabuntur: ac pro anno ipſo 1323. teſtimonium adduximus ſuperius *hujus Cap. N. IV.* Pro anno 1333. adſunt Litteræ, ab Henrico Rege Bohemiæ, tanquam Tutore Comitis Heinrici de Gœrz, collati feudi Henrico de Lavand. Datum die Martis ante diem Palmarum, anno 1333. *Ex Collectan. MS. Genealog. Perill. Roſenthalii.* Anno 1334. die ultima Octobris Joannem Henricum ſub Tutela Henrici Regis Bohemiæ fuiſſe, & anno 1335. XXVII. Aprilis ſub Tutela Matris e duabus Chartis autographis tabularii Græcenſis adnotavit Perilluſtris ROSENTHALIUS. VIII.

Joannis Henrici ſponſa prior, non item Conjux, erat *Beatrix*, *Petri* Siciliæ Regis, ex *Eliſabetha* Carinthia, filia. Anno 1334. vel certe 1335. de conditionibus

ejus matrimonii, nempe futuri, tractabatur; quia Joannes Henricus anno 1322. natus, nondum anno 1335. nuptiis maturus erat. Porro ſponſam Beatricem ductam non fuiſſe, ex alio Documento anni 1335. mox videbimus, ubi nuptiæ cum altera ſponſa depactæ, etiam ob ætatem Joannis Henrici protolluntur.

Tractatus illi de Sponſa Beatrice Sicula indicantur in *Repertorio Parte II. pag. 590.*, ubi habetur: („ Melioris dotis aſſignatio, a Domina Eliſabetha Regina „ Siciliæ, facta filiæ ſuæ Dominæ Beatrici, Comitis „ Johannis de Gœrz uxori, aucta 500. unciis argenti: „ anno 1335.) Suffragatur huic alia charta, qua continetur („ ſcripta, cautio, vi cujus Regina Eliſabeth, „ Regis Petri de Sicilia Conjux, filiæ ſuæ Beatrici, „ Comitis Johannis Henrici de Gœrz uxori, tradit „ hereditatem matris ſuæ, Dominæ Offmein Duciſſæ „ Carinthiæ, anno 1335. XXVII. Aprilis) Oſtendetur Capite ſequente: hanc *Offmein*, Matrem *Eliſabethæ*, Aviam noſtræ *Beatricis*, fuiſſe uxorem *Ottonis*, Ducis Carinthiæ, filii *Meinhardi IV.* Videntur hæ nuptiæ, Beatricem inter, & Joannem Henricum, non ob nexum ſanguinis, nec ob mortem ſponſæ, ſed alia de cauſa eventu caruiſſe. NICOLAI RITTERSHUSII *Tabula Genealogica V. Regnum Siciliæ ex Aragonenſibus. Edit. tertia Tubingæ 1664.*, Petro II., Beatricem filiam tribuit, ex Eliſabetha, Ottonis Comitis Tyrolis, & Ducis Carinthiæ filia natam, nuptamque Ruperto Palatino: cui & ARENPECKIUS conſentit *Chron. Bajoar. Lib. V. Cap. XXX.* BERNARDI PEZ *Anecdot. Tom. III. Part. III. pag. 294.*

Denique *Repert.* AUSTR. *Part. II. fol. 593.* („ hæc pacta

„ cta nuptialia rata habuit, obtenta diſpenſatione, Rex „ Fridericus, & Rex Petrus de Sicilia, quæ ſunt tracta- „ ta per legatos, de conjugio inter Dominam Beatricem „ filiam dicti Regis Siciliæ, & Comitem Joann. Henri- „ cum de Gœrz, anno 1335. XXVII. April.) Iſthic conſentiens Petro Fridericus, & priore loco appellatus, eſt Fridericus II., Pater Petri II., Regis Siciliæ: quod egregie reſpondet huic anno; nam *Fazellus* de *Rebus Siculis*, *Poſter. Decadis Lib. IX.*, *pag. 483.*: *Rerum Sicularum Scriptores Edit. Francofurti 1579.*, Fridericum II. Petri III. Patrem anno 1336. 12. Cal. Julii deceſſiſſe perhibet. HÜBNERUS ponit 1337. *Tab. 325. Part. I.* quod vero in Documento anni 1335. Petrus *Rex* dicatur, videtur *Rex deſignatus*, aut *heres Regni* intelligi.

Sponſalia cum Beatrice Sicula diſſoluta eſſe, eodem anno 1335., perſuadet altera Joannis Henrici Sponſa, *Anna*, Regis Friderici Pulchri Auſtriaci Filia, eodem anno 1335. in Junio delecta. Pacta Conjugalia memorantur in *Collectione MS.* R. P. STEYERERI *Parte V. ex Tabular. Cæſar. Vien. pag. 992.* („ Litteræ pactorum „ nuptialium inter Comitem Joannem Henricum de „ Gœrz, & Duciſſam Annam de Auſtria, Friderici „ Pulchri quondam Regis Filiam; atque Ludovicus „ Cæſar, cum Alberto Duce Auſtriæ pronunciato „ dotem, & contradotem: porro Duces Auſtriæ Al- „ bertus, & Otto tam diu terras & homines Goriti- „ enſium gubernent, ac protegant, donec Joannes „ Henricus fuerit duodeviginti annorum.) Simile Documentum adeſt *Repertorii Part. III. fol. 562.* Datum Labaci XXIV. Junii.

Annam hanc Auſtriacam antea Regi Poloniæ fuiſ- IX.

ſe nuptam, prodit HASELBACHIUS *Chron. Auſt. pag. 748.* HIERON. PEZ *Tom. II.* („ Fridericus ex Eliſabetha Aragonia ------ genuit quoque ex eadem duas filias, „ Annam videlicet, quæ Regi Poloniæ fuit connubio „ tradita, quo vita functo, nupſit Comiti de Gœrz „ Johanni nomine.

Rex ille Poloniæ, aut Wladislaus IV. Loktekus fuiſſet, mortuus anno 1338. aut filius ejus, Caſimirus IV. Magnus, & ſucceſſor, cui prima uxor *Anna* tribuitur; ſed Lithuana ea erat, & a DLUGOSSO *Lib. IX. Hiſtor. Polon. pag. 988., & 1056.* Gedimini, Lithuanorum Ducis, filia, jam anno 1325. deſponſata, & 1339. mortua memoratur. Wladislai IV. Lokteki uxor *Hedwigis*, Boleslai Posnanienſis filia, Regina coronatur 1320., & obiit 1340. DLUGOSII *Lib. IX. Hiſtor. Polon. 971., & 1059.* Igitur ſi multum tribuamus HASELBACHIO, & BRENNERO *Hiſtor. Carthuſiæ Maurbacenſis pag. 347.* HIERONYMI PEZ *Tom. II.* qui *Annam bis viduam* poſt obitum Johan. Henrici, compellat; his, inquam, ſi multum tribuamus, *Sponſam* olim, ut parvulam, more non inſolito, Filio Poloniæ Regis *promiſſam* dicere poterimus: aut id factum eſſe cum Joanne Luxenburgico, Bohemiæ Rege, qui ſe quoque Poloniæ Regem ſcripſit. Numisma apud STRADAM extat, quod FUGGERUS *pag. 303.* repræſentat, ubi *Anna. Regina. Poloniæ. Friderici. Pulchri. Imperatoris. Filia.* ſcribitur; ſed id recentiora inter & fictitia numerandum, omnia ſuadent: in Auſtriaco certe Cimeliarchio non invenitur. Minus conſiſtere poteſt, quod ſumptum e CUSPINIANI *Friderico Pulchro pag. 375.* hic refero: („ --- „ Annam, quæ primum Regi Poloniæ, deinde Ludovi-

„ co

„ co Romano filio Ludovici IV. Cæſaris, Ducis Ba-
„ variæ, nupſit: poſt cujus interitum Johannem Co-
„ mitem Goritiæ maritum accepit.) Similia fere, P. JOANN. GANS S. J. *in Arboreto Genealogico pag. 5.* ſcribit, de Anna Friderici Pulchri filia: (,, Anna duobus ante
„ nuptias orbata ſponſis, Ludovico Romano, & Joan-
„ ne Henrico Comite Goritienſi.) Sane Ludovico Romano orbari non potuit, qui obiit 1366. Anna vero, jam Abbatiſſa, an. 1343. ad ſuperos abiit; niſi ſolutis ſponſalibus *orbata* dicatur, de quibus contractis nihil certi tenemus. Quin FUGGERUS quoque *pag. 303.* anachronismo animadverſo, ſponſalia Annæ cum Ludovico Romano, pro fabuloſis habet; tametſi idem infeliciter *Joannem Henricum* Goritienſem. ſponſum Annæ abjudicet, quem cum *Henrico III.* vel *IV.* confundit.

De nuptiis Annæ, & Joannis Henrici, & hujus obitu ANONYMUS LEOBIENSIS *pag. 949. Tom. I.* HIERON. PEZ *ad annum 1336.* perhibet ſequentia: (,, Anna Joan-
„ ni Comiti Goritiæ nupſit, qui quoad ſanguinem ma-
„ ternum, de Ducibus Bavariæ (ob matrem Beatri-
„ cem) traxit ortum, quorum Viennæ feſtivæ nu-
„ ptiæ celebrantur. Quibus non diu ſimul habitanti-
„ bus, juvenis moritur, juvencula viduatur.)

Obitum *Joannis Henrici* anno 1338. contigiſſe colligo ex Documentis *Repert. Auſtr. Parte II. fol. 425.* X.
(,, Litteræ conventionis a Domina Beatrice Comitiſſa
„ de Gœrz, nata de Bavaria, cum patruelibus ſuis
„ Comite Alberto, Mainhardo, & Hainrico de Gœrz,
„ de jure mulctarum, de loco Prauel, & de Caſtro
„ Traburg: item de debitis relictis a Comite Joanne
„ de Gœrz.) *Datum die Mercurii ante Nativitatem Do-*

„ Jo-

mini an. 1338. Itaque ante exitum anni 1338., deceſſit Joannes Henricus. Idem vero eodem anno vivus legitur in ſequente Documento P. II. *Repert, fol. 589.* („ Aſſignatio facta a Comite Joanne uxori ſuæ Dominæ Annæ Friderici Regis Romanorum filiæ, de „ 6000. Marcarum Aquilejenſium pro Morgengeba, „ & compenſatione decem millium marcarum argenti, „ aſſignatarum ad Goritienſia caſtra in Marchia Vinidorum Metlingenſi, & in Carinthia: anno 1338.) Poſtremæ Joannis, ſeu Joannis Henrici extant Litteræ hæ aſſecurationis *Datæ Kal. Martii anno 1338.* Uxori ſuæ Annæ Friderici Reg. Rom. Filiæ de Morgengeba. Autographum eſt in Tabulario Græcenſi.

Joannis Henrici obitum accidiſſe ante diem 29. Martii, ex Diplomate illo monuit ILLUSTRISS. COM. ATTEMSIUS, quod *die 29. Martii* editum, mortui Johan. Henrici meminit, dum nempe („ Procuratores *Alberti, Henrici*, & *Mainardi, fratrum*, Comitum Goritiæ, „ confirmant pacem initam inter olim Joannem Henricum Goritiæ Comitem, & Communitatem Civitatis „ Tergeſti an. 1338.)

Propius diem definit *Necrologium RR. PP. Minoritarum Viennæ*, nempe paulo ante, vel circa diem XVII. Martii HIERON. PEZ *Tom. II. pag. 479.* ubi ita („ XVI. Kal. „ Aprilis Anniverſarius Domini Johannis Comitis Goritiæ celebretur - - - - - -)

Anna Vidua, occurrit anno 1340. *Repert. Part. II. fol. 587. in Litteris abdicationis Dotis ſuæ a Domina Anna, Regis Fridericici de Auſtria Filia, Comitis Joannis de Gœrz Vidua.* Eodem anno 1340. videtur *Anna* inſtitutum ſacrarum Virginum ſub Reg. S. Claræ, Viennæ Auſtriæ

ſtriæ amplexa fuiſſe; cum & abdicatio ea cauſa facta fuerit, & eadem ut Abbatiſſa ibidem obierit anno 1343. circa 14. Decembris. Ingreſſum in Clauſtrum Religioſum (de quo & ANONYMUS LEOBIENSIS) & annum obitus 1343., & diem obitus (vel ſepulturæ) XIV. Decembris, hujus Annæ, adnotavit ANONYMUS COENOBITA ZWETTLENSIS *in Chron.* HIER. PEZ *Tom. I. pag. 995.* („ Item obiit Domina Anna, Filia Friderici Regis „ Romanorum, Comitiſſa de Gœrz: quæ poſt obi- „ tum mariti ſui intravit ordinem S. Claræ in Vienna, „ & eſt electa in Abbatiſſam: ibidem XIX. Kal. Ja- „ Januarii ſepulta:) Similiter prorſus iſta narrat *Hiſtoria Auſtralis ad hunc annum.* FREHERI *Tom. I. pag. 490.* Eandem diem notat laudatum NECROLOGIUM MINORITARUM („ XIX. Kal. Januarii anniverſarius Dominæ „ Annæ filiæ Regis Friderici, Abbatiſſæ S. Claræ - - „ - - - & peragatur anniverſarius mariti ſui Johannis „ Comitis de Goritia.) Corrigendus eſt adſcripto anno 1334., ſequens error (qui etiam in FUGGERUM *pag. 303.* irrepſit) vel typi, vel calami, in BRENNERI *Hiſtoria Carthuſiæ Maurbac.* HIERONYMI PEZ *Tom. II. pag. 347.* ubi legitur („ Anna vero filia (Friderici Pulchri, „ & Iſabellæ Aragoniæ) bis vidua, demum in Aſce- „ terio S. Claræ, quod ſumptibus propriis erexerat, „ ſexaginta duarum nobiliſſimarum Virginum Abba- „ tiſſa primum ſæculi pompam, poſtea vitam & exu- „ vias denique depoſuit Calendis Decembris (*anno*) „ 1334.) (*lege* 1343.) Si dies hic vitio non laborat, nec deeſt numerus ante *Kal.* obiiſſet Anna prima Decembris; ſed is pluſculum diſtare videtur a XIV. Decembris, qua ſepulta certe, ſi non mortua eſt Anna.

Illuſtravimus hactenus Henrici II. progeniem, nempe:

Henricus II. † 1323. 24. Aprilis Tarviſii.
Uxor Ima Beatrix, Gerardi de Camin filia. 1297.
Uxor Ilda Beatrix, Stephani Bavariæ Ducis Filia. 1321. Vidua 1325. 1359.

1.	1.	2.
Meinhardus VI. 1300. --- 1317. *Sponſa Ima* N. Pauli Bani Croatiæ Filia 1300. *Sponſa Ilda* Rudolphi I. Palat. Filia 1314. 1316.	Alzibertha *uxor* Nicolai Prambergii 1313.	Joannes Henricus, Natus 1322. ſub tutela Henrici Regis Bohemiæ: ab 1323. ad 1333. † in Martio 1338. *Sponſa Ima* Beatrix, Petri Siciliæ Regis filia 1335. *Sponſa Ilda & uxor* Anna, RegisFridericiPulchri, Auſtriaci, Filia. Deſponſata 1335. nupta 1336. Monialis facta 1340. circiter. † 1343. in Decembri.

XI. Revertimur ad Albertum IIItium de quo, ejusdemque uxoribus, liberisque ſequentia probanda ſuſcipimus.

(Joannes) Albertus IIItius 1307. 1324. cum filio. &c. † 1327. circiter.
Sponſa I. Ulrici, Comitis de Heunburg, filia N. 1283.
Uxor Ima vel Ilda Eliſabetha, Henrici, Haſſiæ Landgravii, filia 1299.

Uxor

Uxor Ilda vel Illtia Offmein Utehild de Mætſch. 1327. Vidua 1350.

Filii.

Albertus IVtus 1327. † intra vel ante 1374. *Uxor* Catharina Friderici Imi Comitis Cilejæ, Filia 1353. Ea deinde Uxor Joannis, Truchſes de Waldburg. 1377. 1386.

Meinhardus VII 1327. 1347. † 1385. *Uxor Ima* Catharina filia Ulrici de Pfañenberg 1347. &c. *Uxor Ilda* Utehild Udalrici C. de Mætſch Filia 1379. Deinde Uxor Joannis Burggravii de Maidburck.

Henricus IIItius 1327. † 1363. *Uxor* Ziliola, Jacobi Magni Carrarienſis, Filia 1350. in Junio.

Filiæ.

Eliſabetha, Uxor Hermanni Com. de Heünburg, Ulrici Filii (1302. Sponſa) Conjux 1316. Eadem deinde Uxor Wilhelmi C. de Schaumburg. 1324. 1325. 1338.

Catharina, Uxor Ulrici Comitis de Taufers 1312. 1337.

Clara, Uxor Domini Herdegen de Pettau nupta 1319.

Catharina, Maritus Ulricus de Walſee 1320.

Margaretha, Uxor Rudolphi Comitis de Ortenburg. 1361.

Albertum IIItium Fratrem fuiſſe Henrici IIdi, atque adeo Alberti IIdi filium, ſed ex altera uxore Offmia Ortenburgica, conficiunt indicatæ ſuperius Chartæ N. III. Confirmat id porro Documentum aliud in REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. fol. 125., & fol. 465.* ad annum 1307, quo concordiam (poſt controverſias aliquas, enatas ab anno 1304, quo Pater obiit) conſtituunt, & hereditatem de novo dividunt *Comes Henricus, & frater ejus Comes Albertus de Gœrz.*

Albertum IIItium deceſſiſſe anno 1327, vel uno, alterove præcedente, colligo ex adnotata Charta REPERTORII AUSTRACI, quæ ita habet: ("Litteræ obedientiæ „ a Comite Alberto de Gœrz pro fratribus ſuis, Co„ mite Meinhardo, & Comite Henrico de Gœrz, quæ „ ipſis in partitione hereditatis obtigere. Datum 1327. REPERTORII AUSTRIACI, *Parte II. fol. 530.* Itaque hoc ſaltem anno, ſi non præcedente, vivere deſiit Albertus IIItius iſtorum Pater, quod mox oſtendemus. Equidem anno 1325. etiamnum inter vivos fuiſſe Albertum IIItium docet Charta REPERTORII AUSTRIACI *Parte II. fol. 671.* qua Wolkerus de Rotenſtein Comiti Alberto de Gœrz ſpondet: ſe nunquam deinceps contra Goritiam quidquam acturum, quod factum eſt occaſione captivitatis, in quam Wolkerus duxerat Jacobum Comitis ſcribam. Igitur anni 1325. & 1327. termini ſunt, inter quos Alberti III. obitus collocari debet. Albertus IIItius non raro *junior* in Documentis vocatur: ſemel, & ſolo in ſigillo compel-

pellatur *Johannes Albertus* anno 1308. Vide *Cap. I. N. IX.*

Prima Alberti IIItii ſponſa deſignata fuit una e filiabus Ulrici Comitis de Heunburch, cujus, relatum ſuperius, *N. III.* promiſſum autographum extat in Tabulario Græcenſi, *Datum X. Kal. Martii anno 1283. in Spittal ad Ortenburg*, his verbis a CL. ROSENTHALIO excerptis: (" ſuis (Alberti Patris) deſideriis ſatisfa- „ cere cupientes, ſuo filio Alberto, quem habet per „ nobilem Dominam Euphemiam Comitiſſam de Or- „ tenburch, unam de filiabus noſtris, quam maluerit, „ jurati dare promiſimus in uxorem.) Inter teſtes „ nominatur, *Henricus filius Comitis Alberti.* In eodem promiſſo memoratur: (" Infra tunc, & ſex „ annos, ſuper dote, & donatione propter nuptias, „ aliisque Matrimonium contingentibus pleniorem tra- „ ctatum habendum eſſe.) Hinc conſtat: Nuptias non eſſe hoc tempore celebratas, quibus nec maturus erat Albertus IIItius, quippe ex Euphemia Ortenburgica genitus, quæ non ante annum 1275. Alberto IIdo Seniori nupſit.

Et vero hoc matrimonium nunquam reipſa initum fuiſſe, duo comprobare videntur Documenta; alterum, quo docetur: anno 1299. Eliſabetham Haſſiacam, de qua paulo poſt, Alberti IIItii uxorem fuiſſe; alterum deducitur ex Litteris Ulrici Comitis de Heunburg, de contrahendo Matrimonio inter filium Hermannum, & unam ex filiabus Alberti IIItii *datis proximo die Martis ante Sti Bartholomæi diem, anno 1302*, in quibus nulla

omnino, arctæ affinitatis, ſit mentio * quæ ſane omiſſa non fuiſſet, ſi conjugium Alberti IIItii cum Heunburgica proceſſiſſet.

XII. Relicta itaque certa quidem ſponſa, ſed incerta conjuge Alberti IIItii, Ulrici Heunburgii filia, ad uxorem certam Eliſabetham Henrici Lantgravii Haſſiæ filiam tranſeamus. In Tabulario Græcenſi habentur Germanicæ Litteræ Alberti IIdi, *Datæ Prucke, die Stæ Gertrudis anno 1299*, quibus ita de filio ſuo loquitur: („ quod „ nos, loco dilecti filii noſtri Comitis Alberti junio„ris de Gœrz, dilectæ filiæ noſtræ Eliſabethæ, præ„dicti filii noſtri Conjugi, nempe Comitis Alberti, fi„liæ Landgravii Henrici de Haſſia dederimus pro „ Morgengeba mille marcas Aquilejenſes, facta pro „ illis aſſignatione.) Excerpſit Cl. Rosenthalius. Hæ litteræ non videntur ipſum annum nuptiarum deſignare, quas antea celebratas credo; cum in Documento antea allato anni 1302, jam de filiabus Alberti IIItii

* Perilluſtris ROSENTHALIUS hæc *ex Tab. Græcenſi*: Wir Graf Vlrich uon Heunenburch ueriehen - - - das wir mit ſamt unſerem ſune, Graven Friderich, durch die treve und liebe di wir haben zu unſerem lieben vrewnde dem edelem Graven Albrechten uon Görtz und zu ſeinen chinden, gelobt haben und loben bey unſerem aide, und bei unſeren trewen, und habent auch dar uber ſunderwar geſvvoren unſer ſun graf Friderich, und unſer aidem Vlrich der vreye uon Seunekke, das vvir unſerem ſune graven Hermannen ze ainer elichen gemahelen nemen ſulen des jungen graven Albrechtes uon Görtz Töchter aine &c. *porro*: auch hat der junge graf Albrecht geſvvoren, ſeiner Töchter aine unſerem ſune graven Hermannen ze ainer elichen gemahl ze geben; und hat dazſelbe unſer lieber vreund Graf Albrecht ſein Vatter bei ſeinem aide, und beiſeinen trevven, mit ſamt ſeinem ſune gelobt ze enden &c.

III. ſermo ſit: atque ejusdem filiæ Eliſabetha, & Catharina jam an. 1310. & 1312. Ulrico Comiti de Taufers connubio juncta fuerint. Itaque litteræ illæ anno 1299 ſunt tantum ſecuritatis cauſa datæ, poſt Matrimonium initum.

In Tabula Genealogica IIda Landgraviorum Thuringiæ, & Haſſiæ, Autore PISTORIO *ad finem Tom. Imi Script. Germ.* Henrici Landgravii Haſſiæ, mortui 1308, & Mechtildæ Clivenſis: filiarum ultima ſic adſcribitur: *N. Uxor Comitis a Gorz*, prima vero filiarum ita: *Eliſabetha. Uxor primum Joannis Comitis a Sein: ſecundo Gerhardi Comitis ab Epſtein.* Duæ ergo Henrici filiæ Eliſabethæ fuere. Eliſabetham noſtram, Goritienſem Comitiſſam, HÜBNERUS *Tab. 207.* omnino omiſit.

Secunda, vel tertia Uxor Alberti IIItii erat Offmia Utehild de Mætſch, e Familia Comitum in Rætia, ac Tyroli celebrium. Extant apud BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. VI.* Litteræ quibus Ludovicus Bavarus, Ludovici Imperatoris filius, Margarethæ Maultaſchiæ Maritus (" anno 1351. duos Ulricos de Mætſch Pa-
„ trem, & Filium, duabus arcibus privat; quod ſer-
„ vum Conradi de Freyberg occidiſſent. Actum in
„ Schlanders VIII. Februarii.) Sed iidem mox in integrum, collato feudo, ſunt reſtituti. Porro ambo iſti Ulrici de Mætſch ſummo deinde loco apud Margaretham fuere: Juniori Ulrico anno 1363. tota Tyrolis gubernanda commiſſa eſt, qua de re Diploma, *Datum Meran die Sti Sebaſtiani Anno MCCCLXIII.* produxit BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. VI.* Euphemia noſtra, Ulrici Senioris filia, Junioris ſoror fuiſſe videtur.

Quo tempore Albertus IIItius hanc Offmiam duxe-

xerit, nos latet. Attamen ex Documentis, Viduæ ab anno 1327. Euphemiæ mentionem facientibus, novimus eandem & Alberti IIItii Conjugem, & Matrem Alberti IVti, Meinhardi VIImi & Hentici IIIti. Nam in *Collectione documentorum MSta* R. P. STEYERER *Parte VI. fol. 48.* notatur Documentum, Germanice Scriptum, partitionis hereditatis Maternæ inter *fratres Comites Goritiæ Albertum., Meinhardum, & Henricum, ac ſororem Catharinam de Taufers*, ubi appellatur: *Offmein Domina, & Mater trium Comitum.* Actum Leontii 1340. XII. Maji. In hac Epitome confundi videtur hereditas Materna, cum hereditate Amitæ, aut alterius; Nam Offmein iſta; vidua Alberti III, deinceps occurrit in REPERTORIO AUSTRIACO *Parte IIda fol. 593. ad anno* 1350. die XII. Martij his verbis: („ conſenſio „ Comitiſſæ Offmein, natæ de Bavaria, ut filius ipſius „ Comes Meinhardus de Gœrz Uxori ſuæ Catharinæ, „ natæ de Pfannenberg, aſſignationem Contradotis fa„ cere poſſit ad Caſtrum Lyndt, quod Caſtrum Co„ mitiſſæ Offmein Contrados erat.) Cur Euphemia iſthic *nata de Bavaria* vocetur, non liquet: aut Stirpis Mætſchiorum Pars in Bavaria fuit: aut olim e Bavaria oriunda erat: aut mendum eſt Apographi. Utut ſit, *Offmiam* noſtram *de Mætſch* diſerte, & poſtremum appellat Documentum REPERTORII AUSTRIACI *Parte II. fol. 586. ad annum 1350.* in hac Epitome: („ Aſſigna„ tionis Litteræ, a Comite Meinhardo, & Comite „ Henrico, factæ Dominæ Catharinæ, natæ de Pfan„ nenberg, dicti Comitis Meinhardi Conjugi, ad quæ„ dam bona, & Urbarium Lyndenſe, pro ſua ſuſten-

„ ta-

„ tatione; quia ad ea bona, & Urbarium, aſſignatio-
„ nem antea habuit Domina Offmein Utehild, nata
„ de Mætſch, dictorum Comitum Mater, cui idcirco
„ aliorum Bonorum aſſignatio his Litteris præſtita fuit.)
Nuſpiam deinde hæc Euphemia occurrit; quare hoc anno circiter mortuam putamus.

Extat in Tabulario Aulico Oenipontano *Schema Genealogicum Comitum Goritiæ*, recens quidem, ſed in multis cum veteribus Chartis egregie conſentiens, probationibus tamen deſtitutum: in quo Alberto noſtro IIItio præter *Eliſabetham*, & *Offmiam*, atribuitur Conjux *Helena*, intra Eliſabetham & Offmiam media. Sed hanc aut breviſſimi temporis Uxorem, aut omnino non fuiſſe arbitror, de qua altum ubique ſilentium.

Filios Alberti IIItii tres, cum ipſa Matre, modo comprobavimus, & ſuperius, ubi de morte Patris inquiſivimus, nempe: *Albertum IVtum*, *Meinhardum VIImum*, *& Henricum IIItium*, de quibus inferius recurret mentio; libet enim interea Alberti IIItii filias enumerare.

Prima itaque Alberti IIItii filia legitur *Eliſabetha* XIII.
in Charta REPERTORII AUSTRIACI *Parte III. fol. 963.* ad annum 1410. („ Litteræ ſecuræ indemnitatis a Co-
„ mitibus Alberto, & Henrico de Gœrz datæ ad Comi-
„ tem Ottonem de Ortenburg, ratione Vadimonii
„ dati Comiti Friderico, & Comiti Hermanno de
„ Heünburg, pro 300. marcis argenti, ponderis
„ Viennenſis, quas Comes Albertus filiæ ſuæ Eliſa-
„ beth, Uxori dicti Comitis Hermanni etiamnum de-

„ debet Dotis nomine.) Hæc igitur eſt illa: *una ex filiabus Alberti Junioris*, vivente Alberto II. Seniore, quæ *anno 1302., die Martis ante Sancti Bartholomæi* deſponſata fuit Hermanno Heünburgico, cujus Documenti verba Germanica ſuperius dedimus, dum de Sponſa Alberti III. Heünburgica egimus. Eadem Charta adnotatur in REPERTORIO *Parte II. fol. 590.* Autographum extat Græcii.

Subinde Eliſabetha iſthæc poſtremum comparet, ut Comitiſſa de Heünburg, anno 1316. REPERTORII *Parte II. fol. 590.* („ Aſſignatio 1000. marcarum argen- „ ti Morgengebæ, & contradotis: a Comite Frideri- „ co, & Comite Hermanno de Heunburg ad Domi- „ nam Eliſabetham, natam de Gœrz, prædicti Comi- „ tis Hermanni uxorem, facta ad Trüchſen, & alia „ bona.) Enimvero anno 1324. alteri jam nupta legitur Eliſabetha noſtra, in Epitome Documenti REPERTORII AUSTRIACI *Parte III. fol. 560.* („ Comes Wil- „ helmus de Schaumburg cum conſenſu Patris ſui, Co- „ mitis Conradi de Schaumburg, promittit ſuo affini, „ & ſocero ſuo, ambobus Comitibus Albertis de Gœrz, „ 2000. marcarum ſe ſoluturum. Datum ad S. Vi- „ tum 1324.) Nempe iſthic Albertus III. ſocer eſt Wilhelmi Schaumburgii, Albertus IV. Affinis. Fuiſſe vero certo eandem Eliſabetham Schaumburgio collocatam, quæ antea Heünburgio nupſerat, conficiunt bina Documenta REPERTORII AUSTRIACI, alterum *an. 1325. Parte IV. fol. 486.*, („ Comes Wilhelmus de „ Schaumburg, & uxor ejus Comitiſſa Eliſabetha de „ Gœrz, tradunt pignoris loco Petro de Liebenberg „ arcem Trüchſen, cum omnibus, quæ eo pertinent,

„ quæ

„ quæ Eliſabetha Morgengebæ nomine obtinuit a prio-
„ re marito de Heunburg pro 400. marcis aquilejen-
„ ſibus &c.) Alterum *Parte III. fol. 169., an. 1338.*
(„ Wilhelmus Comes de Schaumburg, & Uxor ejus,
„ Comitiſſa Eliſabetha de Gœrz, Comitis Hermanni
„ de Heunburg vidua, eidem Petro de Liebenberg
„ tradunt iterum arcem Trüchſen cum jure eam intra
„ paucum tempus redimendi.)

Alteram Alberti III. Filiam proferimus *Catharinam*, Comiti Ulrico de Tauſers jam anno 1312. nuptam, en verba Documenti, excerpta a CL. ROSCHMANNO *ex MS. Andreæ Zibbock*, qui, ordinum Provinciæ Tyrolis Capellanus, duos Tomos conſcripſit *de nobilitate Tyrolenſi*: („ Nos Albertus Comes Goritiæ, & Tyrolis
„ profitemur: propter bona obſequia, quæ nobis præ-
„ ſtitit Nicolaus de Welsperg, una cum ſuo fratre,
„ nos loco filiæ noſtræ Catharinæ conceſſiſſe, ut quæ
„ ipſe Nicolaus emerat pro ſe, & fratribus ſuis, Ul-
„ rico, Henrico, & Friderico, ab Ulrico de Tauſers
„ noſtro genero, nempe quinque bona &c. - - - - -
„ Datum anno 1312.: Hujus teſtes ſunt D. Fridericus
„ de Geries, D. Fridericus de Andrian, Joannes Zant
„ &c.) Eadem Catharina recurrit anno 1337. cum fratribus ſuis in REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. fol. 437.* ubi recenſentur („ Litteræ oppignorationis, factæ a
„ Comite Alberto, Meinhardo, & Henrico fratribus
„ de Gœrz, ſorori ſuæ Dominæ Catharinæ de Tau-
„ ſers, pro variis bonis, quæ dicta ſoror redemit
„ 428. marcis Aquilejenſibus. Datum (die XVIII.
„ Decembris) die jovis poſt Feſtum S. Luciæ an. 1337.)
Extat in Tabulario Aulico Græcenſi.

Nobilis Familia Comitum de Taufers, in Tyroli, hoc, & præcedente ſæculo, percelebris erat. ILL. COMES MOHR, *in MS. Deſcriptione Politica Tyrolis Lib. II. pag. 21.* e veteribus Documentis memorat: ab anno 1271. ad 1300. floruiſſe *Ulricum*, & *Michaëlem*, & *Hugonem* tres Comites de Taufers. BURGLEHNERUS circa hæc tempora etiam meminit *Henrici* de Taufers. Celeberrimus ſub Rudolfo I. Rege, & Filio Alberto erat *Hugo de Taufers*, de quo OTTOCARUS HORNECK, *Hieron. Pez Tom. III. pag. 142. &c.* item HAGENUS *in Chron. Auſtr. Hieron. Pez Tom. I. pag. 1090. 1096. - - - 1103.* videri poteſt. In Litteris Concordiæ inter Ottonem Carinthiæ Ducem, & Henricum II. Goritiæ Comitem 1308. initæ, inter teſtes occurrere *Hugonem de Taufers*, meminit LAZIUS *de Migrat. Gent. Lib. VI. pag. 187* ſed Hugonem iſtum oportet fuiſſe filium prioris famoſi Hugonis, quem Alberti I., tum adhuc *Ducis*, gratia excidiſſe, non modo HAGENUS *pag. 1103.*, ſed Synchronus etiam OTTOCARUS HORNECK in *Chronico Rythmico pag. 283. Hieron. Pez Tom. III.* teſtatur, ac paulo poſt, eundem cum pecuniis in Tyrolim reducem, mortuum inventum eſſe. Itaque cum Albertus I. Rex Romanorum factus ſit 1292., vel potius 1298., atque obierit 1308., Hugo iſte, qui anno 1308. ſubſcripſit teſtis, ſenioris Hugonis filius fuerit. Ulricus noſter Catharinæ Maritus, vel Hugonis ſenioris, vel Ulrici filius fuiſſe videtur.

XIV. Tertia Alberti III. filia ſe offert *Clara*, Maritum nacta Dominum Herdegen de Pettau, uti manifeſtum eſt ex Documento Tabularii Græcenſis, dato anno 1319.,

1319., * quo („ Otto de Liechtenſtein Cameræ præ-
„ ſes in Styria profitetur; ac palam facit, ſe vadem præ-
„ ſtare dilecti patruelis ſui Herdegen de Pettau, gra-
„ tioſo Domino ſuo Regi Henrico de Bohemia, Duci
„ Carinthiæ, & nobili Comiti Alberto de Gœrz, de
„ 300. marcis argenti, quas ille (Herdegen de Pettau)
„ intra anni decurſum ſolvendas aſſignare debet Con-
„ jugi ſuæ Dominæ Claræ, prædicti Comitis Alberti
„ filiæ, prout Litteræ promiſſoriæ iſta continent.
„ &c. *Datum die Lunæ poſt Feſtum B. V. in Auguſto* (*die*
„ *XX. Auguſti*) *anno 1319.*) Similes Litteræ Vadimo-
nii Conradi de Ouvenſtein, Henrici de Rotenburch,
& aliorum, ejusdem tenoris in eodem Tabulario
habentur. Iſtiusmodi Litterarum mentio quoque fit
in REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. fol. 589.*

Quartam Alberti III. Filiam Ulrico de Walſee
collocatam, e Tabulario Græcenſi CL. ROSENTHALIUS
eruit, adnotatis his verbis Chartæ, *datæ die Lunæ poſt*
Feſtum Purificationis B. V. anno 1320. („ Nos Comes
„ Albertus de Gœrz - - - - - - profitemur hac Char-
„ ta - - - - - - nos dilecto noſtro filio & genero Do-
„ mino Ulrico de Waltſe ſolvere debere centum mar-
„ cas argenti ad pondus exactas &c.) Nomen hujus
filiæ Alberti *Catharinæ* produnt Litteræ conſenſus Fri-

* *Documenti hujus germanice ſcripti, verba ſequentia ex Autographo excerpſit*
Perilluſtr. ROSENTHALIUS („ Ich Otto von Liechtenſtain Chamerer
„ in Steyer, uergihe und tue chunt - - - das ich purge vvorden
„ pin meins lieben Oehems Herdegens von Pettau vvegen mei-
„ nen genedigen Herren Chunich Heinrich vom Behem, Hertzo-
„ gen in Chernhten, und vvegen dem edlm Grafn Albrechten uon
„ Görtze, umb dreühundert march Silbers - - - das er beyveiſen ſol
„ inner Jars Vriſt ſein Wirtinne Vrauen Claren, des uorgenanten Gra-
„ fen Albrechts Tohter, als deu hantveſte ſprichet - - - - &c.

derici Pulchri Rom. Regis, in aſſecurationem donationis propter nuptias, in bonis, marito Walſſeo oppignoratis: *Datæ ſunt eodem anno 1329. die S. Georgii*, e quibus hæc verba referuntur, („ quod noſter dilectus „ fidelis Ulricus de Walſſe Capitaneus Styriæ, noſtro „ favore, & conſenſu aſſignaverit dilectæ patrueli noſtræ Catharinæ, Conjugi ſuæ, pro Morgengeba, & „ Contradote, noſtrum bonum - - - - - - pro 1400. „ marcis argenti, pro quo pretio ipſi oppignorata „ ſunt.) Catharinam hanc, a ſecunda hujus Alberti III. filia, itidem *Catharina*, diverſam eſſe, produnt anni, & mariti; nam Catharina prior Uxor Comitis de Taufers appellata eſt annis 1312, & 1337. Catharina vero hæc poſterior intermedio anno 1320. Ulrico de Walſſe nupta proditur. Duas vero filias, e II. Uxoribus ejusdem Patris, eodem Catharinæ nomine inſignes, fuiſſe, novum non eſt; ſupra enim *N. XII.* duas Eliſabethas, Henrici Haſſiæ Landgravii filias, invenimus.

Nullum dubium eſt: *Albertum Comitem Goritiæ*, hujus *Catharinæ*, & antea memoratæ *Claræ* Patrem, Albertum III. dici debere; cum anno 1319., & 1320. alteri Alberto *viventi* filiæ nubiles eſſe non potuerint. Celebres hac ætate erant & Ulricus de Walſſe (de quo in *Chronico noſtro* plura, & Claræ Socer Hartnidus de Pettau, de quo multa memorat OTTOCARI HORNECK *Chronicon Rhythmicum pag. 34. & 35.* ubi inter Capitaneos Styriæ, ſub Ottocaro Rege, medius inter Hainricum de Pfannenberg, & Wulffingum de Stubenberg, ponitur *Hartnid de Pettau*, qui cum poſtremo *pag. 727.* circa an. 1306. ſub Alberto I. Rege Rom. occurrat, opinor noſtri *Herdegen* hunc *Hartnidum* parentem fuiſſe.

Ul-

Ultimam Alberti III. Filiam *Margaretham* invenio in *Repert. Part. II. fol. 633.* in Epitome Documenti, ita indicata ad annum 1361. („ Comitiſſa Margaretha de „ Ortenburg donat fratri ſuo ComitiMeinhardo deGœrz „ illos 200. florenos, ad quos illa jus ratione feudi „ alicujus habuit. *Datum die proxima Sabbati ante Epi-* „ *phaniam* (vor den Zwölften) An. 1361. alius a Meinhardo VII. Goritiæ Comes non fuit. Ex fratre igitur iſto tenemus Margarethæ proſapiam. Maritum *Margarethæ* fuiſſe *Rudolfum Comitem de Ortenburg* probabili ratione arbitror: quia ex compluribus documentis (quæ in *Repertorio Auſtriaco Parte III.* & in HUNDIO breviſſime indicantur) colligo: Ortenbergicos ceteros, præter *Rudolfum*, qui circa ſæculi XIV. dimidium comparent, aut ante annum 1350. obiiſſe, aut aſſignatam aliam habere uxorem: uti *Ottonis* Ortenburgici Uxor *Anna*, Vidua anno 1376. comparet, ejusdem vel alterius *Ottonis* Uxor *Sophia* 1335. *Hermanni III.* Uxor *Adelheid* de Schaumburg, apud HUNDIUM *Stemm. Bavar. Parte II. pag. 20. & 21. Meinhardo* Ortenburgio tribuitur *Pelagia* Turriana. Alter *Meinhardus*, & *Hermannus* 1338. jam mortui memorantur in *Repertorio*: *Emicho* Canonicum induit; at *Henrici* Conjux *Catharina* de *Communio* erat, teſte HUNDIO *pag. 21, & pag. 37. Henrici* alterius ex Rapothonis linea Ortenbergica, Conjux *Agnes* nominatur Ottonis Bavari filia. *Rudolfus* Ortenbergicus demum cum fratribus *Friderico*, & *Ottone* in *Repert.* anno 1335. comparet; at idem anno 1353. & anno 1362. ſolus memoratur. De Ottone dictum eſt: *Friderici* Uxor *Margaretha* de Theck, e Suevia, appellatur ab HUNDIO *pag. 21.*, qui de *Rudolfo*

fo Ottonis Senioris filio ſatetur: non conſtare, utrum uxorem habuerit. Itaque *Margaretham Goritienſem*, Alberti IV. filiam, ratione prope certa tenemus. *Rudolfi* Ortemburgici uxorem.

XV. Supereſt ut Alberti IV., Meinhardi VII., & Henrici III. Conjuges, Liberosque inveſtigemus. Albertum IV. natu majorem fuiſſe conſtat, quia & primo loco inter fratres appellari ſolet, & loco fratrum ſub initium quædam tractavit, atque præ fratribus 1329. Capitaneus Goritiæ, Patruelis loco, conſtitutus eſt. Alberto IV. connubio junctam invenio Catharinam, Friderici Comitis Cilejæ filiam, *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 800. („ Comitiſſa Catharina, Comitis Alberti de „ Gœrz, cedit omnem hereditatem ſuam Fratri ſuo „ Comiti Ulrico, & Comiti Hermanno de Cilli, ſi ſine „ prolibus decedat; contra ipſi dederunt ei pro dote „ 1600. Marcas Aquilejenſes anno 1353.) Ulricum, & Hermannum Comites de Cileja, fuiſſe filios Friderici I. Comitis Cilejæ, Baronis de Sanneck, mortui 1359. conſtat ex *Chronico Germanico Cilejenſis Comitatus MS. Bibl. Cæſ. Vindob. Codd. German. Hiſtor. Profan. N. 328. Indicis Gentilotti.* In hoc Chronico deſideratur Catharina noſtra, uti & in ſimili Chronico edito typis a CL. HAHNIO *Tom. II. Monument. Vet. pag. 665.* &c. Ex Fratribus itaque diſcimus, quo Patre nata ſit Catharina: Id porro comprobat Diploma Leopoldi Ducis Auſtriæ, quo diſerte Catharina nominatur Friderici quondam Comi- Cilejæ filia, uxor Nobilis olim Comitis Alberti de Goritia, & nunc uxor Joannis de Truchſæſs. Datum anno 1386. *Ex Collectaneis MS. Genealogicis* PERILL. ROSENTHALII. Eadem ante XVII. Martii, anni 1374. Ma-

ri-

rito Alberto IV. orbata eſt; nam eodem anno 1374. mortuus Albertus memoratur in Litteris Hermanni Comitis Cileiæ, *Datis die* (XVII. Martii) *Veneris ante Dominicam Judica anno 1374.*, verba, e Germanico Autographo Tabularii Græcenſis, hic latine reddo: („ Accepiſſe nos a nobili dilecto noſtro Affine, Co„ mite Meinhardo de Gœrz, & Tyrol &c. 432. flo„ renos, & 32. Schillingos, in moneta Veneta, loco „ nobilis, ac dilecti noſtri affinis, Comitis Alberti de „ Gœrz, piæ memoriæ, & noſtræ dilectæ Sororis, Co„ mitiſſæ Catharinæ, ejus Uxoris) - - Confirmat id alia Catharinæ Charta autographa, *data eodem anno, die Lunæ ante Feſtum Anunciationis B. M. V.*, qua mandat Burggravio ſuo in Weidenberg, ut illud Caſtrum tradat fratri, ſeu affini ſuo Comiti Meinhardo de Gœrz, quod ipſa accepit cum omnibus appertinentiis a ſuo, *piæ memoriæ, Conjuge Comite Alberto de Gœrz. - - - - - - Datum Neümarck in Metlick, Anno 1374., (die XX. Martii.)* Subinde anno 1377. alteri jam Marito Catharina juncta fuit, qua de re, præter Diploma Leopoldi Auſtriaci, modo indicatum, data extat („ Sententia Alberti Du„ cis Auſtriæ inter Comitem Hermannum de Cilli, & „ ejus ſororem Dominam Catharinam Domini Joannis „ Truchſes de Waldpurg uxorem, de dote ſua, item „ de ſuſtentatione viduali, aſſignata a ſuo priore ma„ rito, Comite Alberto de Gœrz - - - - - - - 1377.) Itaque Albertus IV. vel ante, vel intra 1374. mortalitatem poſuit. Plura non ſuppetunt de ejus obitu, nullæque Alberti IV. proles noſcuntur.

Nulla item ſucceſſio Henrici III, fratrum natu minimi, eſt a me deprehenſa. Invenitur is in Docu-

mentis variis ab anno 1327. usque ad 1350, quo nuptias celebravit circiter die VIII. Junii cum *Ziliola*, magni Jacobi de Carraria filia. Soli, quod ſciam, VERGERIUS, & CORTUSII FRATRES hujus rei meminere, *Lib. X Cap. III. pag. 129.* GRÆVII *Theſaur. Ital. Tom. VI. Parte I.* ("Prædicto anno MCCCL. Menſe Madii, „ exiſtente legato Paduæ, Henricus Comes Goritiæ „ deſponſavit Dominam Ziliolam, filiam magni Jaco- „ bii de Carraria, cujus nuptias diſtulit mors Domini „ Patriarchæ (Bertrandi): die VIII. Junii honorifice „ ivit Citadellam, & tranſiens per Cadubrium, duci- „ tur Leonicum, quæ poſt parvum tempus obiit ſine „ filio.) Similia fere habet VERGERIUS *in Vitis Principum Carrarienſium pag. 178.* MURATORII *Script. Ital. Tom. XVI.* ubi Henricum vitioſe *Corrigiæ* Comitem ſcribit. Ziliola itaque anno hoc 1350, vel ſequente obiiſſe videtur.

Ab R. P. RUBEIS Henrici III. mors ſtatuitur e conjectura intra annos 1355, & 1358. etſi de anno 1355. omnino certum non ſit, utrum de Henrico, an de Fratrum duorum altero ſermo fiat, apud CORTUSIOS quos hic citat P. DE RUBEIS *Monument. Aquil. Cap. XCIII. pag. 918.* Henricum hunc obiiſſe anno 1363. diſerte ponit in *Notis MStis* R. P. STEYERER *ad Repertorium Auſtriacum*; quia anno 1364. Meinhardus, & Albertus partiti ſunt hereditatem Fratris Henrici quoad Comitatum Leontii. *Datum Mitterburk anno 1364. Die VIII. Nativitatis Virginis.* Ita in autographo: & notatur etiam *Repert. Auſtr. Parte II. fol. 425.* Tum quia Rudolpus Dux Auſtriæ anno 1363. cum Alberto, & Mein-

Meinhardo pacta ſucceſſionis conſtituit, non appellato Fratre Henrico. *Repertorii Parte II. fol. 421.*

Claudo hanc ſtirpis partem Meinhardo VII. pro- XVI.
pagatore familiæ. Meinhardi conjugem anno 1347. *Catharinam de Pfannenberg* fuiſſe diſcimus ex (" Charta „ qua Comes Henricus de Gœrz conſentit, ut Frater „ ipſius, Comes Meinhardus Conjugi ſuæ Comitiſſæ „ Catharinæ contradotem aſſignare poſſit de ipſorum „ amborum Caſtellis & Bonis. Datum die Dominica „ ante S. Eliſabethæ.) *Repert. Auſtr. Parte II. fol. 530.* Eandem Ulrici Comitis filiam legimus anno 1348. in Charta, qua Meinhardus Comes Goritiæ, & Tyrolis, conſenſu Fratris ſui Henrici, Uxori ſuæ Catharinæ, Ulrici Comitis de Pfanberg filiæ, pro Morgengeba 3000. Marcarum Aquilejenſium aſſignat, ad proventus dominiorum Draburg, Weidenburg &c. *Datum Viennæ anno 1348. die Jovis ante Feſtum Sti Laurentii* (id eſt die VIII. Auguſti) ſub Sigillo utriusque Comitis. Documentum hoc ex autographo communicavit CL. ROSENTHALIUS. Ejusdem Catharinæ in *Repertorio Auſtriaco* occurrit mentio annis 1349. 1350 &c. de quibus plura in *Chronico*. Certe nondum, ante anni 1374. initium, Catharinam deceſſiſſe, conſtat ex (" Tabulis „ traditionis a Domina Margaretha, nata de Pfannen- „ berg, Comitiſſa de Ortenburg, factæ Comiti Mein- „ hardo de Gœrz, & ſorori ſuæ Comitiſſæ Catharinæ, „ de Greiffenberg, & Summeregg: anno 1374.) Ita *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol. 482.*

Alteram Uxorem, *Utehild* nomine, mortua Catharina de Pfannenberg, duxit Meinhardus VII, jam ſe-

nex ante annum 1379, de qua in *Repertorio Auſtriaco Part. II. fol. 589.* adnotantur iſta: (" Litteræ aſſigna-„ tionis paraphernalis a Com. Meinhardo ad Uxorem „ ſuam Comitiſſam Utehild de pretio 4000. floreno-„ rum, pro Caſtro, & Præfectura Greiffenberg. An-„ no 1379.) Eandem Præfecturam (quod antea retulimus) Catharina, & Meinhardus, a Margaretha, Catharinæ ſorore, obtinuere 1374; quare eam novæ Uxori *Utehild* aſſignare Mainhardus pro dotalitio munere voluit.

Hiſtoria MSta *Goritiæ & Iſtriæ* compoſita a P. BAUTSHNERO S. J. inſinuat, ſed neſcio an veram, notitiam Familiæ, hujus Utehild; nam Meinhardi VII. Conjugem, Matrem Joannis Meinhardi, Henricique (quibus non bene, ex eadem Matre, addit Urſulam) ait fuiſſe *Ulrici Montfortii filiam.* Nomen *Utehild* hujus Conjugis nos ſupplemus, quam illico demonſtrabimus Henrici, & Joannis Meinhardi Matrem. Sed unde BAUTSCHNERUS id hauſerit, me latet. Sane *Ulrici de Mætſch* filiam certam fuiſſe hanc *Utehild*, aliaque plura comprobant Chartæ veteres a CL. ROSENTHALIO autographæ inſpectæ; Mætſchios Caſtri *Montfort* vel fuiſſe poſſeſſores, vel titulum ab eo aliquem ſumpſiſſe, non conſtat. Viſæ ſunt a doctiſſimo ROSENTHALIO Litteræ Utehildis, ejusque ſecundi Mariti, ad filios primi thori, Henricum, & Joannem Meinhardum: *Die S. Andreæ anno 1400*, quarum ſubſcriptio talis, latine reddita, e Germanico: (" Joannes Dei gratia ſacri Ro-„ mani Imperii Burggravius Maidburgi, & Comes in „ Hardeck, atque Utehild Conjux ejus, eadem gratia

„ tia Burggravia, & Comitiſſa ibidem.) Inſcriptio Epiſtolæ erat: („ Nobilibus & bono ſtemmate natis, noſtris „ dilectis filiis, Comiti Henrico, & Comiti Joanni Mein„ hardo Fratribus, Comitibus de Gœrz, & de Tyrol.)

Altera originaria Charta eſt, ſententia Curiæ Imperialis, Imperatoris Sigismundi, inter prædictos Goritiæ Comites, & Burggravium Joannem de Maidburg ratione hereditatis Maternæ. („ Datum die Lunæ „ poſt Feſtum Corporis Chriſti Domini noſtri, anno „ 1415.) ubi mentio fit diſerta, ac repetitio *Dominii K - - - tanquam ipſorum Comitum Goritiæ* (Henrici, & Joannis Meinhardi) *Paternæ, & Maternæ hereditatis; quia illud Dominium donatum fuerat Patri ipſorum* (Meinhardo) *a ſocero ipſius, Comite Ulrico de Mætſch, ob Dominam Utehild conjugem ipſius:* nempe Meinhardi VII. Et mox ita: („ Ipſa Domina Utehild Præfectum de „ Maidburg accepit Maritum.) Hinc citra dubium conſtat: hanc Utehild fuiſſe filiam Ulrici Comitis de Mætſch, quam BAUTSCHNERUS de Montfort appellat, lecta fortaſſe littera M. in Documento aliquo, ſola, ut interdum fit, initiali nota expreſſa.

Itaque Mætſchiana hæc Utehild Meinhardo VII. duos filios peperit, *Henricum, & Joannem Meinhardum:* poſt obitum Meinhardi vero altero conjugio ſociata eſt *Joanni* Juniori, titulotenus Burggravio de Maydburg. Is eſt Joannes Comes de Retz, & Hardeck, Joannis illius filius, aut ipſe, qui teſtis occurrit in Diplomate Caroli IV. anno 1358. apud HUNDIUM GEWOLDI, *Metropolis Salisburgenſis Tomo II. pagina 45.* („ Joannes de Retz Burggravius Magdeburgenſis.

Extat hujus conjugii memoria *Repertor. Auſtr. Part. II. fol. 629.* („ Apocha Comitis Joannis Junioris de Mayd„ burg, & Comitiſſæ Utehild, ejus Uxoris, Matris „ Comitum Henrici, & Joannis Meinhardi de Gœrz, „ ad Epiſcopum Joannem Gurcenſem, Tutorem præ„ dictorum Comitum, de acceptis 6000. florenis, dote „ ac hereditate memoratæ Comitiſſæ anno 1389.) Simile Documentum eſt de anno 1387. pro 4000. florenis Comitiſſæ debitis, in quo *Joannes Burggravius* appellatur.

Obitum Meinhardi VII. confero in annum 1385. Nam hoc anno Meinhardus Comes Goritiæ novum Privilegium, (aliud 1382. conceſſerat) concedit Clero oppidi Leontii in Tyroli. Ita BAUTSCHNERUS *in MS. Hiſtoria Goritiæ, & Iſtriæ.* Vivum item Meinhardum 1385. ſiſtunt Tabulæ *Repert. Part. II. fol. 853.* quibus („ Comes Meinhardus mandat ſuo Præfecto in „ Schwarzeneck, ut poſt obitum ſuum is obediat cum „ Præfectura ſua, Dno de Vegels, & Modruſch, „ ſuo (Comitis) genero, quam aſſignationem ei facit, „ pro 2000. Marcis Argenti: anno 1385.) De hoc Meinhardi Genero, *Annæ* Marito, recurret ſermo. Die III. May 1385, Vivens Meinhardus conſentit, ut Conjux Utehild de 5000. florenorum Morgengebæ ſuæ, ad Caſtrum Greiffenburg aſſignatæ, libere diſponat. *Datum Heunfels die Mercurii poſt Philippi & Jacobi an. 1385.* Vivens denique die VI. Maji, conſtituit ſuarum prolium Tutores Jonnnem Gurcenſem Epiſcopum, & Fridericum de Ortenburg. *Datum Heunfels die S. Joannis ante Portam Latinam an. 1385.* Ex autographis hæc deſcripſit Amicus. Eodem porro anno 1385. jam ad plures abiiſſe Meinhardum colligitur ex hujus anni

1385.

1385. Documento, in REPERTORIO AUSTRIACO, *Parte III. fol. 568.* („ Conventio ab Epiſcopo Joanne Gurcenſi ad deliberandum propoſita, inter pupillos ſuæ „ Tutelæ commiſſos, Comitem Henricum, & Comitem Joannem Meinhardum de Gœrz: & inter Ducem Joannem de Bavaria, nomine uxoris ſuæ, Dnæ „ Catharinæ, ſororis dictorum Comitum de Gœrz, de „ relicta his tribus hereditate a Patre ſuo Meinhardo: „ atque ut Duci de Bavaria tertia pars hereditatis relinquatur.) Exiſtimo portionem Catharinæ, vel non totius hereditatis, vel non æqualem prioribus, *tertiam partem* hic intelligi; aderant enim, præter duos filios, uti videbimus, quatuor aliæ Meinhardi VII. filiæ; niſi eisdem hereditatis portio, vel dos, jam antea perſoluta eſt. Deinceps comprobabimus ſequentia.

Meinhardus VII. *Uxor* I. Catharina. II. Utehild.

2.	2.	1.	1.	1.	1.	1.
Henricus IV. natus 1376. † 1454. *I. Sponſa* Eliſabetha Leopoldi Probi Auſtr. Filia 1382. † 1392. *II.* Eliſabetha Hermanni Cilejenſis filia 1400. 1412. 1424. 1426. *III.* Catharna 1443. 1453. vidua 1454.	Joan. Meinhardus 1387. † 1430. *Uxor I.* Magdalena Friderici Bav. Ducis Filia. 1405. *II.* Agnes Friderici Petovienſis ſoror 1422. Vidua 1430. 1432 dein Leutoldi de Stubenberg.	Anna *Uxor* Joannis Com. de Vegel, & Modruſch 1352. 1385. 1392.	Catharina *Sponſa* Leopoldi III. Probi Auſtriaci 1361. *Uxor* Joannis Ducis Bavariæ 1372. † 1391. die S. Albani 21. Junii.	Urſula Sponſa Com. Henrici de Schaumburg 1362. 1370.	Eliſabetha Sponſa Wilhelmi Com. Cilejenſis 1373.	Euphemia 1370.

1.

Henricus Junior 1412. ſorte.

Ex-

XVII. Exiſtimo filias Meinhardi VII. majores natu fuiſſe fratribus; quarum ſaltem tres priores ante annum 1370. ſponſæ, vel uxores appellantur; cum conſtet: *Henricum IV.*, *& Joannem Meinhardum* ab 1385. usque ad 1394. ſub Tutela Joannis Epiſcopi Gurcenſis fuiſſe. De anno 1385. paulo ante allatum eſt teſtimonium: de anno 1394. Documentum, ab ATTEMSIO Comite communicatum, profert R. P. DE RUBEIS *Cap. CIX. pag. 1046.*, cujus initium: („ Joannes Dei gratia Epiſcopus Gurcenſis, Tutor, & Gubernator Illuſtrium „ Dominorum Henrici, & Joannis Meinhardi, Palatinorum Karinthiæ, Comitum Goritiæ, & Tyrolis, „ nec non Eccleſiarum Aquilejenſis, Tridentinæ, & „ Brixinenſis Advocatorum - - - - - die VIII. Aprilis MCCCXCIV.) Attamen certum eſt ex aliquot Documentis, quorum Epitomen in *Repertorio Auſtriaco* tenemus, Henricum jam hoc anno 1394. Tutela liberum fuiſſe; unicum afferam *Repert. Part. III. fol. 570.* („ Litteræ obligatoriæ datæ a Comite Palatino Henrico, Comite de Gœrz, pro ſe, & fratre ſuo, non„ dum majorenni, Comite Joanne Meinhardo, ad Avun„ culum ſuum Albertum Auſtriacum, de ſumma 74144. „ Florenorum Hungaricorum &c. - - - - - Datum Vien„ næ in ſolſtitio æſtivo (am Sunewenden) 1394.) Aliud Documentum hujus anni extat, quo Henricus & Joannes Meinhardus mutua ſucceſſionis pacta cum Auſtriacis Ducibus ineunt, de quo in Chronico fiet mentio.

Hinc colligo I. Henricum IV. proxime anno 1376. natum eſſe, intra 8. Aprilis, & 22. Junii, atque ex *Utehild*, altera uxore, quæ jam 1379. ſaltem commemo-

moratur Meinhardi VII. uxor. Nam 1394. Tutela exiit Henricus, quod *anno duodeviceſimo ætatis*, fieri ſolitum, monſtrat Documentum, quod de Joanne Henrico adduximus *hoc Capite* N. VIII. *ad finem.*

Colligo II. Syſtema R. P. DE RUBEIS ſubſiſtere ea parte non poſſe, qua *Meinhardi VI.* (nobis VII.) filios *Mainardum*, & *Henricum* annis 1392., & 1394. obiiſſe putat, atque ſubinde alios *Henricum*, & *Joannem Mainardum* ponit; idque ex ea conjectura: quod exiſtimet, tutelam Joannis Gurcenſis anno demum 1392. cœpiſſe. Oſtendimus vero, eam exordium ſumpſiſſe ab anno 1385. Quare iidem ſunt *Meinhardi VI.* (nobis VII.) filii duo, qui deinceps poſt 1394. occurrunt: *Henricus*, & *Joannes Meinhardus*, de quibus complures deinceps annos & hic, & in *Chronico* afferemus: mortis porro *Henrici* & *Mainardi* ab anno 1392. ad 1394. nulla vidi indicia; ſed his & ſequentibus annis eosdem vivos ſiſtunt complura documenta, *Chronico* ſervata.

Confirmatur id ex eo, quod *Henricus* anno 1443. in *Epiſtola poſt XVII. Decembris* a Synchrono AENEA SYLVIO data ad *Schlikium Cancellarium* (Edit. *Norimb. 1596. Epiſt. LIV.*) appelletur: *Vir ætate confectus*; quod non congrueret, *Nepoti* Meinhardi illius, qui 1385. obiit, ſed *Filio*, *Henrico IV.* nato 1376. uti modo oſtendimus; qui itaque anno 1443. annum agens ſexageſimum octavum, ſeptuagenario proximus, *ætate confectus* dici poteſt. Epiſtolam vero iſtam 1343. poſt XVII. Decembris ſcriptam eſſe, colligo ex eo, quod in ea narret ÆNEAS: *his diebus Georgium Brixinenſem Epiſcopum obiiſſe*; mortem porro hujus Præſulis anno 1343. XVII. Decembris conſignavit BURGLEHNER in *Hiſtoria MS. Tyrolenſi.*

Enumerabo antea Meinhardi VII. filias, earumque maritos: deinde ad filios duos convertar. *Catharina* erat e natu majoribus; quia jam anno 1361. desponsata est Leopoldo III. Probo, Duci Austriæ, Alberti II. sapientis, & Joannæ Ferretanæ filio, Rudolphi IVti fratri, Rudolphi III. ex Alberto II. fratre, nepoti. Extat in *Repertorio Part. II. fol. 588.* (" Longum A-
„ pographum contractus matrimonii, constituti a Du-
„ ce Rudolfo (IV.) de Austria, & Comite Meinhar-
„ do de Gærz, inter Ducem Leopoldum de Austria,
„ & Comitissam Catharinam de Gærz, ita ut utraque
„ pars alteri adferat 10000. libras monetæ Viennensis,
„ & si Comes Meinhardus sine herede masculo decederet,
„ tunc domini Duces de Austria heredes sint omnium
„ terrarum Goritensium, sed filiabus honorata coniu-
„ gia procurent. *Datum die Sabbati ante d. S. Michaëlis:*
„ *anno 1361.*) Item *ibidem* anno 1361. (" Charta,
„ eodem *anno ac die data*, Rudolphi Ducis de petenda
„ suis sumptibus a Pontifice dispensatione, ut Leo-
„ poldo ducere liceat Catharinam.) Verum ad conjugium non est deventum; Nam Leopoldus duxit Viridem, Bernabonis, Mediolani Principis, filiam: *Catharina* nupsit *Joanni Duci Bavariæ*, Monachii residenti. Nuptias anno 1372. celebratas esse, circiter mense Novembris, colligit R. P. DE RUBEIS *Cap. XCIX. pag. 959.* ex M. ANTONII NICOLETTI *Codice MSto Rerum Civitatensium*, ubi sic habetur (" Ad an. MCCCLXXII.
„ Die Veneris, V. Novembris, ibidem in pleno con-
„ silio ad sonum campanæ more solito congregato,
„ definitum fuit, & deliberatum: quod ematur una cup-

„ cuppa cratera argentea, pro largiendo ad nuptias fi-
„ liæ Domini Comitis Goritiæ, quæ nupſit Domino
„ Joanni Duci Bavariæ.) Superius (N. XVI.) legimus: anno 1385. Catharinam Meinhardi filiam, & Ducem Joannem, maritum ejus, de Paterna hereditate defuncti Meinhardi VII. cum Catharinæ ipſius fratribus Henrico, & Joanne Meinhardo tractantes. Mortem Catharinæ ita VITUS ARENPEKIUS *Chron Bajoar. Lib. V. Cap. LXVII. pag. 437.* BERN. PEZ *Tom. III. Part. III.* („ Anno Domini MCCCXCI. obiit Domina Katheri-
„ na, uxor Ducis Joannis, filia Comitis de Goritia, in
„ die S. Albani Martyris, multum laudabilis, erga
„ pauperes multum miſericors. Ex qua genuit duos
„ filios Erneſtum, Wilhelmum, & filiam Dominam
„ Sophiam Reginam.) Feſtum S. Albani Martyris die XXI. Junii celebratur: *Martyrolog. Rom. Baronii.*

Urſulam Comitis *Henrici de Schaumburg* anno 1362. Conjugem ſiſtit Chartæ Synopſis *Repertorii Auſtr. Parte II. fol. 563*, qua ipſa ſuam Paternam & Maternam hereditatem cedit ſuis fratribus, & horum prolibus, item Ducibus Auſtriæ, in defectu priorum. Et alia Charta anni 1370. *Repert. Part. II. fol. 590.* („ Comes Mein-
„ hardus ſcripto aſſignat filiæ ſuæ Urſulæ, Comitis
„ Henrici de Schaumburg uxori, pro dote Caſtra
„ Schoneck, Neuenhaus, & Uttenheim. *Datum Lünz*
„ *d. XVI. Junii anno 1370.*) Hujus Urſulæ & Mariti meminit HUNDIUS *Stemmat. Bavar. Parte I. pag. 81*, e LAZIO *de migrat. Gentium pag. 174.* ac dotis 25000. florenorum. Schaumburgium alium, ſupra (N. XII.) *Wilhelmum, Conradi* filium, vidimus an. 1324. maritum filiæ

Alberti III. Comites de Schaumburg alii in Franconia, in Weſtphalia alii, in Suevia item: rurſum alii Comites de Schaumburg vel Schauenburg, in Auſtria ſuperiore, a caſtro ejus nominis appellati ſunt, prope Efferdingam ſiti. Hi Mareſchalli Auſtriæ, ac Styriæ dignitate illuſtres erant; de quibus LUCÆ *Aula Vetuſtiſſimorum Comitum Germanice ſcripta*, item HUNDIUS *Stemmat. Part. I.* videri poteſt. Ex Auſtriacis Schaumburgicis fuiſſe arbitror *Wilhelmum* illum, & *Conradum*, atque hunc *Henricum*, de quo plura, vide *Tom. I. Germaniæ ſacræ celeber.* HANSIZII, *pag. 481. & ſeq.* ad annum 1381. & 1386. *Henricus* de Schaumburg, ex iisdem Auſtriacis, antiquior occurrit ſub Alberto I. Duce Auſtriæ, primo inter Comites loco, qui in Hungariam pacis cauſa miſſi ſunt, apud OTTOCARUM HORNECK *Chron. Rythmici Cap. CCCXCIX. pag. 381.* HIER. PEZ *Tom. III.* Serius deinde an. 1459. occurrunt in *Repert. Part. III. fol. 578.* quinque fratres Schaumburgii Ulricus, Albertus, Bernhardus, Sigismundus, & Wolfgangus filii Joannis, qui a Joanne Comite de Gœrz repetunt reliqua vetera, debita *Urſulæ*, Aviæ ſuæ, uxoris Comitis *Henrici* de Schaumburg *Avi ſui*. Itaque hic Schaumburgiorum Genealogiæ partem notabilem indicatam habemus.

XIX. *Eliſabetha* deinde Wilhelmi Comitis Cilejenſis Sponſa, perhibetur in Documento indicato in *Repertorio Parte II. pag. 590.* (" Tractatio inſtituta a Comite „ Hermanno de Cilii, de matrimonio inter Comitem „ Wilhelmum, filium Comitis Ulrici de Cilii, & Do„ minam Eliſabetham, Comitis Meinhardi de Gœrz fi-

„ liam,

„ liam, anno 1373. Hunc Wilhelmum etiam *Chronicon MStum Cilejenſis Comitatus*, ſupra laudatum, Ulrici filium facit, & Hermannum, Ulrici fratrem. Atque adeo Patruus hic tractat pro fratris filio. Ulricus enim Pater Wilhelmi obiit 1373. die S. Annæ. Sed Wilhelmi uxor in *Chronico Cilejenſi* omiſſa, hoc documento ſupletur. Wilhelmus obiit 1392. die Jovis poſt exaltationem S. Crucis, eodem *Chronico* teſte.

Euphemiæ mentio fit anno 1370. *Repert. Part. II.* „ *fol. 592.* (" Aſſignatio facta a Comite Meinhardo de „ Goerz, qua dat filiæ ſuæ Offimein (Euphemiæ) pro „ dote ſua Caſtella, & munita loca, Belgradum & „ Neuburg, in Foro Julio, & in Carſto Haſsberg. „ *Datum Leontii die Dominica poſt S. Margarethæ an. 1370.*) cui Euphemia nupſerit, non inveni.

Anna maritum ſortita eſt Comitem Joannem de Vegel, & Modruſch. Eſt vero *Modruſch* Caſtellum Croatiæ, olim ſedes horum Comitum celebris, in Diœceſi olim Corbanenſis Epiſcopi, ut habet Lucius *de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ Lib. III. Cap. XI. p. 148. ex ſynodali Decreto, edito 1385.* ibique *Modruſa* ſcribitur: *Vegel* vero Inſula olim *Vegia*, & *Corricta* nominata, hodie *Veglia;* ea Venetis paret, modico freto, a Liburnia diviſa. Superius N. XVI. vidimus Dominum de Vegels, & Modruſch Meinhardi VII. generum compellari anno 1385. Nuptias conciliatas *anno 1352. die XVII. Octobris*, memorat vetus *Rationarium Goritienſe* in Tabulario Græcenſi, hiſce verbis: (" Comes Mein- „ hardus collocat filiam ſuam Comiti Stephano de „ Modruſch anno 1352. die XVII. Octobris indict. „ V.)

„ V.) Exiſtimo hunc *Comitem de Modruſch*, *Joannem Stephanum* compellatum fuiſſe; nam alterum ejusdem nomen *Joannes*, & uxoris *Anna* profertur in *Repert. Part. II. fol. 591.* in Documenti Epitome, ſine anno: („ Aſſignatio contra-dotis a Comite Joanne de Ve„ gels facta Dominæ Virgini Annæ, natæ de Gœrz, „ ſuæ uxori, de 2500. Aquilejenſibus (denariis) ad „ Caſtellum Ladenite, in territorio Vinodlerio, & „ ad pagum Grixanne, ibidem.) Erat connexum huius Documenti apographum cum illo Urſulæ ſororis, ſcripto anno 1370, de quo paulo ante. Poſtremum occurrit hæc *Anna* 1392. *Repert. Parte II. fol. 630.* („ Epiſtola ſeu apocha, Comitiſſæ de Vegil, & Mo„ druſch, natæ de Gærz, ad Epiſcopum Joannem Gur„ cenſem, Tutorem Goritienſem de accepta ſua con„ tra-dote, quam poſſidebat ipſius Pater. *Datum ſegniæ* „ *XIV. Maji. anno 1392.*) De Comitibus Vegliæ, & Modruſæ (qui ſe Frangipanos, Roma profectos, ferebant) notatu digna memorat Lucius de *Regno Dalmat. & Croat. Lib. IV. Cap. VIII. pag. 174. 175. 176.* In binis vero Diplomatis, quæ refert, Belæ IV. Regis Hungariæ uno, & Venetorum altero, utroque anni 1260. non legitur illud: *de Frangipanibus* quod tamen Scioppius *Amphotidum pag. 214.* (citatus a Petro Bayle in *Dictionario critico*, pererudito, ſed periculoſo, in voce *Frangipani*) velut *appoſitum* refert, in Documento eodem Belæ IV. anni 1260, quod ſibi exhibitum ait a Georgio Antigono Frangipani. Ego *Lucio* plus defero, quam *Scioppio*, & apographo Georgii; quanquam illam e Frangipanibus originem Modruſii Comi-

mitibus negare nolim, uti aſſerere ex iſtis Chartis non poſſum.

Expoſitis iis, quæ de filiabus Meinhardi VII. in promptu erant, ad Filios ſermonem reflecto. *Joannes Meinhardus*, natu minor, ante finem anni 1430. vitam finiit; quoniam eo anno altera ejusdem Conjux Agnes *Vidua* appellatur, quod paulo inferius comprobabo. Prior *Joannis Meinhardi* Uxor a TOLNERO *in Hiſtor. Palatina Tab. V, ſeu E*, & ab HUNDIO *Stemmatog. Bavar. Part. I. pag. 81.* nominatur *Magdalena*, filia Friderici, Bavariæ Ducis Landishutani, & Magdalenæ Mediolanenſis, Bernabonis filiæ. Magdalena iſta primum occurrit in Charta autographa ab Amico inſpecta, itaque adnotata: (" Receſſus, ſeu Litteræ Concordiæ, ex „ parte Henrici Palatini Carinthiæ, Comitis Goritiæ, „ & Tyrolis &c. quo pacto ipſe cum fratre ſuo Joan- „ neMeinhardo Comite Goritiæ ſtatuat, ut ipſe Henricus „ uxori ſuæ Eliſabethæ, natæ de Cilli, Contradotis, „ & Morgengebæ nomine pro ſex millibus aureorum „ Hungaricorum aſſignationem facere poſſit ad Caſtrum „ Rotenſtein ad Virg. Pariter autem poſſit Joannes „ Meinhardus Uxori ſuæ Comitiſſæ Magdalenæ, natæ „ Duci de Bavaria, aſſignationem facere ſex millium „ Hungaricorum aureorum, Morgengebæ nomine, ad „ Caſtrum Reiffenberg in Carſto. &c. *Datum Leontii* „ *Dominica invocavi in Quadrageſima, anno 1405.*) Denique mortuæ jam Magdalenæ mentio fit in Charta, Tabularii Græcenſis, Fratrum de Weisbriach, qui Teſtes dant informationem de Tractatu nuptiali, dote- XX.

que

que *olim* promiſſa, inter Comitem Joannem Meinhardum, & ſororum Ducis Henrici de Bavaria, &c. memoratur porro: hunc Henricum Ducem (dictum alias Landishutanum) fuiſſe Magdalenæ fratrem, eamque Magdalenam *olim* Joannis Meinhardi Comitis Goritiæ Uxorem fuiſſe. *Datum Hardekke die Lunæ poſt exaltationem S. Crucis anno 1443.* Incertum mihi eſt, an Joann. Meinhardus ex hac uxore filium, dictum *Henricum* (Vtum) ſuſceperit, cujus apud HUNDIUM *Loco cit.* obſcura fit mentio. *Henricum* hunc ante annum 1412. in lucem editum eſſe, ex eo timide colligo, quod anno 1412. ejus Patruus *Henricus IV, Senior* appelletur in *Repert.* AUSTRIACO, *Part. II. fol. 594.* (" Literæ datæ „ ab Hermanno Comite de Cily, tractantes de matri„ monio inter filiam ſuam Eliſabetham, & Comitem „ Henricum de Gœrz ſeniorem.) Hunc *Henricum V*, ſi modo fuit, juvenem obiiſſe reor, quod nulla deinde ejus fiat certa mentio, nec alter *Henricus Senior* deinceps compelletur. Fortaſſe τὸ *Senior* adjectum eſt in *Repertorio*, uti interdum fit in ſimilibus apographis.

Altero conjugio *Joannes Meinhardus* ſibi ſociavit poſt annum 1400. *Agnetem*, Friderici Comitis Petovienſis ſororem. De Nuptiis *Agnetis Petovienſis* extant Documenta tria anni 1422, & alia tria, ſed mancis anni notis 14--- *Repert. Part. II. fol. 594, & 595.* (" Comes Joannes „ Meinhardus de Gœrz ſe obligat Affini ſuo Domino „ Friderico de Pettau, ſupremo campi Mareſchallo „ in Styria, poſteaquam cum ſorore ejus Agnete nu„ ptias celebraverit, & dotem 10000. florenorum „ ac-

„ acceperit, tum ſe firmiter ſervaturum, ut nihil „ porro exigatur. Anno 14--) Ad *Chronicon* rejicio, Documenta illa tria anni 1422, ubi de *Agnetis Petovienſis*, uxoris vel ſponſæ *Joannis Meinhardi*, dotalitiis Pactis agitur: unde eas nuptias anno 1422. celebratas credo.

Joannis Meinhardi obitum non ultra 1430, ante Maji menſis finem, differendum eſſe, conficit Charta in qua Agnes Petovienſis *Vidua* compellatur *Repertor. Part. II. fol. 595.* („ Propoſitio facta a Domina Agne- „ te de Pettau, Comitiſſa de Gœrz, Vidua, Comiti „ Henrico de Gœrz, propter prætenſa jura, quæ is „ habere videtur ad ea, quæ frater ejus Johannes „ Meinhardus, maritus ſuus, piæ memoriæ, ipſimet „ Agneti legavit. *Datum* (*Leontii*, ſeu *Lünz die* „ *Lunæ ante Aſcenſionem Domini 1430.* nempe die XXII. „ Maji.) Biennio abhinc, ſi non ante, ad alias nuptias Agnes tranſiit, Leutoldum Dominum de Stubenberg maritum nacta. *Repert. Part. II. fol. 610.* („ Dominus Fridericus de Pettau, ſupremus Mareſchal- „ lus, & Capitaneus Styriæ, ſcribit Comiti Heinrico „ Affini ſuo, de Domino Leutoldo de Stubenberg, „ propter prætenſionem, quam hic habet ratione uxo- „ ris ſuæ Dominæ Agnetis de Pettau, quæ olim Co- „ mitis Joannis Meinhardi, fratris prædicti Comitis „ Heinrici conjux fuerat; datum anno 1432.) Ex his duobus documentis cenſeo mendoſum eſſe *annum* in tertio alio, ubi *Repert. Part. II. fol. 547.* habetur („ Apo- „ cha ab Archipresbytero in Hulb, data ad Comitem „ Joannem Meinhardum de teloneo in Hulb an. 1439.)

Hic 1430. ſcribendum puto; aut forte ſubſcriptio alia, vel confirmatio fuit facta anno 1439.

Fridericus Petovienſis, Bernardi filius, *Agnetis* frater, ultimus ſuæ familiæ, ſepulchrum Petovii habet, in quo Anchoram cum ſerpente, nempe arma Gentilitilitia Stubenbergica, vidit LAZIUS, uti de ſe ipſe narrat, *de migrat. Gent. Lib. VI. pag. 190.* Igitur aut cum Stubenbergiis, quod eſt vero ſimilius, Petovienſes Dynaſtæ communi ſtirpe gaudebant: aut Leutoldus Stubenbergius, ducta Agnete, & adita Petovienſi hereditate, arma quoque aſſumpſit. Sed ſunt ſane Domini de Stubenberg multo hac ætate antiquiores, eaque nobilitate, qui propriis armis minime caruere, & eadem vix, cujuscunque Affinitatis cauſa, ſepoſuiſſent. Potuerunt etiam ſimiles armorum figuras, ſolo colore ſortaſſe diverſas, duæ diverſæ Familiæ ſortiri.

XXI. Ad *Henricum IV.* revertor, quem oſtendimus Meinhardi VII. filium, anno 1376. natum, an. 1394. Majorennem, Tutela liberum. Idem e vivis ereptus eſt anno 1454. Nam A R. P. STEYERER *ad Repertorii Partem II. fol. 631.* adnotatur: adeiſe Apochas, a Leutoldo de Stubenberg, de 1200. aureis ſolvendis ſemper ad mediam quadrageſimam, usque ad 16. aureos: directas omnes ad *Henricum Comitem Goritiæ ab an. 1450.* usque *ad 1454. incluſive*, additque Vir Doctiſſimus: (" cum omnes recognitiones in Repertorio poſitæ ab „ anno 1450, usque ad 1454. incluſive, ad Henricum „ directæ ſint, illa vero anni 1455. ad filium ejus „ Joannem; colligo hinc, Patrem Henricum a tempore

„ re mediæ quadrageſimæ, quo ſolutio fieri debebat,
„ anni 1454. usque ad mediam quadrageſimam 1455.
„ mortuum eſſe.)

Satis quidem perſpicua ſunt iſta. At enim non modo Teſtamentum anno 1453. condidit *Henricus*, die XXII. Januarii quod ILLUSTRISS. COM. ATTEMSIUS penes ſe habet, (cujus apographum nobiſcum perbenigne communicavit) *Datum in Tobloch die S. Vincentii* (XXII. Januarii) *poſt Nativitatem anno MCCCCLIII.* Verum etiam *Catharina Comitiſſa Goritiæ* ſuo, & filii *Joannis* nomine, conſenſu reliquorum Filiorum *Ludovici*, & *Leonhardi*, confirmat Privilegia, & ſtatuta Nobilium, & Communitatis Cormonenſis, die XXX. Junii Anno MCCCCLIII.) uti habetur in Documento quod ad nos miſit idem Excellentiſſimus Comes; quare obitus Henrici IV., huic anno 1453. potius adſcribendus videtur.

Controverſiam ita dirimendam conjicio: Anno 1453. morbis, & ſenio confectus Henricus, condito teſtamento, non quidem abdicavit ſe omnino curis Principatus, ipſamve poteſtatem Filiis non tranſcripſit, niſi poſt obitum ſuum. Attamen ejusdem anni decurſu 1453. Catharina (magni ſpiritus fœmina, quæ antehac ob varias tricas maritum ipſum carceri incluſum detinuerat) uſurpata cum *ſolis Filiis* poteſtate, illi chartæ ſubſcripſit vivo Henrico. Et vero Leutoldus Dominus de Stubenberg, etſi abſens, haud ſane ignoraſſet obitum Henrici ab anno 1453., ante XXX. Junii ad mediam quadrageſimam anni 1354., qui, anno 1450. dari cœptas ad Henricum apochas, porro ad eundem, dum viveret, etiam direxit anno 1454. Litteris *datis*

Sabbato ante Dominicam Lætare, id eſt, die XXX. Martii: ut habet autographum Græce ſis Tabularii. Quare mortem Henrici IV. in annum 1454. proferendam opinor, non obſtante illa Catharinæ charta.

Hæc plane confirmant, ac tempus mortis Henrici IV. propius nos edocent bina Documenta Autographa Tabularii Græcenſis, e quibus ſequentia *Eruditiſſimus* ROSENTHALIUS excerpſit. Primum eſt („ Recognitio Conradi de Groppenſtein Capitanei in Luenez, qua, vice *Principis*, & Domini ſui Henrici „ Comitis Goritiæ, a Caſparo Vorderberger, Præfecto in Aichelberg cenſum quadraginta quinque aureorum Hungaricorum ex Diſtrictu S. Stephani ſe „ accepiſſe confitetur, ipſumque nomine ejusdem Comitis, Domini ſui, deſuper liberum & abſolutum „ dicit. Datum poſt nativitatem Chriſti anno 1454. „ die lunæ poſt Dominicam, qua cantatur Reminiſcere in quadrageſima.) Id eſt die XVIII. Martii. Hac itaque die hujus anni 1454. etiamnum in vivis fuit Henricus IV., & porro die XXX. Martii, ex Apocha antea relata.

Ejusdem anni alterum Documentum, quo ſimul Filii Henrici, ætatis ordine, recenſentur, exhibet Litteras Joannis Goritiæ Comitis, quibus ſuſcepto jam Regimine, ſuo, & Fratrum nomine, de debito quodam Patris Henrici, *piæ memoriæ*, cum Georgio de Vilanders tranſigit die XVI. Octobris; ante quam diem igitur obiit anno 1454. Henricus IV. En verba Litterarum, e Germanico Latina: („ Nos Joannes Dei „ gratia Comes Palatinus Carinthiæ, Comes Goritiæ, „ & Tyrolis &c. - - - - - profitemur, tanquam ſe-

„ nior

„ nior, & regens nomine noſtro, ac Dilectorum Fra-
„ trum noſtrorum Com. Ludovici, & Com. Leon-
„ hardi, etiam Comitum Goritiæ, & Tyrolis &c.
„ - - - - - - quoniam Joannes de Vilanders, piæ me-
„ moriæ, olim dilecto Domino, & Patri noſtro Co-
„ miti Heinrico, de Gœrz, & de Tyrol &c. laudabi-
„ lis (*ſeu beatæ*, löblicher Gedächtnus) memoriæ; duo
„ millia florenorum ducatorum mutuo dedit - - - - -
„ Datum Lüentz die S. Galli Anno Domini milleſimo
„ quadringenteſimo, quinquageſimo quarto.)

Cur vero opinemur Catharinam, vivo licet, ſed ætate confecto, ut eum appellat ÆNEAS SYLVIUS, Henrico Marito, poſſeſſionem cum filiis uſurpaſſe, Privilegia ſuo, & filiorum nomine impertiendi; cauſam puto in ipſo Henrici Teſtamento inveniri. Nam in eodem Henricus Tutelam omnem Filiorum revocat, neque verbo ullo Cathariuæ Uxoris meminit: ſed omnia Provincialibus, eorumque conſilio committuntur; imo donec Joannes Filius, natu maximus, liber Domum ad fratres redeat, Provinciales cum reliquis Filiis Ludovico & Leonhardo, ut omnia gubernent, conſtituit.

Ea res merito uſſit Catharinam; quare hoc teſtamentum, Provincialium ſuſpectis fortaſſe ſtudiis confectum, inſuper habuit, ipſaque cum Joanne filio abſoluta poteſtate eſt uſa. Quod egregie confirmat Charta indicata in REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. fol. 604.* qua memoratur controverſia exorta anno 1454. inter Catharinam Comitiſſam Goritiæ, & Joannem ejus filium ex una, ac Provinciales Goritienſes ex altera parte. Quæ ipſa res quoque mortem Henrici hoc an-

no 1454. accidiſſe utcunque confirmat. Porro in CHRONICO NOSTRO ad annum 1445. iſthic dictorum confirmatio habetur, ubi Catharina, teſte REPERTORIO AUSTRIACO, contra Henricum Maritum (non ſolum absque illo) Caſtrum Weidenberg ſibi vi attribuit, Filiis pro Matre contra Patrem ſtantibus. Idem accidiſſe videtur in hoc caſu anni 1453., ubi Mater cum Filiis, non conſulto decrepito Henrico, Tabulis ſubſcripſit.

Sponſam Henrici IV. primam produnt Tabulæ, anni 1382. REPERTORII *Parte II. fol. 590.* („Tractatio „ de conjugio, a Duce Leopoldo de Auſtria, propo„ ſita inter filiam ſuam Eliſabetham, & Comitem Hen„ ricum de Gœrz, cum aſſignatione 32000. floreno„ rum ad Portenau.) Et aliæ item anni 1382. *fol. 587.* („ Dux Leopoldus de Auſtria addicit: ut Filiæ „ ſuæ Dominæ Eliſabethæ, conjugis Henrici Comitis „ de Gœrz, Dos aſſignetur ad Portenau an. 1382.) Simile Documentum ibidem *fol. 592.*, ubi additur: *Poſtquam Eliſabetha ætatem nuptiis maturam attigerit.*

Hi ergo tractatus de futuro matrimonio fuere; cum etiam Henricus natus anno 1376., hoc anno 1382. ſextum ætatis annum ageret. Eliſabetha iſta Leopoldi III. Probi, & Viridis Mediolanenſis filia obiit, 1392. de qua ita HASELBACHIUS in *Chronico Auſtriaco pag. 815.* HIER. PEZ *Tom. II.* („ Habuit etiam (Leopoldus) ex „ præfata uxore (Viridi) filiam nomine Eliſabeth, „ quæ deſponſata eſt Henrico Domino Goritiæ, ſed „ infra anni ſpatium morte præventa 1392. ad S. Ste„ phanum Viennæ jacet tumulata.) Sedecim annorum tunc erat Henricus; quare vel etiamnum Sponſa, vitam

tam terminaſſe videtur Eliſabetha Auſtriaca, vel recens nupta.

Alteram *Eliſabetham*, Hermanni Comitis Cilejæ filiam, duxit Henricus IV., *Repert. Parte III. fol. 803.* („ Litteræ datæ a Comite Henrico de Gœrz, de matrimonio inter ſemetipſum, & Comitiſſam Eliſabeth, „ Comitis Hermanni de Cilii filiam, promiſſa con„ contradote 12000. Ducatorum. *Datum Villaci, die „ Sabbati ante Feſtum Purificationis B. V. Mariæ: an. 1400.*) Extant etiam *Repert. Part. II. fol. 594.* („ Litteræ datæ „ a Comite Hermanno de Zilii, de pactis matrimonii „ inter filiam ſuam Eliſabeth, & Comitem Heinricum „ de Gœrz Seniorem anno 1412.) & mox *pag. 595.* („ Aſſignatio facta a Comite Heinrico, ſuæ uxori Do„ minæ Eliſabeth de Cilii de 32000. florenis, nuptia„ rum titulo: pignori ſubſcriptis omnibus ſuis poſſeſ„ ſionibus. *Datum Goritiæ die martis poſt Theophoriam „ an. 1412.*) XXII.

Equidem hæc documenta indicare viderentur: haud ante annum 1412. Eliſabetham Cilejenſem, Henrico in manus conveniſſe; niſi conſtaret, etiam poſt Conjugium de dote ſæpius actum fuiſſe. Sane nuptias ante confectas, videntur etiam probare ea, quæ refert: ANTONIUS NICOLETTI in *Hiſtor. MS. Civitatis Auſtriæ* apud CL. RUBEIS *Cap. CIX. pag. 1047.* („ ad Annum „ MCCCCVII. die Veneris primo Junii in Civitate „ Auſtriæ in Stupa Conſilii, in pleno Conſilio ibidem, „ ut ſupra congregato, definitum fuit: quod in facto „ adventus Domini Comitis Henrici, & Uxoris, quod „ deputati generales providere habeant de Xenio, ſive „ Munere faciendo Domino Comiti, & Uxori ſuæ,

nunc

„ nunc in Civitatem Auſtriæ venturis.) Itaque has nuptias ſaltem anno 1407., vel potius antea celebratas eſſe cenſeo, de quibus jam anno 1400. tractatum eſt. Porro bina illa documenta anni 1412. de perſolutione dotis, aut nova aſſignatione agunt. In apographo Hiſtoriæ NICOLETTI ſuſpicor ſcriptum eſſe mendoſe VII. in anni notis, loco VIII. nam anno 1408. prima Junii fuit dies Veneris.

Eliſabethæ Cilejenſis obitum poſt annum 1424. collocandum diſcimus e Documento *Repertorii Part. II. fol. 482.* quo continentur: („ Traditionis Tabulæ, „ confectæ a Comite Hermanno de Cilii, ad filiam „ ſuam Eliſabetham, Comitis Henrici de Gœrz conju- „ gem, de Caſtro Stein in Valle Junonia (Jaunthal) „ & de domo Vippaci, una cum prædio oppignorato: „ an. 1424.) Intra annum 1424., & 1426. mortua videtur Eliſabetha Cilejenſis. Probabile id ſit ex Epitome Documenti, *Repert. Part. II. fol. 558.* ubi mentio fit fundatæ in ſingulos annos cantandæ Vigiliæ, & legendarum duarum miſſarum de Requiem, pro Comitibus de Gœrz, & Cilii, in Templo S. Michaelis in Valle Junonia, quas fundavit Comitiſſa Eliſabetha de Gœrz - - - - - an. 1426. In *Chronico Comitum Cilejenſium* Hermanni III. filia natu maxima N. memoratur Uxor *Henrici Comitis de Gœrz.* Nomen filiæ ſuplevimus; is Hermannus III., Hermanni II. Filius, obiiſſe perhibetur Poſonii 1434. die S. Colomanni.

Ex Henrico, & Eliſabetha Cilejenſi nata eſt *Margaretha*; quippe quæ jam anno 1433. ſponſum nacta ſit, vel Conjugem, Joannem Comitem ab Oettingen. *Repert. Part. III. fol. 584.* (Apographum, quo Comes Henri-

„ ricus de Goritia affini ſuo Comiti Joanni ab Oettin-
„ gen pignori opponit Comitatum Kirchberg, pro 6000. Ducatis, ceu dote filiæ ſuæ Margarethæ: anno 1433.) Hujus documenti meminit HUNDIUS *Stemmat. Bavar. Part. I. pag. 81.* ſcribitque, illud extare *Neuburgi ad Danubium.* Neque vero multo ante finem anni 1433. Margaretham Oettingano traditam fuiſſe, arguit altera Charta, eodem anno 1433. inſcripta *Repert. Part. II. fol. 523.* in cujus autographo habetur: *An. MCCCC. Triceſimo tertio, die Mercurii poſt S. Franciſci diem*, qua Margaretha, *Comitiſſa Goritiæ* (*tantum*) nominatur, atque a Guardiano Cœnobii Goritienſis eadem convenitur: intercederet apud Parentem Henricum, ut annuum vini, ac tritici, pro veteri more, penſum cœnobio præbeatur, cujus Sacerdotes bis quot hebdomadibus in ſacello arcis ſacrum faciant. De hujus *Margarethæ* obitu nihil, ſed de filia ejus aliquid invenio. *In MSta Genealogia Goritienſium Comitum*, quæ haud vetuſta Oeniponte habetur, filia, *Margaretha item*, notatur, Ulrico Comiti de Montfort, & de Tetnwang collocata, unde duæ filiæ ſint prognatæ. Margarethæ Goritianæ maritus Joannes Oettinganus, Comes in Wallerſtein, Friderici & Euphemiæ filius, mortuus notatur 1449. In *Tab. Genealogica 270. Partis I.* JOANNIS HÜBNERI.

Tertia & poſtrema Henrici IV. conjux *Catharina* XXIII.
frequenter in documentis, præſertim Vidua, occurrit. Quanam e Familia Catharina iſta originem duxerit, certo non deprehendi. *Natione Hungaram* eandem vocat Æneas SYLVIUS *de ſtatu Europæ, Cap. XIV. de*

Carinthia, *apud Freherum*, *curante Struvio*, *Tom. II. pag. 107.* Nata de *Hungaria* item, cum addito: *Giara* (ſed in margine) appellatur Catharina, jam Vidua, in *Repert. Part. II. fol. 594.* ubi etiam tres ejus ex Henrico filii, commemorantur (" Litteræ abdicationis a Do-„ mina Catharina Comitiſſa de Gœrz, nata de Hungaria „ (in Giara) omnium ſuarum prætenſionum, exce-„ ptis poſtremum diſpoſitis, pro filiis ſuis Joanne, Lu-„ dovico, & Leonhardo: anno 1455.) Sed Catharinæ Stirpem ex Polonia arceſſere videtur UNRESTUS *Chron. Carinth. pag. 547.* ubi Catharinam appellat: *unam ex Maſſa de Polan* (id eſt, ex Maſovia Poloniæ) *Cæſaris proximam cognatam.* Quod ſi ita res habet, e Zemovitorum, Maſoviæ Ducum, ſtirpe fuit *Catharina* noſtra, e qua item *Cimburgis* prodiit, *Friderici III. Cæſaris* mater; atque adeo vel iſtius Cimburgis ſoror dicenda eſſet *Catharina*, filia, vel neptis Ziemoviti Ploczkojenſis, aut ejus fratris Joannis. Verum in Genealogiis Polonicis nihil de hac Catharina invenio: quod quidem, præſertim de fœmina, minime mirum. Equidem quod *Hungara* dicatur Catharina, id ea ratione conciliari poſſet: *Hungaros* hac ætate cum *Polonis* promiſcue ſumi ſolitos; quod idem Uladislaus III. (vel IV.) ab anno 1440. ad 1444. Rex Poloniæ ſimul, & Hungariæ præeſſet; ac deinceps ex eadem ſtirpe, duo licet, Reges, utriusque Regni habenas moderarentur, Caſimirus, ejusque filius Uladislaus. Cupio de hujus Catharinæ natalibus certiora edoceri. Quid illud adnotatum in Repertorii margine ab incerta quadam manu, *Giara* ſit, ignoro: Arcem *Gara* in Hungaria quam Leo-

Leonhardus in Hungaria a matre obtinuit, ac celebrem novi Nicolai *de Gara* Palatini Stirpem; ex qua ſuſpicor *Catharinam*, & Hungaram potius, quam Polonam fuiſſe; ſed quid *Giara* ſit, non novi, neque ex Litteratis Hungaris aliquid amplius edoctus ſum. Filios tres *Henrici* IV, e *Catharina*, & paulo ante, e documento anni 1455, & ſupra (N. XXI.) anni 1453. exhibuimus: *Joannem*, *Ludovicum*, & *Leonhardum*, quibus hanc Goritianæ Gentis Stirpem abſolvemus. De filia Margaretha dictum eſt *Numero XXII.*

Henricus IV.
Sponſa I. Eliſabetha Auſtriaca.
Uxor II. Eliſabetha Cilejenſis.
Uxor III. Catharina.

2.	3.[1]	3.	3.
Margaretha uxor Joannis Com. ab Oettingen. 1433.	Joannes 1443. 1444. 1453. - - - 1455. † 1462. *Uxor* vel *Sponſa* Eliſabetha, Ulrici Cilejenſis filia 1443. 1444. 1459. 1461. 1467.	Ludovicus 1453. 1455. † circa 1456.	Leonhard. 1453. 1455. † 12. April. Leontii 1500. ibidem ſepultus. *Uxor* I. N. --- Nicolai Boſniæ Regis filia 1475. *Uxor* II. Paula, Ludovici III. Gonzagæ filia 1477. 1493. 1495.

XXIV. *Joannis*, fratrum natu maximi, poſt annum 1462, in documentis publicis, non eſt prodita memoria, neque *Ludovici* poſt annum 1455. Et ſane *Ludovicum* intra annos 1455, & 1457. obiiſſe cenſeo; quia nulla omnino ejusdem fit mentio, ubi fieri poſtea maxime debuiſſet. Ex UNRESTI *Chronico Carinthiaco pag. 547, & ſeqq.* colligo: anno 1457. ſuperſtites fuiſſe *Joannem* & *Leonhardum*, non item *Ludovicum*. Ita habet, poſt ennarratam Ulrici, Cilejenſis poſtremi Comitis, cædem, in Hungaria perpetratam: (" Iſtis temporibus erant duo „ Juvenes Comites de Gœrz, nomine Comes Johan„ nes, & Comes Lienhardus, Comitis Heinrici filii, & „ eorum mater vocabatur Domina Catharina una de „ Maſſa ex Polan, Cæſaris proxima cognata. Prædi„ ctus Comes Johannes, tanquam major natu, nam „ frater ejus etiam tum teneræ ætatis erat, exiſtima„ bat ſe poſt mortem Cilejenſis verum heredem eſſe, „ & jus ſingulare habere in Comitatum Ortenburg, „ quem etiam Cæſar ſibi vendicabat - - -) narrat porro: bello rem tentaſſe Joannem, ſed infelici eventu.

Porro in *Chronico German. Comitum Cilejenſium*, ea res ita proponitur (" Eo tempore accidit, ut ad Fri„ dericum Imperatorem acceſſerit nobilis Princeps „ Comes Joannes de Gœrz, ob jura ſua, quæ in Ci„ lejam ſe habere credebat - - - Verum poſtquam apud „ Imperatorem Fridericum nihil profecit Goritienſis, „ ab aula diſceſſit, atque domum redux Draburgum, „ duasque arces, infra ſitas, Friderico eripuit - - - -)

Ex his iſta conſequuntur: quoniam Ulricus Cilejenſis, Teſte *Chronico Cilejenſi*, necatus eſt a Ladislao Hunniade

niade *Budæ anno 1456. die martis, pridie S. Martini*, quæ *dies Martis* (τὸ *pridie* latius ſumendo) fuit Novembris dies nona. Diem Martis, & Diem X. Novembris habet *Chronicon* UNRESTI AUSTR. *pag. 546.* quæ dies omnino eſt *Pridie S. Martini*, ſed non eſt *Dies Martis*; cum litera Dominicalis ſit C. Dum Nuntius de cæde ex Hungaria ad Joannem Goritianum pervenit: dum Joannes Fridericum Cæſarem adit: dum tractat negotium ſane arduum; facile utique duo menſes abiere. Itaque circa initium anni 1457. ſuperſtes fuit *Joannes*, qui bellum orſus eſt, non item *Ludovicus*; cum diſerte *duos* tantum *Comites Goritiæ* nominet UNRESTUS, omiſſo *Ludovico*, & & nominato natu minimo *Leonhardo*: qui nempe in prioribus documentis (ut natu minimus) ultimo ſemper loco appellabatur.

Quo anno deceſſerit *Joannes*, diſcutiendum eſt. Equidem UNRESTUS, paulo poſt bellum antea memoratum 1457, quod cito finitum perhibet, obiiſſe *Joannem* ſcribit. Sed Charta, ſuperius indicata, Joannem vivum ſiſtit 1459., quam hic recenſebo, uti in *Repertorio Auſtr. Part. III. fol. 578.* legitur. („ Apographum „ (*vidimus*) Proceſſus Cæſarei, contra Comitem Jo„ hannem de Gœrz, pro Comite Ulrico de Schaum„ berg, pro ſe ipſo & pro fratribus ſuis Alberto, Ber„ nardo Sigismundo, & Wolfgango, filiis Comitis „ Joannis: de 24000. Ducatorum, dotis nomine, & „ 20000. Ducat. & 5000. Ducat. reliquæ mulctæ, vel „ fœnoris, quæ omnia originem habent a nuptiis ſuæ „ Aviæ Urſulæ, Comitis Meinhardi de Gœrz, Avi

„ Comitis Joannis filiæ, quæ erat uxor Avi ipſorum, „ Heinrici de Schaumburg: anno 1459.) Verum cum diſerte moneatur: hoc non eſſe *originarium* documentum, ſed *recognitum*, ſeu *vidimatum;* adſcriptus annus 1459, *Recognitionis* forte eſſe poſſet, quod mortuo jam antea Joanne reviſum, novaque autoritate firmatum fuerit. Attamen *Joannes* ipſe 1459. Litteras dedit (quas originarias vidit Amicus, & ſupra adduximus N. XVI.) *pro ſe*, & Fratre Leonhardo, ſuper venditione bonorum facta Ulrico Juniori de Mætſch. *Datum die Veneris ante Dominicam Lætare* (die 23. Februarii) *anno 1459.* Certum igitur jam tenemus: *Joannem* Comitem Goritiæ non ante 1459. obiiſſe. Subinde in publico Documento diſerte legitur *Joannes* anno 1461. Extat apud EXCELL. COMITEM ATTEMSIUM Apocha originaria, qua *Jacobus de Thurn negotiorum Curator pro excelſo Principe, ac Domino Comite Joanne Palatino Carinthiæ Comite Goritiæ &c.* - - - - profitetur ſe accepiſſe a Nicolao Præfecto in Reiffenberg 58. aureos probi auri, & ponderis juſti - - - *Datum die S. Petri anno Domini MCDLXI.* Porro anno 1467. in Comitiis Norimbergæ habitis, *Comites de Goritia*, plurali numero appellantur: ſubinde ſingulari. Itaque *Joannes* hoc anno 1467. cum *Leonhardo* ſuperſtes videtur fuiſſe. GERARDUS ROO porro *ad annum 1476. Lib. VIII. pag. 285.* deſcribens celebrem Victoriam, ab Helvetiis ad Moretum (Murten) de Carolo Audace, Duce Burgundiæ, relatam, Helvetiorum duces appellat: Henricum Comitem Goritienſem, & Renatum Lotharingum. Equidem Henricus Goritienſis hoc tempore nemo noſcitur, niſi ſit ille

Hen-

Henricus Junior, cujus dubia mentio anno 1412. occurrit. Verum & hic, ſi vel fuiſſet, vel ſuperfuiſſet, ætate nimium profectus hoc anno 1476. neque aptus ſatis fuiſſet, qui Helvetiorum Dux deligeretur. Sed enim loco *Henrici* iſthic *Joannem* reponendum, niſi alia obſtarent, putarem; quia idem Roo *Lib. VII. pag. 224.* in bello illo, qnod certo *Joannes*, ob Cilejenſem hereditatem commovit in Fridericum III. Cæſarem, eundem, *Joannem* Comitem, *Henrici* nomine appellat; haud ſane recte, niſi Comes ille *Joannes Henricus* compellatus ſit: tametſi alibi, etiam a Patre, & Matre, *Joannes* tantum nominetur. Ita ſane ad mentem GERARDI ROO, anno 1476. etiamnum vixiſſet *Joannes* (forte *Henricus* compellatus) Goritiæ Comes. Verum his obeſt: in pugna Murtenſi, neque PONTUM HEUTERUM, neque FUGGERUM neque CALMETUM *in Lotharingicis Annalibus* verbum ullum de Henrico Goritienſi feciſſe. PONTUS HEUTERUS *Rerum Burgundicarum Lib. V. Cap. XII. pag. 142.* Hartmannum Eplingenium, Sigismundi Auſtriaci legatum, in prima pugna ad Granſeam, Helvetiorum Ducem nominat: in altera ad Maretum, imperium delatum eſſe ſcribit Renato, ſeu Reinerio, Lotharingiæ Duci, in Gratiam Regis Galliarum, a quo cum ſuppetiis miſſus erat. Omiſſis his incertis, *Joannem Goritiæ Comitem* obiiſſe anno 1462, intra diem VII. Martii, & XXII. Maji certius edocemur e duabus Chartis originariis, *Tabularii Græcenſis*, quas vidit, & inde retulit ſequentia CL. ROSENTHALIUS. Litteræ Joannis C. Goritiæ, queis ab Ambroſio Pippo, Præfecto ſuo in Gœrtz, decem aureos Hungaricos ſe ac-

ce-

cepiſſe fatetur. *Datum prima Dominica Quadrageſimæ anno LXII.* (id eſt die 7. Martii *anno 1462.*) Itaque vivus ineunte Martio erat Joannes. Sed mox mortuum ſiſtit: Recognitio Henrici Præfecti Stabuli Com. Leonhardi de Gœrz, *data 1462. Sabbato ante diem S. Urbani;* ubi habetur inter cetera: („ Apud honoratum „ Virum Ambroſium Pippo, tunc Præfectum Goritiæ, „ cum gratioſus Dominus meus Comes Johannes, piæ „ memoriæ, veniſſet Goritiam, anno milleſimo „ CCCCLXII. ad diem SS. Trium Regum, nunc autem, dum gratioſus Dominus meus Com. Leonhardus Goritiæ fuit, ante diem Sancti Urbani.) Sabbatum ante S. Urbani fuit XXII. Maji.

XXV. Sponſam *Joannis, Eliſabetham*, filiam Ulrici, poſtremi Cilejæ Comitis, natam e Catharina, Georgii Serviæ Deſpotæ filia, ſiſtit nobis *Repertorii Part. II. fol. 503.* Synopſis Documenti ſequens: („ Litteræ „ ſponſalium inter Comitem Joannem de Gœrz, & „ Comitis Ulrici de Cilii Filiam, Dominam Eliſabetham, poſtquam illa ætatem congruam attigerit: „ an. 1443.) Erat autem Ulricus Cilejenſis Tutor, ſeu Educator Filiorum Henrici, vel primogeniti ſaltem Joannis, anno 1443. de quo in *Repertorio Part. II. fol. 769.* Apographi mentio: („ Promiſſionis Litteræ, „ datæ a Comite Ulrico de Cilii, quibus ſpondet, ſe „ Comiti Henrico de Gœrz filium ejusdem Joannem, „ qui ſibi educandus comiſſus eſt, ad unum alterum- „ ve menſem remiſſurum eſſe. Anno 1443.) Vivente vero Henrico Patre, Educatorem datum eſſe Affinem, nemo mirabitur; qui legerit ea, quæ ÆNEAS SYLVIUS de *Statu Europæ Cap. XIV. pag. 107.* de inconditis hujus Hen-

Henrici Comitis moribus prolixe ſatis commemorat. Subinde anno 1444. ultima mentio fit de ſponſa Joannis, ac de controverſia quadam, exorta: quod Joannem Comitem Patri Henrico non miſerit Ulricus: *Repert. Part. II. fol. 769.* („ Adnotatio conciliationis ab Ulri„ co Comite de Cilii, ad Conſiliarios Goritienſes, „ nempe excuſatio, qua de cauſa ipſe Comitem Joan„ nem de Gœrz non tradat: porro ſe non eſſe inimi„ micum Goritienſibus, atque, quantum ex parte „ ſua fuerit, ſe ſtaturum ſubſcriptis nuptiis, inter di„ ctum Comitem Joannem, & Filiam ſuam, & omnes „ conditiones impleturum: an. 1444.)

Attamen e Sponſa nunquam Conjugem Joannis evaſiſſe Eliſabetham, Ulrici Filiam, & Documentorum ſilentium, & firmius arguit CHRONICON CILEJENSIUM COMITUM, quod Eliſabetham Ulrici poſtremi filiam, mortuam ſuiſſe perhibet, ut ſponſam Matthiæ Corvini Hunniadis, Joannis Filii, poſtea Regis Hunguriæ. BONFINIUS *Decade III. Lib. VII. pag. 475.* ad annum 1448. perhibet: Matthiam ſponſum promiſſum eſſe a Patre Joanne (qui poſt acceptam in Mœſia cladem, in Servia captivus erat) natæ Georgii Deſpotæ Serviæ, nepti Comitis Cilejæ. Utraque ſponſalia, ſucceſſu annorum, contrahi potuere, mortua præſertim ſua priore ſponſa Eliſabetha Cilejenſi, quæ antea Sponſa Joannis Goritienſis eſſe poterat anno 1444.

Ludovicum, alterum Henrici IV. Filium vitam finiiſſe circa 1456., paulo ante ex UNREST0 oſtenſum eſt. Equidem initio anni 1456. die X. Januarii ſuperſtitem Ludovicum ſiſtit Charta Tabularii Aulæ Græcenſis, inſpecta a Doctiſs. ROSENTHALIO, ex qua con-

ſtare monuit, Ludovicum, Leonhardi & Joannis Fratrem, Dominica poſt Feſtum SS. Trium Regum, anno 1456. (ea erat X. Januarii) ſuperſtitem fuiſſe.

XXVI. *Leonhardus*, Fratrum natu minimus, deinceps in Documentis occurrit, usque ad annum 1500. ut in CHRONICO NOSTRO videri poterit. Leonhardum vitæ hujus curſum die XII. Aprilis terminaſſe anno 1500., Leontii in Tyroli; ibidemque, non autem Goritiæ, ut credebatur, ſepultum fuiſſe, conſtat ex eo, quod ex DONINI *Hiſtoria della Principale Contea di Gorizia, ad finem Libri II.* manu, & fide Notarii publici Goritienſis excerptum, atque ad me miſſum (quia eum Librum Viennæ non inveni) iſthic bona fide repræſento.

„ Hic jacet ſepultus
„ Illuſtriſſimus Princeps
„ Leonardus
„ Comes Palatinus Carinthiæ,
„ Comes Goritiæ, & Tyrolis
„ Advocatus Eccleſiarum
„ Aquilejenſis Tridentinæ
„ & Brixinenſis
„ obiit 12. Aprilis 1500.

„ Epitaphium inſcriptum Leonardo ultimo ſuperſtiti
„ e familia excelſa Goritiæ Comitum: qui obiit Leon-
„ tii Carinthiæ Palatinatus Capitalis, & tumulum ha-
„ buit ibidem. Extractum in fine libri ſecundi Hiſto-
„ riæ Donini nobilis d'Iſchia, cujus titulus: Hiſtoria
„ della Principale Contea di Goritia, o ſia raconto
„ Crono-Stemmatographico di que' Prencipi Conti. In
„ cujus rei fidem prævia confrontatione requiſitus,
„ Joſephus Sigonius ex Nobilibus Aquilejæ, Publi-
„ cus

„ cus Imperialis Aulæ Notarius, manu propria ſub-
„ ſcripſit ac Tabellionatus ſui ſigno munivit. Goritiæ
„ datum die 18. Martii 1750.) ſequitur ſubſcriptio Excellentiſſimi Cæſareo-Regii Repræſentantis.

Marmoris illius Goritiani inſcriptio, quod cum Iconismo, *Cap. I. N. VII.* propoſui, nihil certi de morte, de ſepultura vero Leonardi omnino nihil continet. Attamen Goritiæ quot annis ſacra funebria pro Leonhardo peraguntur, & illud marmor incenſatur, die Lunæ poſt Dominicam in Albis; quæ res confirmat diem obitus XII. Aprilis anni 1500. Nam eo anno dies XII. Aprilis erat Dominica Palmarum; quare juſta funebria dilata videntur ad diem faſtum poſt Paſcha proximum, qui eſt dies Lunæ poſt Dominicam in Albis. Leonhardi mortem, cum relato Epitaphio, ad annum 1500. confirmant GERARDUS ROO, *Lib. XI. pag. 547. Edit. in 4to.* („ Hoc anno ſine herede obiit Leo-
„ nardus Goritiæ Comes.) Item FUGGERUS *Lib. III. Cap. VIII. pag. 341, & 342.* HUNDIUS *Metrop. Salis. Tom. I. pag. 305.* BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. XIV. pag. 593.* Erravere ergo, qui vel anno 1499, cum MEGISERO *Lib. I. Cap. II. pag. 15.* (etſi *Lib. VI. Cap. XII. in Tabula Genealog.* annum 1500. idem poſuerit) vel 1501, cum Editore HOFMANNI *in Lexico univerſali, in voce Goritia Edit. 1698. Lugd. Bat.* Leonhardi obitum conſtituere.

Leontii vero potius, quam Goritiæ ſedem habuiſſe Leonhardum, & illic obiiſſe (Leontium enim jam diu Goritianis parebat) præter Epitaphium, credibile reddit ipſa temporum calamitas; quod ab anno 1472. Turcæ perfrequenter in Forum Julium, & Carnioliam,

atque recentiſſime anno 1499. ſolita barbarie irrupiſſent. Incurſiones ceteras in CHRONICO exequar: poſtremam, cujus cauſa Leonhardus Goritiæ ſibi degendum non putaverit, hic refero, ex *Fragmentis Hiſtoricis in Appendice Commentar. Aquil.* P. DE RUBEIS *p. 59.* (" MCCCCXCIX. „ Die Sabbati in Vigilia S. Michaelis menſis Septem„ bris, Scander Baſſa, Dux, & Princeps Imperato„ ris Turcarum, cum magno exercitu invaſit hanc „ Patriam Forojulienſem - - -)

XXVII. Conjuges Leonhardi duas invenio. De priore agit *Repert. Part. II. fol. 566.* ſed ſine uxoris nomine, Charta ita adnotata ex autographo: (" Adnotatio de „ Phœbo de la Torre, quidnam Georgius Raaz, ſe„ cretus Legatus Regis Nicolai de Boſnia, ad Com. „ Leonhardum de Gœrz, coram expoſuerit, exhibi„ tis litteris fidem facientibus, *Datis Wylak die Domi„ nica poſt Theophoriam, anno 1475.* ſignificat vero Rex „ prædictus, obſervaſſe ſe, in ſuo per Italiam itinere, „ varia damna, quæ Goritienſi Provinciæ illata ſint „ per Venetos, & Præfectum Goritienſem, aliosque. „ Quare cupere Regem, tanquam affinitate junctum, „ ut Comes Goritiæ ipſius gener his damnis eximatur: „ dare id porro conſilii, ut Comes Leonhardus ad „ ipſum Regem ſe conferat, reparaturus damna, & „ cum alioqui Comes maternam hereditatem in Hun„ garia habeat, atque nulla prole gaudeat - - -) Hujus Nicolai, Regis Boſniæ, latet genus. Equidem paulo ante hæc tempora Rex Boſniæ fuiſſe proditur *Stephanus Thomas*, circa annum 1457. a proprio (ut narrat LUCCARI *Lib. III.*) filio Stephano, & Fratre Ra-

Radivojo, Religionis ſpecie, ſtrangulatus; de quo, uti & de ejus filio *Stephano*, qui anno 1463 a Turcis obtruncatus eſt, videri meretur DU FRESNE de *Familiis Dalmaticis, & Sclavonicis Cap. VIII. pag. 331. &c.* Præterea antea invenio *Stephanum Thomas*, ſeu *Thomaſco* anno 1444. Venetiis, *die 15. Martii Duce Domino Franciſco Foſcari* ſanctiori Senatui Veneto adlectum eſſe, cum titulo appoſito: *Il Sereniſſimo Don Stephano Thomas Rè della Boſina.* Idem honos obtigit filio ejus *Stephano* 1461. 20. Decembris, *Duce Domino Paſquale Malipiero.* Hæc ambo narrantur in Libro MARINI ZANUTI, *Vite de' Duchi di Venetia*, MURATORII *ſcript. Ital. Tom. XXII. pag. 433. & 434.*

Stephanus junior ſaltem anno 1463. obiit, uti ex Bulla Pii II. P. M. oſtendit DU FRESNE. Sed nihil nexus ſe prodit inter Stephanos, & illum *Nicolaum*, Boſniæ *Regem*, titulo verius, quam poſſeſſione; nam Boſniam poſt annum 1463. Turcæ obtinuere. Equidem quidam Boſnenſes ſeditione in Turcas concitata Matthiam Corvinum, Hungariæ Regem, advocavere, ſub quo Rege Matthia ad annum 1483. obſcura mentio fit *Nicolai*, noſtri, *Boſniæ Regis*, apud BONFINIUM *Rerum Hungaricarum Decade IV. Lib. III. pag. 570.*, ubi *Dux Laurentius*, *Nicolai Boſnæ Regis filius* appellatur: laudaturque is Laurentius, ut Regi charus æque, ac filius. Quare *Nicolaus* iſte a Matthia Rege, titulo Boſniæ Regis donatus videtur. Hujus filia, non indicato nomine, Leonhardi prima Conjux cenſenda eſt.

Alteram Leonhardi Conjugem Paulam de Gonzaga, *Repert. Part. II. fol. 717.* paucis deſignat (" Docu-
„ mentum Procurationis a Comite Leonhardo ad Affi-

„ nem

„ nem ſuum Marchionem Joannem Franciſcum de „ Gonzaga, & ad Uxorem ſuam Paulam, ut Portus „ Latiſana, a Vendramyno redimatur: 1493.) Sororem *Joannis Franciſci* de Gonzaga hanc Paulam fuiſſe, aut potius Fratris filiam, oportet; cum illius *Affinis* dicatur *Leonhardus*. Verum non modo in HÜBNERI Tabulis Paula nulla, quæ huc faciat, occurrit; ſed ne quidem in FRANCISCI SANSOVINI præclaro opere: *Della origine, e de' fatti delle Famiglie Illuſtri d'Italia, in Vinegia 1582. pag. 359. & 360.* alia Paula ſeſe offert, quam Franciſci II, Marchionis Mantuæ quarti, filia, ſed quæ anno 1493, multoque minus 1477. (de quo anno inferius) conjugio eſſe juncta non potuit: quod Pater Franciſcus an. 1466. natus ſit, qui an. 1484, annorum duodeviginti fuerit, Sanſovino teſte. Illud dici poſſet de an. 1493: Uxorem appellari, quæ deſponſata tunc tantum eſſet, atque ſimilis locutio etiam alias non raro occurrit. Quod vero *Paulam* iſtam, nulla nuptiarum mentione, Monacham induiſſe ſcribat SANSOVINUS; id ita acciperetur: Poſt mortem Leonhardi *Paulam* aſceterium petiiſſe; Nam Paulæ vitam monaſticam (etſi ignoraſſet ejus Matrimonium) noſſe potuit Hiſtoricus. Sed mallem Paulam noſtram jam anno 1477. Leonhardi Sponſam, *Ludovici III.* de Gonzaga (Patris Friderici, & Joannis Franciſci) filiam appellare, qui Ludovicus, Marchio Mantuæ, anno 1478. obiit. Nam in REPERTORIO AUSTRIACO *Part. II. fol. 460.* („Comes Leon- „ hardus de Gœrz Procuratoribus ſuis D. Balthaſari „ de Welſperg, & D. Virgilio de Graben committit, „ ut a Marchione Ludovico accipiant 8000. Ducatos „ *Dotis titulo*, ut eo pretio redimatur Portu Latiſana: „ anno 1477.) Dos hæc a *Patre Paulæ* accepta videtur,

tur, cujus ætas optime congruit. Poſtrema Uxoris Leonhardi (nempe Paulæ) mentio injicitur in REPERT. *Part. II. fol. 676.* Anno 1495, his verbis: (" Litteræ „ ſecuritatis, & liberi tranſitus, a Duce Auguſtino „ Barbado, ad Comitem Leonhardum, & hujus Uxo„ rem, ut ad balnea Albanum venire poſſint.)

Præter comprobatas hactenus Henrici IV. proles, Margaretham, Joannem, Ludovicum, & Leonhardum, adnotatas invenio ſequentes, in *Genealogia MSta, Tabularii Oeniponti*, ab Amico communicata; nempe ex *Eliſabetha: Annam* & *Barbaram* filias: & ex eadem filios: *Sigismundum, Georgium, Ulricum.* Equidem de his nihil autentici legi, & hæc arbor Genealogica nullas probationes adjunctas habet; prope tamen in nonnullis conſentit cum aliis, quæ ex Tabulis publicis eruta ſtabilivimus. Infantes iſti obiiſſe videntur, de quibus publicæ Chartæ ſilent. *Excerpta e MSta* BAUTSCHNERI *Hiſtoria*, tribuunt Henrico filios: *Fridericum* & *Udalricum*, ex Uxore Margaretha (ſcribendum erat Eliſabetha) Hermanni Cilejenſis filia. Sed hæc e LAZIO *de Migrat. Gent. pag. 174.* ſumta eſſe videntur. Goritienſe MStum fragmentum filias Henrici easdem tres appellat, quas Genealogia MSta Oenipontana.

Libet paucis hic attingere ſtirpes illas, quas Re- XXVIII.
centiores quidam Goritienſium Comitum ſtemmati, ſine propoſitis rationum momentis, intruſere. In *Lexico univerſali, Germanice Edito a* Cl. ISELIN, ſub vocabulo: *Gœriz*, ſeu *Gœrz de Schlidſee*. Item in *Lexico Nobilitatis* JOHAN. FRID. GAUCHEN, Germanice item contexto, Familia Baronum de Schlidſee originem duxiſ-

xiſſe aſſeritur e Gente Goritienſium Comitum in Foro-Julio, ſeu Carinthia; idque ea, opinor, de cauſa, quod Otto de Schlidſee, anno 1100. florens, compellatus ſit de *Gœriz*, ſeu *Gœrz*. In utroque illo opere, Germanici omnes Autores, iidem, & teſtes afferuntur, & eodem modo. HUMBRECHT *de Nobilitate Rhenana Tab. 236.* Et WINKELMANS *Hiſtoria Haſſiæ, Part. II.* Item SPANGENBERGII *Speculum Nobilitatis Part. I, & II.* Denique SEIFFERTI *Tabulæ avitæ familiæ de Schlidſee.* Lexicon univerſale præterea BROWERI *Antiquitates Fuldenſes* commemorat.

Enimvero tametſi hi omnes ſcriptores una voce aſſererent: Barones de Schlidſee e Goritiæ Comitibus originem repetere; non permoverer, ut crederem, niſi vetuſtis teſtimoniis (quorum nullum novi) ſuam illi ſententiam ſtabilirent. Sed neque citati Autores iſti id ullo modo aſſerunt. Inſpectum eſt opus JOHAN. MAXIMIL. HUMBRECHTI *de libera Equitum Rhenenſium Nobilitate pag. 236. Edit. Francofurt. 1707.* Conſuluimus JOHANNIS JUSTI WINCKELMANNI *Deſcriptionem Haſſiæ & Heresfeldæ Part. II. Cap. V. fol. 205. Edit. Bremæ 1711.* Item BROWERI *Antiquitates Fuldenſes pag. 151. & 298.* Sed nihil eſt in his inventum de Schlidſeenſium origine, vel nexu, cum Goritienſibus in Foro Julio Comitibus. JOANN. SEIFFERTUS *in Avitis Tabulis* (Ahnen Taffeln) *Part. II. Tab. XX. In Genealogia Baronum de Schliz, dictis de Gœrz* verbum nullum facit de noſtris Goritiæ Comitibus. In SPANGENBERGII confuſo opere, *Speculum Nobilitatis* dicto, *Parte I.* nihil de illo nexu Schlidſeenſium invenio: de Goritienſibus perpauca, & obvia. *Partem Ildam* non vidi, neque doleo.

Ac-

Accedit: Insignia Familiæ Baronum de Schlidsee omnino diversa esse, ab insignibus Goritiensium. Nam & WINCKELMANNUS *loco laudato*, & WEIGELIUS *in Magno libro insignium Part. I. pag. 142. Schlidseensibus*, seu *Schlitzensibus* attribuunt Campum argenteum, in quo duo ductus muri pinnati transversi a dextra ad sinistram, colore nigro. Goritiensium Comitum insignia, diversa omnino, descripsimus *Cap. I. N. IX.* Quare Schlidseenses nulla ratione ad Goritienses nostros Comites sunt referendi.

Altera sententia est Viri, in Hungaria degentis, admodum eruditi, qui Comites de Wodicha, Comitis Stephani de *Gorichia* vel *Goricha* filios, ex Ursinorum gente oriundos, ad *Goritiensium* nostrorum stemma pertinere censuit. Submisit is nobis apographum Diplomatis Andreæ II. Regis Hungariæ (" Datum per manus „ Magistri Ugrini, Aulæ nostræ Cancellarii. Anno ab „ Incarnatione ejusdem Salvatoris nostri MCCXVIII. „ Venerabili Joanne Strigoniensi, Reverendo Bertholdo „ Collozensi - - - - - - - Regni nostri anno quarto Decimo.) Initium est: (" In Nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis. Andreas Dei Gratia „ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, „ Galliciæ, Lodomiriæque Rex in perpetuum.) In decursu: (" laudabilem constantiam fidelitatis - - - - - „ Baboneg, & Stephani Comitum de Wodicha, filiorum quondam Comitis Stephani de Gorichia, quos „ veriloquax præconii fama, & veritatis experientia, „ de originali domo, & stirpe generosa Ursinorum, „ Romanæ Urbis Senatorum, propagatos testatur.) Deinde prædictos fratres Rex creat, facitque *Liberas*

Comites, atque eximit eosdem a *Judicio*, *& Jurisdictione Ducis Sclavoniæ*, *atque Bani &c.*

Sane illa *Goricha*, ſeu *Goriza*, cujus Comitatus *Sclavoniæ Duci*, *vel Bano* obnoxius erat, in Sclavonia ſita erat, non ad Forum Julium: neque noſtri Goritienſes Comites unquam Regi Hungariæ, minus Sclavoniæ Duci, vel Bano parebant, ſed Imperatoribus Germanicis. Sane in ABRAHAMI ORTELII *Charta Geographica Sclavoniæ*, *Croatiæ &c.* locus *Gorick* conſtituitur haud procul ab *Ivanicz*, orientem verſus, in *Sclavonia*. Alius locus Sclavoniæ vicinus ſcribitur (in Charta magna Hungariæ tam SCHENEKII, quam HOMANNI) *Goritza*, poſitus non procul a Sultzæ fluvii origine, infra Zagrabiam.

Joannis Babonich, ſeu Baboneg vel Babanik, Bani Croatiæ, & filiorum ejus meminit MADIUS *Cap. XXII. pag. 378. &c.* & JOANNES LUCIUS de *Regno Dalmatiæ*, *& Croatiæ Lib. IV. Cap. XV. pag. 216. circa annum 1323.*) *Joannem* hunc *Babanich*, ſeu *Ivan* an. 1309. & 1310. & 1313. Henrico II. Goritiæ Comiti ſubſidia miſiſſe perhibet JULIANUS in *Chronico Forojul. Rubeis Append. pag. 33. & 35.* ubi *Ivan Babanich* bis terve appellatur *Cognatus Henrici Comitis*, Enimvero hic *Ivan Babanich* latius ſumendo *Cognatus Henrici*, ætatis hujus licentia, dictus eſt. Affinitatis aliquid, ſaltem per ſponſalia affectæ, interceſſiſſe inter Babanichios & Goritienſes Comites, nos docet HORNECK *in Chronico Rhythmico pag. 817.* Ubi refert: ab Ottone Duce Carinthiæ per Auffenſtainium anno 1308, oblatam eſſe ſponſam filiam Ducis, filio Comitis Henrici, fratris Comitis Joannis (*Babanik.*) Hinc factum puto, ut ALBERTINUS Mus-

MUSSATUS *de Geſtis Italicorum poſt mortem Henrici VII. Lib. III. Rubr. IV. Tom. X. ſcript. Ital. Murator. pag. 596.* vocarit *Babanicum Levirum* Henrici Comitis Goritiæ: BELLONUS vero in *vita Ottoboboni Patriarchæ* appellarit: *Bambanicum ſororium* Henrici Goritiani. Utrumque minus proprie; cum Henricus Goritianus frater Patruelis Ottonis Ducis eſſet, Ottonis vero filia Babonichio deſponderetur. Neque conſtat, an e ſponſis Conjuges ſint facti. Sane quatuor tantum Ottonis Ducis filias novimus, uti *Cap. V. N. V.* exponetur. Duarum maritos tenemus: reliquas duas innuptas obiiſſe, ANONYMUS LEOTIENSIS perhibet *pag. 836. Hieron. Pez. Tom. I.*) Quoniam itaque *Goricka*, vel *Goritza* in Sclavonia invenitur, & ſtirps Comitum de Goricha, & Wodicha (qui deinceps Baboneg, vel Babonich dicti videntur) in Sclavonia vel Croatia, tantum comparet; non licet eam Goritiæ noſtræ Comitibus inſerere, in quorum publicis documentis nulla occurrit horum Comitum, tanquam *conſanguineorum* memoria, ſed tantum tentatæ Affinitatis ſcriptores aliqui meminere; aſt amicitiam, fœdusque inter Goritienſes, & Babanikios interceſſiſſe, comprobant etiam ea, quæ, præter jam dicta, in *Chronico noſtro* ad annum 1316. proferemus.

CAPUT V.

Goritienſis ſtirpis ramus Tyrolenſium Comitum, atque Carinthiæ Ducum, explicatur, quem exhibet Tabula IV.

EXpoſuimus, pro viribus noſtris, Goritienſium, proprie ita appellatam ſtirpem; reliquum eſt, ut no- I.

nobiliſſimæ Gentis Ramum illum, dignatione præcipuum, diſpiciamus, qui a Meinhardo IV. Tyrolis primum Comite, ſubinde Carinthiæ Duce ad Meinhardum, Margarethæ Maultaſchiæ filium, porrigitur. Eſt hæc Principum ſeries ita jam ab HUNDIO *Stemmat. Bavar. Part. I. pag. 76. &c.* a BURGLEHNERO, *in MSta Hiſtoria Tyrolis*, ab Eruditiſſimo P. ANTONIO STEYERER *S. J. in Commentar. pro Hiſtoria Alberti II. Ducis Auſtriæ*, a Doctiſſimo P. DE RUBEIS *Ord. Prædic. in Commentario de Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis*, ac denique a Clariſſimo PESLERO in *ſerie Ducum Carinthiæ* tractata; ut, niſi ex Auriſodina illa noſtra, REPERTORIO AUSTRIACO, & aliis quibusdam Documentis, Amicorum benevolentia ſubminiſtratis, pauca fere adjungi poſſe videantur. Sed quoniam omnem Goritienſium Comitum Genealogiam tentandam ſuſcepimus; neque relicto ab aliis labore, neque prærepta explicatorum nodorum gloria, a pertexendæ, quam ſumus orſi, telæ conatu nos abſterrendos cenſuimus.

Meinhardum IV. Meinhardi III, ex Adelheide Tyrolenſi, Alberti nata, fuiſſe filium, ita confidimus nos demonſtraſſe, Cap. III. a N. XV. ad XXII, ut neminem deinceps ſperemus fore, qui CHRONICI STAMSENSIS PEZIANI cauſa, hac in re contrariæ ſententiæ adſtipuletur. Anno 1286. a Rudolfo I. Cæſare, cujus gratiam fideli, conſtantique opera, ſingularem commeruit, binis honorum titulis donatus eſt Meinhardus. Nam Kalendis Februarii 1286. Comes Tyrolis ad Principis eſt dignitatem evectus, & Carinthiæ Ducatum eodem Diplomate obtinuit. De utroque honore collato Documenti ſynopſis, REPERTORII *Part. I. fol. 9.* (" Privi-

TABULA IV.

AD CAPUT V. *pag.* 236.

MEINHARDUS IV. Comes Tyrolis, & Goritiæ, Meinhardi III. filius ex Adelheide Tyrolenſi *pag.* 113. *&c.* Deſignatur anno 1285. 25 Decembris, & 1286. 1 Februarii reipſa fit Princeps, & Dux Carinthiæ *pag.* 236. 237 Die 1 Septembris eodem anno 1286. inauguratur in Carinthia. *pag.* 238. Anno 1295. † in Greiffenberg, die 1 Novembris, ſepultus in Stams. *pag.* 238. *&c.*
Uxor ELISABETHA, Ottonis Illuſtris, Bavariæ Ducis, ex Agnete Palatina, filia, Vidua Conradi IV. Regis; Nuptiæ Monachii 1259. 6 Octobris *pag.* 240. 241. † 1273. 9 Octobris, ſepulta in Stams. *pag.* 242.

OTTO 1290. &c. *pag.* 243. † Oeniponte, anno 1310. die 25 Maji. Sepultus in Stams. *pag.* 246.
Uxor EUPHEMIA Henrici III. (vel V.) Ducis Wratislavienſis filia. † 1347. Sepultus Merani in Parthenone S. Claræ. *pag.* 247.

ALBERTUS 1290. *pag.* 243. *&c.* † 1292. die (S. Georgii) 24 Aprilis. Sepultus in Stams. *pag.* 251.
Uxor AGNES, filia Alberti Comitis de Hajerloch, & Hochenberg. Sponſa 1281. Vidua 1293. *pag.* 251. 252.

MARGARETHA *Uxor* FRIDERICI IV. Burggravii Norimbergæ *p.* 252. 253.

LUDOVICUS 1290. &c. † cælebs, die 22. Septembris anno 1305. Sepultus in Stams. *pag.* 243. &c. 253.

HENRICUS 1290 &c. *pag.* 243. *&c.* 257. *&c.* 1306. Rex Bohemiæ primo eligitur, menſe Auguſto, & mox pellitur an. 1306. poſt, Auguſtum menſem. *p.* 258. &c. 265. Rex Bohemiæ reipſa fit 1307. circa Auguſtum menſem. *pag.* 265. 266. Exigitur iterum anno 1310. 15 Decembris: ſuccedente Joanne, Henrici VII. Regis Rom. filio. *pag.* 266. 267.
† In Caſtro Tyrol 1335. 4 Aprilis, ibidem ſepultus: In Stams 1337. translatus. *pag.* 267. 268. 269.
Uxor I. ANNA, Wenceslai Senioris, Regis Bohemiæ, & Poloniæ filia natu major, nata 1290. 15 Octobris. Pragæ nupta 1306. poſt Februarium. † 1313. 3 Septembris Labaci. Sepulta in Stams. *pag.* 269. 270.
Uxor II. ADELHEID, Henrici, Ducis Brunsvvicenſis, & Agnetis Miſniæ, filia; nupta 1315. in autumno in Wilthen. † 1320. 18 Auguſti, ſepulta in Stams. *pag.* 271.
Uxor III. BEATRIX, filia Amadei Comitis Sabaudiæ, & Mariæ Brabantinæ. Sponſalia 1324. Nuptiæ circa 1327. in Wilthen. † 1331. 20 Decembris, ſepulta in Stams. *pag.* 271. 272. 273.

ELISABETHA, nata 1263. 1276. nupta ALBERTO I. Auſtriaco, Rudolfi I. filio; 1308. 1 Maji. *pag.* 253. *&c.* occiſo Alberto, Vidua. † 1313. 28 Octobris, ſepulta in Königsfeld. *pag.* 255. 256.

AGNES Pacta nuptialia 1 Junii cum FRIDERICO Landgravio Thuringiæ, & Marchione Miſniæ, Alberti filio. *pag.* 256. † 296. *pag.* 257.

FRIDERICUS obiit Juvenis. *pag.* 257.

URSULA, obiit innupta circa 1331. *pag.* 248.

EUPHEMIA, obiit innupta circa 1331. *pag.* 248, 249.

ANNA, † 1331.
Uxor RUDOLFI II. Bavariæ Ducis, Palatini Rheni, qui † 1335. *pag.* 248. & 249.

ELISABETHA.
Uxor Regis Siciliæ Petri II. 1334. 1335. Vidua 1342. *pag.* 248. 250.

BEATRIX, Sponſa JOANNIS HENRICI Comitis Goritiæ 1334. 1335. *pagina* 250. & 171. 172.

2.

* LEOPOLDUS, puer obiit *pagina* 274. 275.

MARGARETHA (Senior, *dicta* Maultaſch) *pag.* 274. *&c.* 282. nata 1316. *pag.* 283. † 1369. Viennæ circa 3 Octobris. *pag.* 289. *&c.*
Maritus I. JOANNES HENRICUS, Joannis Regis Bohemiæ Luxemburgici, & Eliſabethæ Bohemæ filius tertio genitus: natus 1322. *pag.* 284. 1324. pacta ſponſalia. 1327. in Carinthiam miſſus. *pag.* 283. 284. 1330. vel 1331. nuptiæ. *pag.* 284. 285. dein 2 Novembris 1341. repudiatus exigitur. *pag.* 284. 285.
Maritus II. LUDOVICUS, Bavariæ Dux, Ludovici IV. Imperatoris Filius, Marchio Brandeburgi. Meraniæ 1342. 10 Februarii nuptiæ illegitimæ. *pag.* 286. 1359. 3 Septembris legitimæ fiunt item in Meran. *pag.* 286. † 1361. 18 Septembris. *pag.* 289.

2.

ADELHEID nata circiter 1317. memoratur annis 1324. 1334. 1336. 1341. *pag.* 275. 276.

ALBERTUS, filius naturalis Margarethæ, natus circa 1330. *pag.* 277. 278.

MEINHARDUS natus circa 1343. *pag.* 286. 287. † 1363. 13 Januarii. *pag.* 287. *Uxor* MARGARETHA (junior) Alberti II. ſapientis, Ducis Auſtriæ, filia. Pacta ſponſalia 1354. die 22 Octobris. Nuptiæ 1359. in Septembri. *pag.* 288. 289. Poſt Meinhardi obitum nupſit Joanni Henrico, Margarethæ ſocrus olim marito, 1364. Ipſa † 1366. 13. Januarii. Joannes † 1375. 13. Novembris. *pag.* 289.

2.

Filii, & Filiæ NN. 1349. *pag.* 291. Filiola deſponſata 1349. Maſtino Veronenſi. *pag.* 291. Filius HERMANNUS nominatur anno 1360. *pag.* 291.

„ vilegium a Rudolfo, Romanorum Rege, quo Co-
„ mitem Meinhardum de Tyrol Principem renunciat,
„ & confert eidem Ducatum Carinthiæ, ſicut eundem
„ poſſedit Dux Bernardus, & Dux Ulricus tempori-
„ bus Ducis Leopoldi, & Ducis Friderici - - - - - Da-
„ tum Auguſtæ ſub ſigillo Majeſtatis Kal. Febr. 1286.)
in R. P. STEYERERI *Alberto II pag. 81.* hujus Diplo-
matis, & initium profertur, & finis ejus *Pridie Kalend.*
Februarii ſignatur. Sed in MSto noſtro τὸ *Pridie* recte
omiſſum eſt; Nam Autographum hujus Diplomatis in
Tabulario Græcenſi habet Kal. Februarii. Teſte CL.
ROSENTHALIO. Annum eundem 1286, & locum eundem:
Anguſtam, & collatam Carinthiam, adnotarunt ANONY-
MUS LEOBIENSIS, *Hieron. Pez Tom. I. pag. 857.* atque
CONTINUATOR *Martini Poloni: Eccardi Tom. I. pag. 1428.*
item CHRONICON STAMSENSE, *Hieron. Pez Tom. II. ad*
anno 1286. pag. 457. Sed hujus Autor *Diem* alium, nem-
pe *Nativitatem Domini* commemorat; uti & ARENPECKIUS
Chron. Auſtr. pag. 1253. Hieron. Pez Tom. I. Videtur
anno noſtro 1285. die Nativitatis Domini (quo olim
ſupputari ſolebat novus anni numerus, 1286) Pri-
mum Rudolfi Regis voluntate Meinhardus deſigna-
tus, fuiſſe Dux Carinthiæ, ac deinde *Kalendis Febr.*
reipſa a Cæſare facta fuiſſe ſolennis Ducatus traditio.
Equidem jam anno 1285. cum aliis Principibus actum
fuiſſe de Meinhardi Ducatu, conſtat ex REPERTORIO
AUSTRIACO *Part. I. fol. 8. ubi:* („ Albertus Dux Sa-
„ xoniæ conſentit, ut Meinhardo detur *Archiducatus*
„ Carinthiæ, ſi renuncient Duces Auſtriæ, quibus col-
„ latus erat. Datum Norinbergæ 4. Kal. Aprilis 1285.)

II. In ipſa Carinthia ſolenni ritu inauguratus fuit Meinhardus, e ſententia laudati CONTINUTORIS *Martini Poloni*: Calendis Septembris anno 1286. Sed ANONYMUS LEOBIENSIS: Anno ſequente, eadem die, prima Septembris, id factum refert; niſi mendoſe, ut arbitror, præfixus eſt *Capiti VII. pag. 858.* novus anni numerus MCCLXXXVII. cum ipſum initium ejus Capitis agere videatur de continuatione rerum, notato antea anno 1286, geſtarum: (" cum prædicto Junii tempore „ eſſet in Auguſta Meinhardus; in capite Kalendarum „ Septembrium, in ſedem Ducatus ſui ſolenniter col- „ locatur.) Sane annum inaugurationis Carinthiacæ 1286. diſerte ponit CONTINUATOR *Martini Poloni*, *loco citato* eademque die, *Calendis Septembris* id accidiſſe perhibet. Quantum colligo ex ſerie narrationis ARENPECKII *Chron. Auſtr. ad annum 1286, pag. 1233*, & OTTOCARI HORNECK *Cap. CCI. pag. 183. & 184.* omnino eodem anno Meinhardus Carinthiam in fidem recepit, quo eadem Auguſtæ donatus eſt. Errat tamen in anno ipſo Horneck, dum omnia iſta geſta eſſe anno 1284. ſub finem Capitis citati memorat. Nec audiendum itaque CHRONICON WEICHENSTEPHANENSE *Hieron. Pez Tom. II. pag. 405.* quod Meinhardum 1287. Ducem Karinthiæ, apud Auguſtam Rætiæ, inſtitutum eſſe perhibet.

Meinhardi IV. obitum CHRONICON STAMSENSE ita enarrat ad annum 1295: (" In vigilia omnium „ Sanctorum obiit ſæpe dictus Meinhardus Dux Ca- „ rinthiæ-----) Magna certe eſt autoritas hujus Chronici, dum diem mortis Fundatioris ſui refert. Conſentit ARENPECKIUS *Chron. Bavar. Lib. V. Cap. IV. pag.* 273.

273. *Bern. Pez Tom. III. Anecdot. Part. II.* Verum de *Die obitus* litem movet Scriptor Synchronus OTTOCARUS HORNECK *Cap. 648. pag. 593. Hier. Pez Tom. III*, qui anno 1295. ipſa *Die omnium SS.*, ſeu Calendis Novembris, deceſſiſſe Meinhardum diſerte admodum proponit.

(" Das der Tod an im geſigt
„ Das was, da man ſpurt
„ Nach Chriſti gepurt
„ Tauſend jar, und zwei hundert
„ Und fünf und neunzk auch beſundert.
„ Nach der Warheit ſag
„ An aller Heyligen tag.)

Quæ latine ita ſonant: (" Quod mors ipſum „ (*Meinhardum*) vicerit, Hoc contigit, dum notaba- „ tur poſt Chriſti Nativitatem annus Milleſimus, & „ ducenteſimus, & nonageſimus quintns; ſecundum „ veritatem dico, die omnium Sanctorum.) Quod ſi circa mediam noctem ultima Octobris ſupremum ſpiravit Meinhardus: proclive erat, ut alii eidem, alii ſequenti diei ejus obitum adſcriberent. Et vero *Vigiliam*, tempus omne a primis veſperis, ad alteras ipſius diei Feſti veſperas, interdum appellatum fuiſſe, obſervavit acute DOCTISSIMUS ROSENTHALIUS e Diplomatis duobus, ubi aliter conciliari anni numerus non poterat. Quare ipſa quidem die Prima Novembris, ſed ante Veſperarum tempus, obiit Meinhardus: ita Chronicon Stamſenſe cum Hornecko conciliari aptiſſime poteſt.

Lo-

Locum obitus BURGLEHNER *Lib. XIII Cap. V.* Urbem Oenipontem nominat; ſed credendum hic potius HORNECKO, qui *L. C.* de *Greiffenberg* Carinthiæ oppido, & Caſtro id refert: Meinhardum, Græcio diſcedentem, Marchiam Vinidorum, & Carnioliam viſitaſſe; ibi cum ægrotaret, juſſiſſe ſe in Tyrolim duci: at ingraveſcente morbo, judicio medici, ſiſtere coactum *Greiffenbergæ*, ibi pie obiiſſe. De loco ſepulturæ Meinhardi IV. in Monaſterio Stamſenſi in Tyroli (quod ipſe, cum Uxore, Ciſtercienſis inſtituti viris fundaverat, primum 1273, & compleverat 1275) conſentiunt OTTOCARUS HORNECK, & CHRONICON STAMSENSE *locis citatis.* Epitaphium vetus Rhytmicum profert HASELBACHIUS *Chron. Auſtr. Lib. III. pag. 803. Hieron. Pez Tom. III.*

(" Heu Meinhard Actor Pacis, litisque ſubactor,
„ Cœnobii Factor, hujus Pius & Beneſactor,
„ Qui ſimilem neſcit, Dux, & Comes hic requieſcit,
„ Bis quingentenos annos, deciesque vicenos
„ Et nonagenos jungas, medios quoque denos
„ Poſt obitum Chriſti, dum lux hæc tollitur iſti.)

III. *Eliſabetha*, Ottonis Illuſtris, Bavariæ Ducis ex Agnete Palatina, filia, certa uxor eſt Meinhardi, Vidua eadem Conradi Regis Romanorum, Filii Friderici II. Imperatoris. Nuptiarum annum, diem, locumque adnotavit CHRONICON AUGUSTENSE *Freheri Tom. I. pag. 533. ad annum MCCLIX.* (" Meinhardus Comes „ Goritiæ duxit in uxorem Dominam Eliſabeth ſoro„ rem Ludovici, & Henrici Ducum Bavariæ, relictam

„ ctam Conradi Regis, in octava Michaëlis, apud „ Monachum celebratis.) Idem habet *Hier. Pez Tom. II. pag. 77. Chron. Anonymi Bavar.* ad annum 1259. Conradinum Regem, Eliſabethæ Filium, non ita contrarium his nuptiis aut fuiſſe, aut perſtitiſſe, ut VITODURANUS, *apud Eccardum Corp. Hiſt. Medii Ævi Tom. II. pag. 1741.* & *apud* LEIBNITIUM *acceſſ. Hiſtor. Tom. I. pag. 15.* narrat; colligo e duabus Tabulis, quas indicat *Collectio Document MSta* P. ANT. STEYERER *Tom. VI. fol. 29. & 35.* quibus idem Conradus (ſeu Conradinus) Rex *anno 1266. Indictione IX. 6. Novembris Oeniponti*, & *anno 1267. VI. Kalend. Januarii Veronæ*, Meinhardo, & Eliſabethæ varia caſtra oppignarat, *pro dote Matris ſuæ Eliſabethæ Goritienſis Comitiſſæ.* De Eliſabetha, Meinhardi IV. uxore, memorabilis eſt locus *Chronici Stamſenſis MSti* a CL. ROSCHMANNO producti, cujus partem dedi *Cap. III. N. XIV.* En totum: („ Defuncto Patre Fundator noſter Comes Goritiæ, & Tyrolis anno proximo ſequenti, hoc eſt, quinquageſimo nono, matrimonium contraxit cum ſereniſſima D. Eliſabetha, „ Ottonis Ducis Bavariæ, ſeptemvirique filia, relicta „ Vidua Conradi IV. Siciliæ, Hieroſolymorum, ac „ Romanorum Regis, Ducis Suevorum, matreque „ que Conradini, ultimi Suevorum Ducis, Neapoli „ Capite truncati.) Neque documenta deſunt alia; in *Collectione MSta* P. ANTONII STEYERER *Part. VI. fol. 7, & 11.* Duæ Chartæ donationis referuntur ubi: („ Meinhardus Dei gratia Comes Goritiæ, Tyrolenſis, „ & Advocatus Aquilejenſis donationem facit Conjugi „ Eliſabethæ, ſorori Ludovici, & Henrici Com. Palat. Rheni, & Bavariæ Ducum, de Caſtris Monta-

„ ny ----- Actum apud Monachium anno 1259. in „ die Beati Dionyſii.)

Dies S. Dionyſiii Areopagitæ videtur hic accipienda; quippe quæ ceteris SS. Dionyſiorum diebus magis nota ſit in Germania, quæ IX. Octobris celebratur.

Eadem ſubinde Die S. Dionyſii, nona Octobris, anno 1273. ad meliorem vitam tranſiit *Eliſabetha*, teſte CHRONICO STAMSENSI *pag. 457.* („ Anno Domini „ MCCLXXIII. in die S. Dionyſii obiit prædicta Do- „ mina Eliſabeth, Fundatrix hujus Cœnobii, hic ſe- „ pulta.) Eadem repetit ARENPECKIUS *Chron. Bajoar. pag. 273.*

Agnetem Auſtriacam Hermanni Badenſis, & Gertrudis Auſtriacæ filiam, quæ primo connubio Udalrico Duci Carinthiæ juncta erat, *ſecundis nuptiis* Meinhardo noſtro ſociatam fuiſſe, non HÜBNERUS modo *Tab. 123. Partis I.* Sed etiam Eruditi recentiores alii credidere. CL. JOANN. G. HOFFMANNUS *in diſſertatione Genealogico-Hiſtorica de Stemmate Babenbergico-Auſtriaco emendato, in Tabula Genealogica, & ſub finem diſſertationis:* Agnetem Auſtriacam *tertiis nuptiis* Meinhardo adſcribit, ſed ſola autoritate LAZII in *Chorographia Auſtriæ.* Priorem illam opinionem de *ſecundis* Agnetis nuptiis cum Meinhardo IV, confutavit PESLERUS in *ſerie Ducum Carinthiæ pag. 91.* ex CHRONICO AUSTRALI ad *annum 1268.* & ex ANONYMO LEOBIENSI *ad annum 1268.* Qui *Ulrico Heunburgico Comiti* (non Meinhardo) Agnetem alteris votis nupſiſſe perhibent, urgente Ottocaro Bohemiæ Rege. Solidius porro etiam hanc rem pertractat R. P. SIGISMUNDUS CALLES S. J. *in Annalibus Au-*

Auſtriæ, *Part. II. Lib. VII. pag. 479. in nota B.* Ex Synchrono HORNECKO, & ex Litteris ipſius *Ulrici Comitis de Heunburg*, item *Filiorum* ejus, quæ in *Collectione MSta* R. P. STEYERER *Tom. III. habentur.* His adjungi poteſt, præſertim contra *tertias Nuptias* Agnetis cum Meinhardo, NECROLOGIUM *Minoritarum Viennenſium*, HIER. PEZ *Tom. II. pag. 472.* (" IV. Nonas Januarii „ Domina Agnes de Hamburg Comitiſſa, hic ſepulta „ in Choro noſtro, cujus anniverſarius celebretur, „ quæ obiit anno Domini, MCCCXLV.) Obiit ergo Agnes, ut Comitiſſa Heunburgi: non igitur, ut Meinhardi Conjux, *Tertiis votis* eidem adſcripta.

Meinhardi IV. & *Eliſabetha* Bavaræ quatuor filii memorantur, filiæ duæ. Omnes hos felicis Conjugii fructus, quando morte carpti ſint, memorat laudatum CHRONICON STAMSENSE, *Ottonem*, *Albertum*, *Ludovicum*, *Henricum*, *Eliſabetham*, omiſſa ſola *Agnete* filia. Inſtitutorum Carinthiæ Ducum, Meinhardi IV filiorum, nomina recenſet Epitome Documenti REPERTORII AUSTRIACI *Part. I. fol. 10.* (" Litteræ collati „ feudi a Rege Alberto ſuis Affinibus, Ducibus Ot- „ toni, Ludovico, & Henrico, Comitibus Tyrolis, „ de Ducatu Carinthiæ. Datum Spiræ, anno 1299.) *Albertus* hic non memoratur; quia teſte STAMSENSI CHRONICO jam anno 1292, ante Patrem Meinhardum obierat. IV.

Omnem Meinhardi IV. ſobolem enumerat ANONYMUS LEOBIENSIS *Lib. II. Cap. I. ad annum 1272*, *pag. 836. Hieron. Pez Tom. I.* (" *Meinhardus* Comes, Alberto „ Patre, ex filia Marchionis Andacenſis Viri nobiliſſimi

„ ortus, ex Regina *Eliſabeth* quatuor habuit filios:
„ primum *Ludowicum*, qui non fuerat conjugatus; ſe-
„ cundum *Albertum*, qui Alberti, Comitis de Hajer-
„ loch, filiam duxit, ex qua genuit filiam, quæ Fri-
„ derico Burggravio de Norenberg nupſit, & utrius-
„ que ſexus fœtum protulit copioſum. Tertium *Ot-*
„ *tonem*, qui filiam Ducis Poloniæ, & ex ea quatuor
„ filias progenuit, quarum una in Siciliam Friderici
„ Regis Filio Petro copulata, usque hodie cum libe-
„ ris poſſidet Regnum illud; altera Rudolfo, filio Ru-
„ dolfi Palatini, traditur, de qua unam filiam pepe-
„ rit, & deceſſit: aliæ duæ florem Virginalem morien-
„ tes ad cœleſtia transtulerunt. Quartum *Hainricum*,
„ qui tres uxores habuit, cujus in ſcriptis mentio dif-
„ fuſior eſt habenda. Duas quoque filias habuit dictus
„ comes (Meinhardus) una fuit Lantgravio Thurin-
„ giæ conthorata, & genuit Fridericum, Lantgravium
„ Thuringiæ, & Myſnenſium Marchionem; Alberto
„ nupſit altera, Rudolfi præfati Comitis filio, quæ
„ Duciſſa Auſtriæ, & Regina Romanorum, ſicuti in-
„ ferius exprimitur, eſt effecta.)

Placuit hoc veluti Thema Genealogiæ Meinhardianæ proponere, quod accuratius deinceps enucleabitur. Errorem dupplicem hic admiſit ANONYMUS, priorem in *Alberto*, Meinhardi IV. appellato Patre, quem diluimus *Cap. III. a N. XVIII. ad XXII.* Alterum errorem obſervo, quod *Ludowicum* primogenitum cenſeat; cum Diplomata aliaque Documenta, ubique primo loco *Ottonem* conſtituant. Sane ut hic alia omittam, BURGLHNEER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 233.* memorat in Litteris Adolfi Regis Romanorum 1296. circiter

ter datis, appellari: *Ottonem*, *Ludovicum*, & *Henricum* fratres, tantum nobiles de Tyrol, quibus Imperii Banno percellebantur idcirco, quod Alberto Auſtriaco, Affini ſuo, aſſiſterent contra Adolfum. Idem BURGLEHNER *ibidem pag. 234.* („ Otto, Ludovicus, Hen„ ricus, fundant quædam beneficia in monaſterio Be„ nedicts-Beyrn: Datum Inſpruck anno 1298.) Idem *Ottonem* anno 1301. ut *natu majorem*, ſuo, & fratrum nomine, feuda Tyrolenſibus contuliſſe perhibet. Vivebant etiam anno 1302. *Ottonis* fratres *Ludovicus*, & *Henricus*, *Alberto* anno 1292. erepto, uti deinde oſtendemus. Eodem anno 1302. Anagniæ, a Bonifacio VIII. P. M. Epiſtolam, VII. Kal. Septembr. ad Ottobonum Patriarcham Aquilejenſem ſcriptam, profert RAYNALDUS, *in annal. Eccleſ. ad annum 1302. pag. 569. Tom. XIV. Contin. Annal.*, in qua de ſacrorum communione, Meinhardi filiis reſtituenda, agitur, atque ibidem binis vicibus hoc ordine appellantur: *Otto*, *Ludovicus*, & *Henricus*. Pari ratione proponitur in ROUSSET *ſupplem. au Corps Diplomat. Tom. I. Part. II. pag. 8.* („ Pax inter *Ottonem*, *Ludovicum*, & *Henricum* Duces „ Carinthiæ, Advocatos Eccleſiarum Aquilejenſis, „ Tridentinæ, & Brixinenſis, eorumque ſequaces ex „ una, nec non Capitaneos, & communia Mantuæ, „ & Veronæ ipſiusque adhærentes ex altera parte --- „ Actum Veronæ XXIX. Decembris 1301., Indict. „ XIV. cum ratificationibus Actum Veronæ, & Man„ tuæ, Menſe Januario 1302. Indict. XV.)

Ordinem ætatis quatuor filiorum Meinhardi omnem certo docent ſequentia ab Amicis Doctiſſimis communicata, ex originariis deſumta. CL. ROSCHMANNUS

vidit litteras Inveſtituræ Meinhardi Carinthiæ Ducis, Comitis Tyrolis, pro Henrico Clavigero ſuo in Griez, de uno jugero in Eysicher aue (*Inſula*) eidem in feudum conceſſo (" Datum coram his teſtibus Ottone, „ Alberto, Ludovico, & Henrico filiis noſtris Kariſ„ ſimis &c. Anno Domini Milleſimo CCLXXXX, „ XV. exeunte Aprili (16. Aprilis) Indictione III. „ apud Burchſtall.) Alterum Documentum originarium, a PERILL. ROSENTHALIO viſum, ita notatur: Litteræ reverſales Abbatis, & Conventus Monaſterii in Stams, ſuper fundatione anniverſarii, facta ab Henrico, Bohemiæ Rege, Duce Carinthiæ, & Com. Tyrolis. *Datum anno MCCCXII.* die S. Galli his verbis: (" Ipſi repromittimus, quod Progenitorum ſuorum „ Meinhardi & Eliſabethæ, ac fratrum ſuorum Otto„ nis, Alberti, & Ludovici, & Agnetis ſororis ſuæ „ Anniverſarium celebrabimus.) Colligitur præterea: hos omnes anno 1312. jam obiiſſe; vixiſſe vero etiamnum Eliſabetham, Alberti I. Auſtriaci, Regis Romanorum, viduam.

Ex his, aliisque ſatis perſpicuum fit: *Ottonem* fratrum natu maximum, proximum *Albertum:* deinceps *Ludovicum*, & *Henricum* in lucem editos fuiſſe. Sane diſerte *Primogenitum Ottonem* anno 1310. Die S. Urbani Papæ, ſeu XXV. Maji obiiſſe, & eſſe ſepultum *in Stams*, teſtatur ejus loci CHRONICON, item VITUS ARENPECKIUS *in Chron. Auſtriaco pag. 1233. Hier. Pez Tom. I.* Oeniponte deceſſiſſe Ottonem, perhibet BURGLENER *Lib. XIII. Cap. V.*

Uxor

Uxor Ottonis ab ANONYMO LEOBIENSI appellatur V. duntaxat *Filia Ducis Poloniæ.* Sed eum Ducem Poloniæ, Nomenque filiæ, totamque fere illam Familiam ita nobis paucis aperit DLUGOSSUS *Lib. VIII. ad an. 1296. pag. 886, & 887.* loquens de Henrico III. (seu V.) Wratislaviæ Duce, Boleslai II. Piastæ filio: (" Dux „ Henricus Wratislavienſis poſt triduum, octavo vi- „ delicet Martii die, moriens, in Monaſterio San- „ ctimonialium S. Claræ ſepelitur; Tres Filios, ut „ præmiſimus, & quinque Filias relinquens: Hedwi- „ gim, quæ deſponſata fuerat Marchioni Brandebur- „ genſi - - - - Annam, Helenam, & Eliſabetham, or- „ dinem S. Claræ in Gneſna profeſſas, & Euphemiam, „ alias Oſkam, Ottoni Marchioni Carinthiæ deſpon- „ ſatam.) Simi ia his, a MATH. DE MICHOVIA, *Lib. IV. Cap. III.* a CROMERO *in fine Lib. X. a* CUREO *Part. I. Annalium:* a POHLIO *in Annalibus Wratislavienſibus MStis,* prodita eſſe, monet SOMMERSBERGIUS *Sileſ. Rer. Script. pag. 332.*

Euphemiæ hujus obitum HUNDIUS *Stemmat. Bavar. Part. I. pag. 77.* aſſignat anno 1347; ſepulta eſt in urbe Meran Tyrolis, in Parthenone S. Claræ, quod ipſa fundaverat. BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 234.* idem de Euphemiæ obitu tradit, de cujus Stirpe dubitabat. Sane non ante annum 1347. mortuam eſſe Euphemiam hanc Seniorem, conficit Charta hoc eodem anno 1347. ab ipſa Euphemia edita, in Ried, a CL. ROSCHMANNO viſa, qua Monaſterio ab ſe Fundato in Meran, triginta marcas argenti, variaque jura, & poſſeſſiones impertitur.

Ex Ottone, & Euphemia quatuor filiæ, teſte ANONYMO LEOBIENSI, natæ ſunt, quarum priores duæ Virgines obiere. Nomina duarum Ottonis filiarum notat HUNDIUS: *Eliſabethæ*. & *Deſerentæ*, quæ potius *Anna* dicenda eſt; ut mox videbimus. Nomina reliquarum duarum Ottonis filiarum debemus *Collectaneis* Clariſſimi Viri ROSCHMANNI. Ex his aſſero Nomina trium filiarum Ottonis Ducis ſequenti ordine: *Urſula*, *Euphemia*, & *Anna*; aliunde deducemus quartam *Eliſabetham*. Priores duas innuptas anno 1331. vel ante obiiſſe, teſtantur Litteræ Euphemiæ Matris, quibus fundat duas Aras, & perpetuum ſacrum in aſceterio S. Claræ ad Meran: ubi inter cetera hæc verba, latine reddita leguntur: („ Duciſſa Offmein, uxor & „ conſors, piæ memoriæ, Ottonis Ducis, pro dilectarum filiarum noſtrarum Urſulæ & Offmein, animabus, quibus Deus propitius ſit, Ordini S. Claræ „ ad Meran ---- Datum in Ried anno 1331. die Jovis ante Pentecoſten.) id eſt, *16. Maji*; nam Pacha erat ultima Martii.

Porro e duabus hiſce ſororibus priorem obiiſſe *Offmein*, ſeu *Euphemiam*, docet probabiliter alia Charta Euphemiæ Matris, ita a Doctiſſ. ROSCHMANNO adnotata: („ Offmein Duciſſa dat Monaſterio ad Meran, „ cujus nos Fundatrix ſumus, ubi noſtra dilecta filia „ Offmein Duciſſa Carinthiæ depoſita, & ſepulta eſt, „ Duodecim Marcas pecuniæ ad villam in Paslan ---- „ Datum in Meran 1331.) *Sigillum Ofmiæ Dei gracia Duciſſæ Carinthiæ, Comitis Tyrolis.* Sedentis illius figura, in ſella inſtrata, a dextera ſignum Carinthiæ, a ſiniſtra ſignum Tyrolis (vel potius Aquilæ Sileſiæ) in ce-

cera alba. Cum hic ſolius *Offmein* filiæ defunctæ fiat mentio, ea prima obiiſſe videtur. Deinde *Annam* tertiam Ottonis, & Euphemiæ filiam obiiſſe poſt 16. Maji 1331, & ante finem æſtatis anni 1335. conficitur cum ex Tabulis Offmein Matris modo memoratis, tum e ſequentibus ejusdem Offmein Duciſſæ Carinthiæ: ("pro „ dilectione animarum noſtri, beatæ memoriæ, Con- „ ſortis --- & noſtrarum chararum filiarum Urſulæ, „ Offmein, & Annæ, donamus - - - - - - - - Datum „ in Sernſtein anno 1335. die Mercurii, ad Sancti Udal- „ rici diem.) *Germanice: Des Mittichs an Sanct Ulrichs tag.* Quoniam hoc anno 1335. feſtum S. Udalrici (quod 4. Julii, vel olim 4. Junii, alibi, eſt celebratum) non incidit in diem Mercurii; puto illud: *an den tag*, ſignificare proximam Diem Mercurii, ante, vel poſt 4. Julii.

Ottonis Ducis filiam, ſeniorem Eliſabetha, *Annam*, Rudolfo II, Comiti Palatino, Conjugem ceſſiſſe eandemque anno 1331. vitam terminaſſe, ac Rudolfum 1335. obiiſſe, diſcimus ex FREHERO, *Orig. Palat. Part. I. Cap. XVII. pag. 121. Edit. 1613.* Hanc vero Annam HUNDIUS *Stemmatogr. Bavar. Part. I. pag. 78.* ex PUTSCHII *Annal. Tirol.*, item BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 234*, & FUGGER BIRKENII *Spec. Honor. Domus Auſtriacæ Cap. VIII. pag. 342:* appellant *Deferentam*, vel *Deſerentam*, Rudolfi, Ducis Palatini ad Rhenum, & Bavariæ, uxorem: itaque *Anna* duplici nomine: *Anna Deſerenta*, vel *Deferenta* compellata fuerit: *Annæ* nomen certius eſt ex Diplomate. VI.

Præter ANONYMUM LEOBIENSEM, *Eliſabetham*, quartam Ottonis filiam, Petro Siciliæ Regi collocatam, prodit HUNDIUS *Stemmat. Bavar. Part. I. pag. 78.* Idem certius conſtat ex Epitome Documenti REPERTORII AUSTRIACI *Part. II. fol. 566.* („ Scripta obligatio a Regina Eliſabetha Regis Petri de Sicilia Uxore, quæ filiæ ſuæ Beatrici, Comitis Joannis Henrici de Gœrz uxori, tradit hereditatem in Carinthia ſitam, matris ſuæ Dominæ Offmein Duciſſæ. Anno 133--.) *Sigillum abruptum eſt.* Conferri cum iſtis poſſunt ea, quæ de hac *Eliſabetha*, Euphemiæ, & Ottonis filia, ac *Beatricis* matre *Cap. IV. N. VIII.* dicta ſunt, ad annum 1335. Eodem *Capite*, *& Numero* actum eſt de Beatrice, *Petri* Regis, & *Eliſabethæ* Carinthiæ filia, Sponſa Joannis Henrici Goritiæ Comitis.

Eliſabetham circa annum 1343. marito privatam fuiſſe, perhibet ad hunc annum ANONYMUS LEOBIENSIS *Lib. IV. pag. 964. Hieron. Pez Tom. I.* („ Moritur & hoc tempore Petrus Rex Siciliæ, cui ſucceſſit filius ſuus ſenior, natus ex filia Ottonis Ducis Carinthiæ.) Sed de anno, ac die mortis Petri Regis 1342, VIII. Auguſti, ſtandum potius eſt accuratiore narratione THOMÆ FAZELLI, *de Rebus Siculis Poſter. Decadis Lib. IX. Cap. IV. ad finem* (*edit. 1579. Francofurt.*) *pag. 489.* qui ita habet („ Petrus Rex - - - - - - - - morbo correptus 1342. ſexto idus Auguſti, cum ſexdecim regnaſſet annos - - - fato eſt functus.) Mendum eſt in vocabulo *ſexdecim* pro quo reponendum *ſex* annos, nam *Capite III. ad finem* idem FAZELLUS Fridericum II, Patrem Petri, obiiſſe docet anno 1336. XII. Calend. Ju-

Junii: & *initio Capitis IV*, Petrum *poſt mortem Patris Regem Siciliæ ſalutatum fuiſſe*. Enimvero ab anni 1336. die XX. Junii, ad 1342. diem VIII. Auguſti, non niſi *ſextus* currebat annus. Mendum idem, & eundem annum, ac diem obitus Petri habet Editio FAZELLI *Græviana Tom. IV. Siciliæ, locis Fazelli citatis*. Denique filiarum Ottonis aliquam ſponſam anno 1308, oblatam eſſe Henrici Com. Babenich filio, dixi *Cap. IV. ad finem*.

Poſt Ottonis enarratam progeniem, ad alterum Meinhardi IV. filium progredimur, *Albertum* nomine, qui fratrum primus mundo valedixit. De hoc ita CHRONICON STAMSENSE: (" Anno Domini MCCXCII. „ in die S. Georgii Martyris obiit Albertus Illuſtris Dux „ Carinthiæ, filius Fundatoris noſtri, hic tumulatus.) HUNDIUS *Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 13.* ex AVENTINO narrat: in obſidione Urbis S. Viti in Carinthia anno 1292. Albertum occubuiſſe; ſed fabulam hoc ſapit, ut in *Chronico noſtro* dicetur.

Uxorem *Alberti* Ducis, fuiſſe filiam Alberti Comitis de Heierloch, ANONYMO LEOBIENSI adſtipulatur HUNDIUS *Stemmat. Bavar. Part. I. pag. 77.* qui *Agnetem* vocat *Alberti uxorem, filiam Comitis Alberti de Hochenberg, & Hejerloch in Suevia, ſororem Dominæ Annæ, uxoris Rudolfi Regis*. Illud peccat HUNDIUS, quod Albertum *Primogenitum* Meinhardi, Ducis Carinthiæ, filium appellet; Ottoni enim primum illum locum deberi ſatis demonſtravimus. Ante annum 1281, vix ratum, minus conſummatum fuiſſe iſtud Alberti, & Agnetis matrimonium, docet Charta indicata *Repertorii Auſtriaci Part. III. fol. 556.* qua (" Meinhardus Comes Go-

„ ritiæ, & Tyrolis promittit Rudolfo Romanorum „ Regi, ſe liberas ceſſurum Marcas mille ducentas, in „ Carniolia oppignoratas, ſi nuptiæ inter Albertum, „ ipſius Meinhardi filium, & filiam Comitis Alberti „ de Hohenberg ob alterutrius mortem non proceſſe- „ rint.)

De Alberto illo, Agnetis Patre, hæc memorat ALBERTUS ARGENTINENSIS *apud Urſtiſium Part. II. pag. 106.* (" Albertus de Hohenberg & Haigerloch, frater præ- „ dictæ Reginæ Dominæ Annæ, duos Comitatus ha- „ buit antiquos valde, ſcilicet Haigerloch, & Hohen- „ berg: & ſiti ſunt in corde Sueviæ, & dicebantur „ Comites de Hurmingen, & illi Comites fuerunt po- „ tentes, in Suevia, & Alſatia.)

Annum obitus Ducis *Alberti* 1292, & nomen Uxoris *Hochenbergicæ Agnetis*, ac Patris ejus *Alberti*, certiora reddit Synopſis Documenti REPERT. AUSTRIACI *Parte VI. pag. 18.* (" Relatio Adolphi Regis Rom. „ de donatione facta ab Agnete Hochenbergica, Pa- „ tri ſuo Alberto Comiti de Hohenberg: cui apud „ Briſacum donat 1500. Marcas argenti, dotem nem- „ pe ſuam, ab eodem acceptam, & ſimul 100. Mar- „ carum reditus, cum Caſtro Montanien, quod a ma- „ rito quondam ſuo - - - - - Meinhardi Ducis Carin- „ thiæ filio, acceperat. Actum anno 1293. Regni ſui „ ſecundo, menſe Septembri.)

VII. Filiam Albertus ex Agnete ſuſtulit *Margaretham*, quæ *Fridericum IV.* Burggravium Norimbergenſem, Friderici III, & Eliſabethæ Meraniæ filium, maritum ſor-

ſortita eſt: ex eo matrimonio, teſte ANONYMO LEOBIENSI *utriusque ſexus copioſus prolatus eſt fœtus.*

Tertio loco genitum, Meinhardi IV. filium, *Ludovicum* paucis abſolvemus. Vidimus eundem cum fratribus duobus aliquoties memoratum. Naturæ penſum perſolvit anno *1305. die S. Mauritii*, id eſt, die XXII. Septembris, ſepultus in Stams: uti narrat JULIANUS *in Chronico Forojulienſi pag. 30. in Appendice Commentar. Aquil. P. Rubeis.* CHRONOLOGUS STAMSENSIS, & HUNDIUS *pag. 78.* qui etiam cœlibem Ludovicum obiiſſe, cum ANONYMO LEOBIENSI conſentit.

In *Tabula Genealogica* CL. PESLERI videtur errore typographi poſita eſſe dies XXII. Aprilis loco XXII. Septembris. Nam feſtum S. Mauritii in Septembrem incidit, non in Aprilem. Vide CÆS. BARONII *Martyrologium*: item Diploma indicandum inferius *N. XIII. ſub initium.* Ubi diſerte dies XXII. Septembris dicitur dies S. Mauritii.

Henrico, ordine quarto, Meinhardi filio, interea prætermiſſo, binas ejusdem Sorores expedire libet: *Agnetem*, & *Eliſabetham*, quam Agnete multo ſeniorem fuiſſe, e tempore nuptiarum utriusque patebit. *Agnes* Friderico Landgravio Thuringiæ, & Marchioni Miſniæ Alberti filio, conjux obvenit. Eliſabetha vero Alberto I. antea Comiti Habſpurgi, dein Duci Auſtriæ, denique Regi Romanorum, filio Rudolfi I. Cæſaris, matrimonio conjuncta eſt. Sponſalia quædam pacta Rudolfum inter, & Meinhardum, Sponſorum Parentes, ante anni 1273. diem XXIX. Septembris, ſeu ante feſtum S. Michaëlis, quo Rudolfus Rex Romanorum electus eſt, interceſſiſſe, conficitur, ex ANO-

NYMO LEOBIENSI *ad an. 1272. pag. 836.* (" Alberto nupsit altera (Meinhardi IV. filia) Rudolfi prafati „ Comitis filio, quæ Ducissa Austriæ, & Regina Romanorum, sicut inferius exprimitur, est effecta. „ Meinhardus metuens, quod Rudolfus de contractu „ hoc animum immutasset, propter excellentiam sui „ status; misit ad eum, postquam Regnum est adeptus, si persisteret in pactis? qui respondit: Meinhardum de tanto genere processisse, ut pudere non „ debeat quemlibet Regem, fœdera matrimonii subiisse.)

Hæc ex HORNECKI *Chronico Rhythmico Cap. 124, pag. 130.* sumpsisse videtur ANONYMUS, nam ita versus illius, latine isthic a nobis redditi, habent: ("Antequam Regnum susceperet (Rudolfus) evenit contractus matrimonii votis, & verbis, inter ipsum, & „ Comitem Meinhardum, Dominum Tyrolis, quod „ ipsi bene vertit. Filia Meinhardi vocabatur Elisabetha (Elspet - - -) & cum Rex Romanorum electus est, honestus, & pius Comes Rudolfus; tum „ prudentiam suam ostendebat Comes Meinhardus, „ agebatque ut vir sapiens, & Regis mentem exquirebat: num acquiesceret statutis antea sponsalibus? „ Respondit Rex in publico: Ita sane, sponsalia firma „ stent, neminemque Regem decet dedignari cum „ Meinhardo nuptialia pacta inire; & mox jussit confirmari nuptialia pacta, & opere compleri.

Hæc narrantur ad annum 1276, quo Rudolfus, Austriam cum exercitu ingressus, Viennam obsidebat. Itaque certa videntur ex dictis hæc duo: I. Sponsalia inter Elisabetham Meinhardi filiam, & Albertum Ru-

Rudolphi filium ante Septembrem anni 1273. conveniſſe; II. nuptias vero ipſas anno 1276. celebratas eſſe. Conſentiunt plane cum his, quæ HAGENUS *in Germanico Auſtriæ Chronico pag. 1087. Hieron. Pez Tom. I.* protulit, qui eo tempore, quo Rudolfus Viennam petiit, id eſt anno 1276. ait: *conſummatum eſſe Matrimonium* inter Albertum, & Eliſabetham. Ex his confutantur ea, quæ in *anno*, & *modo* nuptiarum Alberti, & Eliſabethæ peccavit ALBERTUS ARGENTINENSIS, in *Chronico ad annum 1273. Urſtiſii Part. II. pag. 100, & 101*, qui ita ſcribit: („ Tempore autem electionis „ Regis (Rudolfi) iverat Albertus ad Comitem Tyro„ lis, ad recipiendam Eliſabeth filiam ſuam, & intel„ ligens Comes electionem Regis, Alberto filiam illi„ co copulavit.)

Pluribus ſubinde annis Eliſabethæ occurrit mentio, ſed quæ non eſt hujus loci. Viduam reliquit Albertus, a Joanne, fratris Rudolfi filio, & conjuratis confoſſus *anno 1308. Calendis Maji, in meridie* ut habet ALBERTUS ARGENTINENSIS *pag. 114. Urſtiſii Part. II.* Elapſo deinde quinquenio, ſecuta eſt Maritum Eliſabetha, prima illa Auguſtæ Stirpis Habſpurgo-Auſtriacæ fœcunda parens, de qua CHRONICON STAMSENSE *pag. 458.* („ Anno Domini MCCCXIII. V. Kalendas Novem„ bris (28. Octobris) obiit Sereniſſima Domina Eliſa„ beth, relicta Domini Alberti, Regis Romanorum, „ & mater omnium decem prædictorum liberorum, & „ fuit filia Prædicti Principis Illuſtris Meinhardi Du„ cis Karinthiæ, Fundatoris noſtri.) Sepulturæ locum Kœnigsfeldam (ubi Agnes, Alberti, & Eliſabethæ

thæ filia, in loco Paternæ cædis duo Cœnobia erexexerat) indicat Tabula illa appenſa, quæ ſepultorum nomina continet. Teſte FUGGERO *Birkenii Lib. III. Cap. XI. pag. 373*, quæ ita (latine reddita) inchoatur: („ In hoc ſepulchro jacent præcelſa Dominatione de „ Auſtria Nobiles Domini, & Dominæ, uti deinceps „ ſcripti ſunt: Primum Domina Eliſabetha nata de „ Carinthia, Regis Romanorum Alberti uxor, qui in „ hoc loco vitam amiſit - - - -) Tempus mortis, & ſepulturæ locum complectitur NECROLOGIUM MINORITARUM *Viennenſium Hier. Pez Tom. II. pag. 497.* („ V. „ Kal. Novembris anno Domini MCCCXIII. obiit „ Domina Eliſabeth, ſereniſſima quondam Romanorum „ Regina, ſepulta in Kunigsfeld, apud ſorores S. Cla„ ræ - - - - - - in Anniverſario Domini Alberti Ro„ manorum Regis mariti ſui.) Itaque mortem Eliſabethæ erroneo anno conſignatam legimus apud ANONYMUM ZWETLENSEM, *Hieron. Pez Tom. I. pag. 992.* („ Anno 1314. in die Simonis, & Judæ obiit ſereniſſi„ ma Domina Eliſabeth, Romanorum Regina, filia „ Domini Meynhardi Ducis Karinthiæ, relicta præſa„ ti Domini Alberti Regis.)

Ad Agnetem veniendum eſt, quæ, ut jam antea inſinuatum eſt, Friderico Landgravio Thuringiæ, & Marchioni Miſniæ, Alberti filio, copulata fuit. Pacta dotalitia anno 1285. memorantur in REPERTORIO AUSTRIACO *Parte VI. fol. 77.* („ Pacta nuptialia Mein„ hardi Tyrolis, & Goritiæ Comitis, Aquilejenſis, „ Tridentinenſis, & Brixinenſis Eccleſiæ Advocati, „ inter filiam ejus Agnetem, & Fridericum Lantgra„ vium Thuringiæ, Generum. Promittit Meinhardus

„ dus in dotem filiæ 4000. marcarum argenti, pro „ emendis bonis, Fridericus vero pro Morgenatu Ci- „ vitatem Hinberch, & Caſtrum Lochſtetta: Teſtis „ eſt Albertus Dux Auſtriæ, & Styriæ. Datum „ Viennæ in Caſtro. Anno Domini MCCLXXXV. „ Kal. Junii. Indictione XIII.) Diploma ſic incipit („ Nos Meinhardus --- Univerſis, ad quos præſens „ ſcriptum pervenerit, declaramus, quod cum &c.) Equidem CL. PESLERUS *pag. 94. & in Tabula Genealogica Ilda* jam anno 1282. nuptam fuiſſe tradit *Agnetem* Friderico Admorſo; ſed autoritatem non adſert pro eo anno; in ANONYMO enim LEOBIENSI, quem ſolum teſtem adhibet, nihil de hoc nuptiarum anno legitur; HÜBNERUM vero *Tab. 156. Part. I.* Ducem ſequi ſi voluit, id me non movet, ut aſſentiar: ſed ex ante prolato Diplomate arbitror nuptiarum tempus, ab anno 1285. ineunte, proxime abfuiſſe. Nuptias Agnetis, ac mortis ejusdem annum, ita conſignat CHRONICA *Marchionum Miſniæ, ac Genealogia eorum, Ludewigii Reliq. MStor. Tom VIII. pag. 246. §. CXXXII.* („ Frideri- „ cus ſiquidem, Marchio Miſniæ, & Thuringiæ Lant- „ gravius, filius Alberti, primo accepit uxorem „ Agnetem, filiam Ducis Carinthiæ, quæ obiit anno „ Domini MCCXCIII. genuit ex ea filium Frideri- „ cum, qui in juventute mortuus eſt.)

Ad Henricum, Meinhardi IV. filium natu mini- IX.
mum, ejusque uxores, ac ſobolem, ſuperius abruptus redit ſermo. Pleraque de Henrico, ejusdemque conjugibus, ac ſucceſſione, adeo ampliter, ab Eruditiſſimo illo viro, Patre ANTONIO STEYERERO S. J.

pertractata eſſe fatemur, *Commentariorum pro Hiſtoria Alberti II. Ducis Auſtriæ in Append. ad Cap. VII.* ut aliud laboris, ſi pauca demas, vix ſuperſit, quam in pauciora ut contraham, quæ ſuſius ille executus eſt, quædam confirmem, & fructus laborum Viri ſummi lætus carpam, e cujus MSta Documentorum Collectione alioqui plurimum lucis Goritienſi Genealogiæ, hujus opellæ decurſu, intulimus.

Henricum itaque cum fratribus memoratum vidimus anno 1298, & ſequentibus. Quo anno ad Coronam Bohemiæ, titulo Uxoris Annæ Bohemæ, evocatus ſit Henricus a parte Procerum: cum interea pars altera Rudolfum, Alberti Cæſaris filium, Regem adoptaret, diſpiciendum eſt. Pendet is Annus ex iis duobus, quorum uno Wenceslaus II. Senior obiit, altero filius ejus Wenceslaus III, de Stirpe Bohema poſtremus, occiſus eſt, Regnumque deinde Bohemiæ mox Henrico delatum. Difficultate ea res non caret: libet præmittere, quæ Autor Synchronus habet, *Continuator* COSMÆ PRAGENSIS, *in Præmiſſis ad Partem Ildam Chronicæ Pragenſis*, cujus verba ſequentia *e Codice MSto Bibliothecæ Capituli Metropol. Pragenſis* exſcripſit, & nobis impertiit vir litteratiſſimus PERILL. D. DE ROSENTHAL. (" Anno Domini MCCCV. obiit „ Wenceslaus Rex Bohemiæ (Senior) fundator Au„ læ Regiæ, ibidemque ſepultus eſt.

„ Anno Domini MCCCVI. Wencezslaus Bohe„ miæ, Hungariæ, & Poloniæ Rex: occiſus in Ol„ mucz, & ibi ſepultus, tandem per ſororem ſuam „ Elizabeth ad Aulam Regiam deportatus, & ibi ſe„ pultus.

„ An-

„ Anno Do. M. CCC. VII. obiit Rudolfus Rex „ Bohemiæ, qui fuerat Dux Auſtriæ. In Eccleſia „ Pragenſi ſepultus eſt.

Et inferius ipſa *Parte IIda:* („ Anno Domini „ MCCC. VI. Electoribus non concordantibus, vul- „ garis favor clamorem excitat, & Henricum, Du- „ cem Karinthiæ, Regem fieri Bohemiæ votis optat.

Wenceslaum III. Juniorem trucidatum eſſe anno 1306. Duo alii coævi Scriptores memorant: *Autor Chronici Aulæ Regiæ Cap. XVII. ad annum 1326*, dum agit de translatione exuviarum Wenceslai III. ad Aulam Regiam Olmuzio, FREHERI *Script. Rerum Bohem. pag. 54.* („ Wenceslaus tertius - - - - in Olmutz anno „ Domini MCCCVI. ætatis vero ſuæ XVIII. perfi- „ de interfectus - - -) Alter eſt SIFFRIDUS PRESBYTER, PISTORII *Tom. I. pag. 704. Edit. Francofurt. 1583.* („ Anno MCCCVI. Rex Bohemiæ Wenceslaus III. „ nondum coronatus, occiſus eſt - - - - hic cum eſſet „ adoleſcens vix ſedecim annorum, & noviter duxiſ- „ ſet filiam cujusdam Ducis Poloniæ in uxorem, eo- „ dem anno nuptiarum ſic miſerabiliter peremtus eſt, „ non relinquens heredem Regni. Tunc Barones di- „ cti Regni elegerunt Ducem Carinthiæ, ſororium ſci- „ licet, præfati Regis occiſi.) Idem SIFFRIDUS, Synchronus, ut videtur, Scriptor, ad annum 1305. perhibet, a Wenceslao II. ægrotante, regnum traditum eſſe filio. Conferamus jam, quæ R. P. STEYERER *Commentar. pag. 588. & 589. ex Hiſtoria MSta* FRANCISCI CANONICI PRAGENSIS *Part. II. Lib. I. Cap. XVIII.* refert. („ Anno MCCCV. nonas Octobris contraxit „ (Wenzeslaus III.) matrimonium cum Phiola filia

„ Ducis de Teſſin, & *ſequenti anno* Rex ſororem ſuam „ Seniorem, Annam Henrico Duci Carinthiæ Pragæ „ in matrimonium collocavit.) Quod ſi itaque, uti habet SIFFRIDUS, *intra annum* a Nuptiis ſuis (ſic accipio τὸ *eodem anno*) mortuus eſt Wenceslaus III; oportet eum anno 1306 ante Nonas Octobris obiiſſe.

X. Illud dubio caret: erraſſe *Chronicon Bohemiæ Ludewigianum Tom. XI. pag. 340*, dum obitum Wenceslai Junioris anno 1305. adſcribit; niſi illic error typi, vel ſcribæ eſt potius, quam Autoris: item CONTINUATOREM, *Martini Poloni*, ECCARDI *ſcript. Tom. II. pag. 1434.* qui ad *annum 1305.* ita ſcribit: („ Regno Bohemorum „ vacante, quidam de Principibus Bohemis Henricum „ Ducem Carinthiæ, quondam ſui Regis Generum, „ ad Bohemiæ Regnum vocant.) Sane Wenceslaus III. anno 1306. vixit, quo ſororem ſuam Henrico conjugem dedit, teſte FRANCISCO PRAGENSI. Viventem quoque anno 1306. Wenceslaum III, & nuptias Annæ, atque Henrici aut procul ab initio anni 1306. abfuiſſe, commonſtrant Tabulæ, a R. P. STEYERER *Commentar. pag. 589.* editæ, quibus tractatur de contradote Annæ ab Henrico danda, & ubi Wenceslai *viventis* iterata fit mentio; initium eſt: („ Nos Rudolfus, & Stepha- „ nus Dei gratia Comites Palatini Rheni, Duces Ba- „ variæ, Albertus Goritiæ, Ulricus de Heunberg „ Comites - - - - - - - Actum, & datum in Lands- „ huta Anno Domini M. CCC. VI., XXVIII. die Fe- „ bruarii, Indictione quarta.) BALBINUS *Epitome Rer. Bohem. Lib. III. Cap. XVI. pag. 309.* Wenceslaum III. obiiſſe ſcribit 1306. 4. Auguſti. Ita etiam HAGECII *Chro-*

Chronicon pag. 489. & CHRONICON SALISBURGERSE *Hieronymi Pez Tom. I. pag. 402.* Sed eam mortem IIItia Auguſti 1306. ponit DLUGOSSUS *Hiſtor. Polon. Lib. IX. pag. 913.*

Pro anno 1306. necis Wenceslai ſtat quoque CHRONICON WEICHENSTEFAN. *Tom. II. Hieronymi Pez pag. 405.* item HOFFMANNI *Chronicon Bohem. Germanicum, Hieronymi Pez Tom. II. pag. 1106,* & CROMERUS *Lib. XI. Hiſtor. Polon. & alii.* Sed enim, uti certe errant, qui Wenceslaum III. anno 1305. cæſum putant; ita damnari erroris illico non poſſunt, qui eam necem anno 1307. adſcribunt. NEPLACHONIS *Abbatis Opatovicenſis*, qui ſub Carolo IV. vixit, *Chronicon Bohemiæ pag. 1036.* HIERON. PEZ *Tom. II.* ita narrat: (" Anno Domini MCCCVII. Wenzeslaus juvenis in Regem Bohemiæ coronatur - - - - - - Hic Rex Wenceslaus juvenis in Olomucz occiditur.) Pro hac ſententia videtur ſtare DUBRAVIUS *Hiſtor. Bohem. Lib. XIX. pag. 155.* FREHERI *ſcriptor Bohem. ultima Parte*, qui anno quidem non adnotato, ſcribit: (" Sic periit Wenceslaus (junior) Rex, qui duobus tantummodo annis ab obitu Patris regnavit.) in margine FREHERUS ponit annum 1307. Sane quoniam Wenceslaum II. Seniorem, 1305. XXI. Junii, mortis penſum ſolviſſe, Scriptorum conſenſu conſtat, confirmaturque primum Epiſtola Wenceslai III. ad Ottobonum Patriarcham data, in qua mortui Patris meminit, adſcripto *anno Regnorum Bohemici & Polonici primo, die III. Idus Julii*, id eſt XIII. Julii, quæ Epiſtola refertur a CL. P. RUBEIS *Commentar. Aquil. pag. 813.* Deinde duobus Diplomatis ab Eruditiſſimo ROSENTHALIO viſis, & adnotatis:

Wenceslaus II. *anno 1305. VI. Id. Junii* Monaſterio S. Georgii Pragæ Villam Welenicz &c. donat. Eandem donationem confirmat Wenceslaus III. *die III. Nonas Novembris, Anno 1305. Regnorum ſuorum anno primo* nempe *Bohemiæ* regni reipſa: *Poloniæ*, prætenſione. Biennium itaque regnaſſe dici vix poterit filius, niſi ab anni 1305. medio, ſaltem annum 1307. attigiſſe dicatur; quod ſi vero 4. Auguſti cum HAGECIO, vel cum BURGLEHNERO *Lib. XIII. Cap. V.* 27. Auguſti, cæſus dicatur Wenzeslaus III, ſed anno 1307; biennium, & quod tantiſper excedit, nanciſcemur. Et vero ego quidem non inveni, in Documentis Diplomaticis ante annum 1307. titulum Regis Bohemiæ Henrico datum-

Etenim apud BURGLEHNER *Part. I. Lib. III. Cap. III. pag. 54.* Germanice exarata Charta indicatur, qua („ Otto, & Henricus Duces Carinthiæ, Comites Tyrolis - - - - - - - houorabili viro Domino Bertholdo „ dicto Maiſer, Præpoſito, & conventui Monaſterii „ in Inſula ad Bozen annuas 10. vecturas ſalis donant, anno 1306. in die S. Thomæ Indictione „ IV. (in den vierten Zaichen.) Hic tantum *Dux Henricus* dicitur, exeunte anno 1306. ſi Feſtum S. Thomæ, eſt S. Apoſtoli, vel Cantuarienſis Epiſcopi; Nam Thomas Aquinas nondum Sanctorum Albo ſolenni ritu inſertus erat. *Ibidem pag. 55.* („ Anna Regina Bohemiæ, & Comes Tyrolis donat Templo S. Magdalenæ in monte ad Trins annuas decem libras Monetæ Parmenſis. Datum Oeniponte 2. Octobris. „ Indictione V. Anno Domini 1307.)

Anna *Regina Bohemiæ* appellata eſt, non ob natales ſuos, quod eſſet filia & ſoror Regis; ſed ob Henricum Re-

Regem Bohemiæ, maritum ſuum. Nam ſi natalium cauſa id factum eſſet, in Tabulis, Landishuti editis, XXVIII. die Februar. anno 1306. (*in Commentar. Alberti pag. 589.* a R. P. STEYERERO allatis) non fuiſſet tantum compellata: *Domina Anna Ducissa Carinthiæ, ſoror Domini Wenceslai Bohemiæ, & Poloniæ Regis*, uti illic, vel *Domina Anna* tantum, vocatur.

Quoniam in *Feſto S. Thomæ*, nempe in Decembri anni 1306, Henricus *Dux* tantum appellatur, Wenceslaus III. vero *menſe Auguſto* peremtus eſt; atque Hiſtoricorum veterum plerique in eo conveniunt, (accedente Synchrono HORNECK *Cap. 774. pag. 770.* (*) *ſatim* poſt necem Wenceslai, a parte Procerum, Henricum Carinthum Annæ Bohemicæ maritum, Regem agnitum fuiſſe, & quidem tum in Bohemia præſentem; ſane ante Decembrem anni ejusdem, quo Wenceslaus III. periit, Henricus, Rex electus, Regis Titulo uſus fuiſſe videtur. Quare is annus eſſe videtur non potuiſſe 1306, cujus Decembri inclinante Henricus ſolum *Dux* ſcribitur; ſed erit annus 1307, cujus Octobri jam Regem appellatum eſſe Henricum, uxoris *Annæ* titulus *Reginæ* oſtendit.

Hæc

* Qui de ſepultura Wenceslai III, & inauguratione Henrici D. Carinthiæ in R. Bohemiæ, ita ſcribit:

(" Sy furten in hincz Prag,
„ Hamiſch Klag
„ Sach mon ſevv umb in haben,
„ Beſtat und begraben
„ Nach Kuniglicher Art
„ Er volligleichen vvart
„ Und da das geſchach
„ So *zuhant darnach*,
„ Von Charnten Herzog Heinreich
„ Und der Herrn ſunnleich
„ Und im ettleich Stet
„ Er vvart mit ſeiner Fravven Pet.
„ Da ſy in da ſa
„ Zu Kunig nenen da,
„ Und ſvvurn im als irem Herren.) &c.

XI. Hæc habui, quæ pro anno 1307. mortis Wenceslai III. proferrem. Attamen, quando veteres, ac recentiores unanimi fere conſenſu annum 1306. ſtatuunt: Præterea Rudolfum Ducem Auſtriæ, Alberti I. filium Henrici Carinthi æmulum, & expulſorem e Regno Bohemiæ, omnes anno 1307 (anno Regni non expleto) deceſſiſſe conſtituunt V. Nonas Julias, id eſt *III. Julii*, vel alii: IV. Julii in *Feſto S. Udalrici*: Porro rerum deinceps geſtarum nexus, item pro anno 1306. obitus Wenceslai III. pugnat; ſtandum eſt eodem anno. Neque deſunt, quæ reponantur argumentis, pro anno 1307. adductis. Primum NEPLACHONIS *Chronicon* manifeſto errore eodem anno 1307. confundit initium Regni, cum anno obitus Wenceslai III: videturque in aliquot annis (ab anno 1306.) a communi aliorum Chronologia, certo *exceſſu Unitatis*, aberraſſe, uti patebit, conferenti cum aliis. Deinde recentis Scriptoris DUBRAVII autoritas hic parum habet momenti, neque certa eſt ejusdem pro anno 1307. ſententia: quando illud: *duobus annis regnavit* exponi debet, ad mentem aliorum ſcriptorum de anno 1305, quo regnare Wenceslaus III. cœpit, & de anno 1306, quo obiit: etſi utriusque anni menſes, ſimul ſumti, annum integrum non conficerent: plane uti Reſurrectio Chriſti *poſt tres dies* facta dicitur. Porro quod in Diplomate anni 1306, in Decembri Henricus tantum *Dux* ſcribatur, videtur eo factum; quod nondum a majore parte electus, & mox deſtitutus, ac paulo poſt a Rudolfo Bohemia exactus, abſtinuerit, præſertim in Conſortio Ottonis fratris Senioris, tum quidem titulo Regis; aſt Rudolfo, anno 1307, III. vel IV. Julii mor-

mortuo, denique Regis titulo certo fuiſſe uſum conſtat Henricum, atque (quod mox documenti deſignatione comprobabimus) anno 1309. exeunte Auguſto, jam *Tertium* Regni annum computare cœpiſſe, & reipſa Bohemiæ Regno potitum, atque idcirco in Octobri anni 1307, *Annam*, Henrici Uxorem, in adductis Tabulis, recte *Reginam* appellari. Wenceslai III. *Auguſto menſe* patratam necem, nullo modo fuiſſe anno 1307, ſed anno 1306, plane demonſtrat Diploma ſucceſſoris Rudolfi Auſtriaci: *Datum in Crudjim anno Domini 1307. IV. Kalend. Februarii Indictione quarta. Regnorum noſtrorum anno Primo.* Quo Cives Brunenſes, a ſolutione Telonii in Bohemia, & Moravia eximit. Hujus *Rudolfi Regis* UNICUM hoc Diploma vidit peritiſſimus Bohemicarum Rerum CL. ROSENTHALIUS.

Fui in ſtatuenda hac Epocha Regni Bohemici, ab Henrico primum delibati, paulo diffuſior; quod eam ab aliis elaboratam non deprehenderim. Itaque anno 1306, exeunte Auguſto menſe, Henricus a parte aliquâ Procerum Rex Bohemiæ declaratus eſt.

Rudolfum Auſtriacum (qui exacto Henrico Bohemia potitus eſt anno 1306.) diem extremum vixiſſe *V. Nonas Julias*, ſeu *III. Julii* anno 1307. perhibet CHRONICON BOHEMIÆ *Ludewigianum Tom. XI. Lib. II. Cap. LXXXIX. pag. 341.* Obitus diem S. Udalrici, ſeu *IV. Julii* ponit ANONYMUS LEOBIENSIS, *ad annum MCCCVII. pag. 890. Hieron. Pez Tom. I.* Igitur Julio, vel Auguſto menſe, revocatus eſſe ad Bohemiæ Regnum Henricus Carinthus videtur, certe ante Octobris initium, quo Annam jam Oenponte ſe Reginam ſcripſiſſe probavimus. Et vero ante XIX. Auguſti anno 1307. initium

Regni computaſſe Henricum ipſum, oſtendit Deſignatio Chartæ (*Ein Concept*) qua Henricus de debitis privatis agit: *Datum anno 1309. Regnorum noſtrorum III. XIII. Kalend. Septembris* (ſeu XIX. Auguſti) Chartam hanc in membrana ſcriptam vidi apud CL. ROSENTHALIUM. Coronatum vero Henricum ſuiſſe anno 1308, non recte colligitur ex REPERTORII AUSTRIACI *Parte III. pag. 191.* ubi notatur: (" Conſcriptum in Charta Pergamena Documentum: quando Provincia Coronæ Bohemiæ, Regi Henrico ad Coronationem ſuam ſacramentum fidelitatis dixerit, & congruas cerimonias obierit: Anno 1308.) Nam hoc juramentum fidei erat, a ſubditis præſtitum, *ad futuram* Coronationem, in quaRex ſacramento ſe obſtringebat: niſi hic conceptus eſt juramenti, quod reipſa præſtitum non eſt. Præterea ſcriptores Bohemici de Henrici Coronatione aut ſilent omnino, aut ſuſceptam unquam ſuiſſe, aperte negant. Sane in Litteris ad Petrum de Liebenberg datis, de bonis in Carinthia, *in Arce Pragenſi anno 1310. die S. Lucæ* ſeu die XVIII. Octobris ipſe Henricus fatetur: ſe alio ſigillo munitas daturum Litteras *ſi Deus ipſi dederit, ut coronetur.* Paulo poſt vero XV. Decembris Bohemia expulſus eſt Henricus.

Anno 1310. Idibus Decembris rurſum Bohemia ceſſit Henricus, æmulo Joanni Luzenburgico, Henrici VII. Regis filio. Annum, diemque ponit CHRONICON BOHEM. *Ludewigianum Tom. XI. Cap. LXXXXII. pag. 351.* cui iſthic fidem habendam cenſeo: quod ſeriem rei omnem accuratius, ac diligentius ceteris vetuſtis Scriptoribus enarret. En aliqua ad finem noſtrum neceſſaria: (" Rex Johannes, Regina Eliſabeth,

&

„ & omnis exercitus eorum ſine quovis obſtaculo Ci-
„ vitatem Pragenſem intraverunt, anno Domini
„ MCCCX. Non. Dec --- Denique vero Id. Decemb.
„ (XV.) Dux Carinthiæ prædictus, ſecreto habito
„ conſilio, circa mediam noctis iter arripiens, Civi-
„ tate Pragenſi, & Bohemiæ Regno dimiſſo, una cum
„ conjuge ſua Margaretha (corrige *Anna*) ------di-
„ recto tramite Carinthiam remeavit.) Quidam Autores ut ANONYMUS LEOBIENSIS *pag. 898*, & CONTINUATOR *Martini Poloni Eccardi Tom. I. pag. 1437.* anno 1309. Henricum Bohemiæ Regno privatum ſcribunt; ſed id intelligendum puto de primis initis conſiliis, cœptoque bello, ſub finem anni 1309. NEPLACHONIS *Chron. Bohem. Hieron. Pez Tom. II. p. 1037.* Joannis Lucenburgici ingreſſum in Bohemiam refert ad annum 1311. Monui vero ſuperius: unitate juſto majores annos aliquot, ab hoc Chroniſta, ab anno 1306, numeratos eſſe; Itaque anno 1310. Joannis introitus in Bohemiam, & Henrici abitus convenit. Illud cum veritate ſcripſerunt, & iisdem pene verbis, ANONYMUS LEOBIENSIS, & CONTINUATOR *Martini Poloni*: ab Henrico *Regni Bohemiæ* titulum (& *Poloniæ* quoque) usque in diem ſui obitus non fuiſſe dimiſſum, qui deinde Tyrolim, & Carinthiam retinuerit; nam Diplomata varia ab *ipſo Henrico* deinceps data, ſemper titulum *Regis Bohemiæ, & Poloniæ* præ ſe ferunt.

De Henrici noſtri obitu, Annus 1335, ac dies XII.
S. Ambroſii, ſeu IV. Aprilis, quo obiit S. Ambroſius, memoratur a CHRONICO STAMSENSI: („Anno Domini
„ MCCCXXX. (adde V.) in die S. Ambroſii obiit
„ Do-

„ Dominus Henricus Illuſtriſſimus Rex Bohemiæ, &
„ & Poloniæ, Dux Auſtriæ, & Karinthiæ, Comes
„ Tyrolis, & Goritiæ, Filius Fundatoris noſtri - - - -
„ - - - hic ſepultus.) Diem obitus non nihil dubium reddit ANONYMUS LEOBIENSIS, qui ita ad *annum 1335*, *Libri VI. initio pag. 939.* („ Henricus Dux Karinthiæ
„ Dominica, qua canitur: Judica me Deus, in Caſtro
„ Tyrolis, tempore miſſæ, in Capella Beati Pancra-
„ tii preſſus cholera circa præcordia ſuffocatur, & in
„ Eccleſia Beati Johannis ſub Caſtro tumulatur - - - -
„ - - - transacto biennio ad Monaſterium STAMSENSE
„ transfertur.) *& pag. 943.* („ Eodem anno terra
„ Karinthia collata eſt Alberto, & Ottoni Ducibus
„ Auſtriæ in Lyneza civitate, ab Imperatore Ludo-
„ vico.) Dominica *Judica*, hoc anno 1335, incidit in diem II. Aprilis, qua morbo correptus Henricus, biduo vixit. Porro diem *4. Aprilis*, & locum obitus *Oenipontem*, adſcribit BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 361.*) Standum hic eſſe cenſeo *Die* IV. Aprilis, *Loco* autem, *Caſtro Tyrolis*, cum omnia hic minute ANONYMUS LEOBIENSIS enarret.

Diem obitus fuiſſe IV. Aprilis pluribus doctiſſime oſtendit R. P. STEYERER *in Notis ad Comment. Alberti II. ad Cap. I. pag. 82. &c.* Inter cetera Diploma Ludovici Imperatoris *datum in Lyntza* (*Lincii in Auſtria*) *1335. in craſtino Beatorum Philippi & Jacobi* (quo Carinthiæ Ducatus poſt obitum Henrici, vacans ad Imperii arbitrium, confertur Ottoni, & Alberto Ducibus Auſtriæ) citra dubium oſtendit: diem S. Ambroſii in CHRONICO STAMSENSI non eſſe accipiendam pro VII. Decembris, qua S. Ambroſius Epiſcopatum accepit, ſed pro IV. Apri-

Aprilis, qua obiit; cum ineunte Majo aliis jam collata ſit Carinthia. Quod ſi CHRONICON STAMSENSE loqueretur de die, qua in Stams corpus Henrici, biennio poſt, translatum eſt, ea dies eſſe poſſet VII. Decemb. Denique nec ante annum 1335. deceſſiſſe Henricum, STEYERERUS demonſtrat, e Diplomatis fragmento, quod idem Henricus edidit *anno Domini Milleſimo CCCXXXV. in octava Purificationis S. Mariæ.* Id eſt nona Februarii. CHRONICON ZWETLENSE *H. Pez Tom. I. pag. 994.* errat in anno obitus Henrici 1334. (uti & CORTUSII *Lib. V. Cap. VIII. pag. 70.*) nec cetera ſatis concordant cum aliis; ita habet: (" Anno 1334. Dux Karinthiæ moritur „ in finibus, vel circa fines Karinthiæ, a Ludowico „ Bavariæ, & noſtris Ducibus Auſtriæ Alberto & Ot„ tone in Lintzam defertur.) E caſtro Tyrolis Leontium, Leontio Stamſium translatum videtur Henrici cadaver, ſi huic Chronico fides; data anno 1335. Diplomata a Ludovico *in Lyntza*, item *zu Linz*, non Linzii in Auſtria, ſed Leontii in Tyroli, *zu Luentz*, ſeu *Lienz* data fuiſſe ſuſpicarer. Sed narratione *Anonymi Leob.* conſtat: Ludovicum cum Ducibus Auſtriæ ad *littus Danubii Lintzii* collocutos fuiſſe; quare Auſtriacum Lincium eſt locus datorum de Carinthia ac Tyroli Diplomatum: neque video, in Tyroli, ſibi tum infenſa, quid Auſtriaci feciſſent. Attamen corpus Henrici Lincium Auſtriæ delatum eſſe minime credo.

Tres uxores deinceps ſibi adlegit Henricus: *Annam*, *Adelheidem*, *Beatricem.* Anna, Wenceslai II. ſeu Senioris Regis Bohemiæ filia, nata eſt anno 1290. Idibus Octobris, ſeu 15. Octobris de qua FRANCISCI PRAGENSIS *Hiſtoria Bohemica MSta:* adducta *in Alberto* CL.

STEYERERI *pag. 589*, (" Anno Domini 1289. in octa-
„ va Beati Michaëlis, anno ætatis ſuæ (Wenceslai
„ Senioris) XVIII. nati ſunt duo Gemelli, Wences-
„ laus, & Agnes: & ſequenti anno Idibus Octobris
„ nata eſt Anna, prædicti Regis filia.) Nuptias Annam inter, & Henricum Carinthium Pragæ celebratas eſſe anno 1306. ex eodem FRANCISCO PRAGENSI ſupra (N. IX.) citato colligitur; menſem vero, proximum Februario, ei ſolennitati deſtinatum fuiſſe, ex Tabulis pactorum nuptialium, conficit Doctiſſimus P. STEYERER *Commentar. Alberti Addit. ad Cap. VII. pag. 589. &c.* quæ ita finiunt: (" Actum & datum in Landshuta An-
„ no Domini MCCCVI. XXVIII. die Februarii, In-
„ dictione quarta.)

De obitu *Annæ* CHRONICON STAMSENSE (" Anno
„ Domini MCCCXIII. III. Nonas Septembris obiit
„ Domina Anna, Regina Bohemiæ, prima conthoralis
„ Regis Henrici, filii Fundatoris noſtri, hic ſepulta.) III. Nonas Septembris, ſeu tertiam eiusdem menſis, proponit etiam R. P. STEYERER *Alberti pag. 591.* ex PUTSCHII *notis MStis Bibl. Cæſar.*, & locus mortis proditur Labacum (" 3. Septembris anno 1313. obiit La-
„ baci Domina Anna, Wenzeslai, & Guttæ, Rudolfi
„ filiæ, filia, conjux prima Henrici Bohemiæ & Po-
„ loniæ Regis, Ducisſa Carinthiæ.)

Labaci *Annam* obiiſſe, ibidemque primum ſepultam, deinde Bozanum translatam perhibet ANONYMUS LEOBIENSIS *Hier. Pez Tom. I. pag. 920. ad annum 1319.* Tandem Stamſium adductam ſupra vidimus.

Al-

Altero matrimonio Henrico juncta eſt Adelheid, XIII.
Henrici (mirabilis dicti) Ducis Brunswicenſis, ex Agnete Miſnenſi, filia. Circa Autumnum anni 1315. (in loco Wilthen, ut probabitur inferius ad tertiam uxorem Beatricem) actum eſſe nuptiale Feſtum, conficit STEYERERUS *Alberti pag. 592.* ex Tabulis doni nuptialis, quas ex Oenipontano Tabulario adducit, datas *Oeniponte MCCCXV. (22. Septembris, ſeu) die Mauritii, & ſociorum ejus.* His nominat Henricus Carinthus conjugem ſuam: *Dominam Adelheidem, nobilis Ducis H. de Bronswic filiam.* Ex his Tabulis, & aliis *eadem pagina* relatis, ab eodem Henrico *datis Tyroli XV. Januarii 1324. Indict. VII,* ubi memoratur *anniverſaria dies Charæ memoriæ Dominæ Adelheidis Illuſtris Ducis Brunswicenſis filiæ* celebranda *ſeptimo Calendas Septembris*, ex his inquam certum eſt, nomen *Adelheidis*, alterius uxoris Henrici noſtri, contra eos, qui *Agnetem* vocant, ut BOTHONIS *Chronicon Brunswicenſe picturatum* LEIBNITII *Tom. III. pag. 370. initio:* Et contra MEIBOMIUM *Tom. I. Rer. German. pag. 470*, ubi Adelheidem Regi Græcorum uxorem datam ex CHRONICO SAXONICO adnotavit. Diem Obitus *Adelheidis Duciſſæ Brunswicenſis* docet CHRONICON STAMSENSE ad annum 1320. in die *Agapeti Martyris*, id eſt *18. Auguſti:* ejusdemque exuvias in Stamſenſi Cœnobio collocatas fuiſſe. Attamen anniverſariam diem obitus Adelheidis die XXVI. Auguſti celebrandam, in Wilthinenſi Cœnobio Ord. Præmonſtr., fundavit Henricus Carinthius. Datum in Tyrol XV. Januarii anno 1324. Indict. VII. Ita P. STEYERER in *Collect. MS. Tom. VI. N. 43.*

Tertiis votis conſortem ſibi adſcivit Henricus *Beatri-*

tricem Amadei, Sabaudiæ Comitis, & Mariæ Brabantinæ, filiam. Sponſalia contracta ſunt an. 1324; matrimonio juncti fuere an. 1327. Utrumque laudatus P. STEYERER oſtendit: Sponſalia quidem *p. 595. & 596.* binis Documentis an. eodem 1324, ea de re exaratis, a Joanne Bohemiæ, & Poloniæ Rege Comite Luzenburgi: eorum prius: *datum Lucilburk VII. Kalend. Maji*, ſeu 25. Aprilis. Alterum: *datum Muntzilles, die Lunæ poſt Feſtum S. Petri, & Pauli*, ea erat dies 2. Julii, Littera Dominicali G. Nuptias celebratas anno 1327. circiter, eruit P. STEYERER *pag. 23. Commentar. Alberti*, ex Litteris Alberti Ducis Auſtriæ, de conditionibus ineundi propediem matrimonii inter nobilem Principem Regem Henricum de Bohemia, & Polonia, & Ducem de Carinthia, & inter nobilem Virginem Beatricem, filiam nobilis Dominæ Mariæ ſenioris Comitiſſæ de Sabaudia *Datum Oeniponte, die Mercurii poſt Feſtum S. Thomæ 1326.* Ea dies erat 24. Decembris: litera Dominicali E. Itaque anno proxime ſequenti nuptiarum Feſtum peractum eſſe, vel certe anno 1328. dubitari non poteſt. Equidem in iisdem *Commentar.* STEYERERI *pag. 24, & 25.* Friderici Regis Rom. Litteræ afferuntur, *datæ Viennæ in craſtino nativitatis Beatæ Virginis MCCCXXVII.* quibus *Beatricis de Sabaudia, Sponſæ* Henrici Regis Bohemiæ & Poloniæ, Ducis Carinthiæ, Dotalitiæ poſſeſſiones, & opes confirmantur. Sane in REPERTORIO AUSTRIACO *MS. Part. VI. pag. 42.* notatur (" Aſſignatio nuptialis „ donationis, & Morgengabæ, facta ab Henrico Re„ ge Bohemiæ, & Poloniæ, Carinthiæ Duce, & Co„ mite Tyrolis, & Goritiæ intra tres annos implendæ. „ Datum Tyrolis anno 1328. VIII. Junii Indict. XI.)

Nu-

Nuptias vero ante 26. Martii 1328. peractas, atque locum nuptialis Festi fuisse Wilthen, seu Velthen, tam secundæ, quam hujus tertiæ Uxoris Henrici, docent Tabulæ REPERTORII AUSTRIACI *Parte VI. pag. 42*, quibus continetur (" Donatio Lacus Altlee Cœnobio in „ Wilthen in compensationem damnorum, quæ Cœ„ nobitæ illi passi sunt, occasione nuptiarum, cum „ duabus Conjugibus de Braunschwig, & de Sabaudia „ in Wilthen celebratarum, ab Henrico Rege Bohe„ miæ: datum in Wilthen 26. Martii anno 1328. In„ dictione XI.)

Mortem *Beatricis* Sabaudæ ita ad annum 1331. diemque 20. Decembris CHRONICON STAMSENSE *Hieronymi Pez Tom. II. pag. 458.* consignavit: (" Anno Do„ mini MCCCXXXI, in prævigilia S. Thomæ Apo„ stoli, obiit Domina Beatrix, Comitissa de Sabau„ dia, tertia Conthoralis, sæpe dicti Regis Henrici, „ etiam hic sepulta.

CL. STEYERERUS *pag. 598.* ex NECROLOGIO STAMSENSI *MSto* obitum *Beatricis* ponit 1331. 21. Decembris, quæ est ipsa dies Festa S. Thomæ Apostoli. Sed cum facilius error irrepat in numerum, quam in diserte positum illud: in *Prævigilia S. Thomæ*, diem 20. Decembris putavi Beatricis morti tribuendam; ita ut dies depositionis Cadaveris fortasse fuerit 21. Decembris: vel Vigilia hic quoque a primis ad secundas Vesperas extenditur, uti N. II. diximus.

De prolibus Henrici Carinthii, Meinhardi IV. XIV.
filii, ambigua non desunt. CAROLUS IV. IMPERATOR, non Synchronus modo Scriptor, sed ipse rerum in Ty-

roli geſtarum magnus moderator, Annam Bohemam, primam Henrici Conjugem, improlem deceſſiſſe teſtatur: ex altera Adelheide Brunsvicenſi, ſolam Margaretham prognatam perhibet. Verba Auguſti Hiſtorici FREHERI *Scriptor. Bohem. Part. I. pag. 88. ad finem* ſunt ſequentia: (" Cupio igitur vos non latere, quod „ Henricus VII. Rom. Imperator, genuit Patrem „ meum nomine Johannem, ex Margaretha Ducis „ Brabantiæ filia, qui duxit uxorem nomine Eliſa„ beth, filiam Wenceslai II. Bohemiæ Regis, & ob„ tinuit Regnum Bohemiæ cum ea, quia maſculinus „ ſexus in progenie Regali Bohemorum defecerat: & „ expulit Henricum Carinthiæ Ducem, qui habuit in „ uxorem ſororem ſeniorem uxoris ſuæ dictæ, quæ „ mortua eſt impoſterum ſine prole.) Deinde *pag. 90.* de Patre ſuo Joanne Rege ita CAROLUS: (" Dein„ de ivit in Comitatum Tyrolis, ad Ducem Carinthiæ, „ quem expulerat de Regno Bohemiæ, cujus uxor „ prima mortua fuerat, ſoror Matris meæ. Demum „ tamen acceperat aliam uxorem, ſororem Du„ cis de Brunſwig, cum qua habuit unicam filiam, „ quam copulavit fratri meo Johanni in uxorem.) Eam filiam Henrici, quæ Joanni Bohemo nupſit, *Margaretham* appellatam eſſe, nemo ignorat.

Iſtud Cæſarei Scriptoris teſtimonium ſuſpecta merito reddit, ea, quæ VITUS ARENPECKIUS, *in Chron. Auſtr. Hieron. Pez Tom. I. pag. 1235.* de filio Henrici refert, non indicata matre, nec certo filii nomine, his verbis: (" Henricus Rex Bohemiæ - - - - - - re„ liquit filium Leopoldum, alias Meinhardum, qui „ hereditatem Patris dein pacifice poſſedit, & filiam „ Mar-

„ Margaretham dictam Maultaſch, quam accipiens in
„ uxorem Judocus, alias Johannes, filius Johannis
„ Regis Bohemiæ, Comitatum Tyrolis poſſedit.) Videtur Arenpeckius confundere hunc prætenſum Henrici Filium, cum Meinhardo, nepote Henrici, Margarethæ Maultaſchiæ filio, de quo paulo poſt agetur.

Similia aut ex Arenpeckio, aut aliunde protulit BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. V. pag. 261.* præclarus alioquin, etſi recens, de rebus Tyrolenſibus Autor, qui de his veroſimilius ſcribit, & matrem illius Leopoldi ſive Meinhardi indicat; ejus verba latine ita ſonant: (" E poſterioribus duabus uxoribus proles nul-
„ las, ſed ex prima (uti aliqui ſcribunt) duas ſuſce-
„ pit, filium unum, Leopoldum dictum, qui admo-
„ dum tenera in ætate obiit: & filiam unam, nomine
„ Margaretham.) utut ſit de *Leopoldo* Filiolo Henrici; filia altera certe, præter *Margaretham*, tribuenda eſt eidem Henrico, ex CL. STEYERERO, etſi nomen ejus taceatur. Adducit Vir Doctiſſimus Joannis Bohemiæ Regis Diplomata aliquot *Commentar. Alberti pag. 595, & pag. 97, & 98.* Primum horum: *Datum in Lucilburk VII. Kal. Maji, anno Domini Milleſimo trecenteſimo viceſimo quarto*, ubi agitur de ſponſalibus (" inter unum
„ ex filiis noſtris Chariſſimis, qui non ſit deſponſa-
„ tus, ex una, & unam ex filiabus dicti Domini Ducis
„ Karinthiæ (Henrici) quam eligendam duximus, ex
„ parte altera, dotem, & donationem propter nuptias
„ paciſcendi - - -.) Alterum: *Actum, & datum in Enſa, anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſexto in die Beati Dionyſii*, ubi habetur: (" Pro filio noſtro Johanne,
„ nec non præclara Margaretha conthorali ipſius, ac

„ ſorore ejusdem, filiabus magnifici Principis Domini „ Henrici quondam Ducis Karinthiæ - - - - - - - - -)

Similis plane mentio *Margarethæ, & ſororis ejusdem* ſit in ſequente mox Diplomate *pag. 98.* itemque in alio *pag. 129.* His accedit Diploma Caroli IV. Imperatoris *datum 1341. Sabbato ante Feſtum B. Thomæ*, quo de abdicando jure in Carinthiam competente *Margarethæ, & ſorori ejusdem*, tractatur.

XV. Nomen hujus Sororis Margarethæ, quod fatetur *pag. 99.* ſe ignoraſſe STEYERERUS, edocuit Doctiſſimus ROSENTHALIUS, e ſequentis originarii Documenti excerpto: („ Litteræ Henrici Bohemiæ Regis, Ducis „ Carinthiæ &c. quibus in caſum mortis ſuæ filiæ „ Adelheidi, ob infirmum ejus valetudinis ſtatum, „ certa bona, ac proventus in ſuſtentationem aſſignat. „ Datum die Jovis poſt S. Bartholomei. Anno „ MCCCXXXIV.) Itaque *Adelheidis* hujus mentionem certam factam tenemus annis 1324. 1334. 1336. 1341. Hanc *Adelheidem* e ſecunda Henrici Uxore Adelheide natam fuiſſe, & nomen, & annorum ratio prodit; cum præſertim e prima uxore Anna nullam prolem Henricus ſuſceperit, aut certe nullam anno 1324. ſuperſtitem, ſi Annæ filia fuiſſet, habere potuerit; id quod paulo poſt, ipſius Henrici teſtimonio, confirmabimus.

Controverſiam illam: an ex prima Henrici uxore *Anna*, an ex altera *Adelhaide*, nata ſit Margaretha? docte ac ſuſe diſcuſſit laudatus toties R. P. STEYERERUS *Commentar. Alberti a pag. 598, ad 613.* Quæ ibidem leget, qui volet. Ex prima Henrici uxore Anna Bo-

hema, ſuſceptam eſſe *Margaretham* contendit Vir Eruditiſſimus, ſuffragante ætate Margarethæ, & filii ejusdem illegitimi *Alberti;* etſi diſerte contradicat in *Commentario vitæ ſuæ* Carolus IV. Imperator *binis in locis.* Sed tertium Caroli IV. locum pro ſententia ſua ſtare Steyererus arguit. Recentiores plerique omnes Steyrero favent. Burglehner *Lib. XIII. Cap. V, & VI.* Adelzreiter *Annal. Boico: Part. II. Lib. IV. pag. 65.* Roo *Lib. III. pag. 113.* Cuspinianus *in opere de Cæſaribus, in Ludovico Bavaro pag. 347.* Contra P. Steyrerum vero facit vel ambiguus de cognatione ſermo, vel pertinax illud ſilentium de *Conſanguinitatis proximo vinculo*, cujus mentio maxime fieri debuerat in cauſa Divortii, Margarethæ & Joannis, & quod ignorari non poterat. Etenim ſi ex Anna Bohema, Wenceslai ſenioris filia, genita eſt Margaretha, eadem Margaretha, & Joannes Maritus ipſius, frater Caroli IV, e duabus ſororibus nati ſunt; quia Joannes ſenior, Pater hujus Joannis, & Caroli, Rex Bohemiæ, *Annæ* ſororem Juniorem *Eliſabetham* duxit: teſte ipſo Carolo IV. *in vita ſua*, cujus verba paulo an-te retuli.

Equidem reſpondet ad hanc difficultatem, ac ad teſtimonium Caroli IV, ſuæ ſententiæ adverſum, celeberr. P. Steyerer. Videtur mihi tamen, ſimili ratione probabiliter reſponderi poſſe, ab ipſomet objectis contra eam ſententiam, quæ Margaretham ex altera Uxore Henrici Adelhaide deducit. Duo præcipua opponit Steyererus: I. Calculum ætatis Alberti, nothi Margarethæ; quem oſtendit, anno 1339, vel 1340. vix decennem fuiſſe, ſi Adelheidis Filia Margaretha diceretur: attamen eundem Albertum, teſte Ca-

rolo IV, tractaſſe iis annis delicatiſſimum negotium, de abdicando, & exigendo Joanne, Margarethæ Marito: quod puero decenni non convenit. Porro ab ipſo Carolo IV. Albertum captum, tormentis admotum fuiſſe; quod crudele, in tam tenera ætate, ſacinus fuiſſet, neque Carolo imputandum. II. Quod mentio fiat a Joanne, marito Margarethæ, *Conſanguinitatis, aut Affinitatis gradus quarti, vel infra*, inter ipſum & Margaretham; id ſibi P. STEYERER oſtendi petit, ſi Adelheid fuiſſet Mater Margarethæ.

Reſponderi his poteſt: Albertum Nothum non tam tractaſſe reipſa hoc negotium, quam auctoritatis, & affectus conciliandi cauſa miſſum eſſe hunc adoleſcentem, cum alio *Barone Magiſtro Curiæ*, quem expreſſis verbis ita memorat FREHERI *Script. Bohem. pag. 103.* CAROLUS IMPERATOR: (" Ubi ſecrete cognovi, „ quod quidam nomine Albertus, filius naturalis uxo- „ ris fratris mei, & quidam Baro, Magiſter Curiæ „ prædictæ uxoris, Fratris mei, tractarent de conſen- „ ſu ipſius, & aliorum Baronum Patriæ, ut repudia- „ ret Fratrem meum.)

Habitam per tormenta ex Alberto quæſtionem, quod attinet: ea ex verbis CAROLI, qualis fuerit, non conficitur; itaque ſi crudelitatis notam hac in cauſa (in qua nonnullis ſeveritas nulla nimia videtur) a Carolo abſtinere volumus; congrua cauſæ, & ætati, tormenta aut intentata, aut adhiberi cœpta, ſecutamque mox confeſſionem, dicemus.

XVI. Ad alterum de *Cognationis*, & *Affinitatis* vinculo inter Margaretham, & Joannem, ita dubia eſt ea locu-

cutio, ut ipſa maxime contra R. P. STEYERERI ſententiam pugnare videatur, uti ſuperius indicavi. Ubi probe tenendum, quomodo Margaretha, volens matrimonium ſuum cum Joanne *nullum* oſtendere, nunquam uſa ſit argumento dirimentis gradus conſanguinitatis, quod perſpicuum & certum fuiſſet argumentum, ſi Margaretha Annæ filia, atque adeo Joannis Mariti *Conſobrina* fuiſſet. Sed enim diſpiciamus factam mentionem illam *quarti gradus* Cognationis inter Margaretham, & Joannem. Proferuntur in *Commentar. Alberti pag. 636.* a viro laudatiſſimo Litteræ *Joannis ad Ulricum Curienſem Epiſcopum*, quibus ita Joannes de ſe: (" Quod „ nos, & nobilis Domina Margaretha, nata quon„ dam Henrici Ducis Carinthiæ, quarto Conſanguini„ tatis, vel Affinitatis gradu, vel infra, nos contin„ gentes, Matrimonium contraximus.)

Quam dubia locutio: *Conſanguinitatis, vel Affinitatis!* item: *quarto gradu, vel infra*, quod *infra* R. STEYERER pro viciniore gradu accipit. Sane hac in re Joannem, Divortii cauſam legitimam quæſiviſſe potius, quam aſſerere potuiſſe, colligi videtur ex *Bulla Clementis VI. P. M.*, contenta in ſententia promulgata ab *Ulrico Epiſcopo Curienſi*, *Commentar. Alberti pag. 634, & 635.* ubi poſt expoſitum Matrimonii caſum ab Joanne, ſic ſcribit Pontifex: (" Quare dictus Joannes nobis „ humiliter ſupplicavit, ut ſi inter prædictos Joannem, „ & Margaretham prædictum Conſanguinitatis, vel Affi„ nitatis, vel aliud canonicum impedimentum inter„ veniſſe conſtet, Matrimonium ipſum inter eos con„ tractum fuiſſe, & eſſe nullum, denunciari per diſcre„ tum aliquem faceremus; vel ſi de tali impedimento con-

„ conſtare non poſſet, cum, ut aſſeritur, indubitatum ſit „ inter eos copulam minime interveniſſe carnalem - - - „ - - -) Quam incerta hic omnia de Cognatione! quam econtra certa, & expedita ſuiſſent omnia, ſi Annæ Bohemæ filia ſuiſſet Margaretha: quam certa conſanguinitas in ſecundo gradu!

Quod vero aut non ſatis peritis, aut anxie quærentibus impedimentum, ubi non erat, ſuſpicionem movere poterat, erat quædam ſpecies *Affinitatis*, in matrimonio Margarethæ, ſi ita dicere licet, *Secundariæ, vel Politicæ*; etſi eadem *Canonica* appellari tunc non poſſet; Quod jam anno 1215. in *Concilio Lateranenſi IV. Cap. L.* Sublata fuerint impedimenta Affinitatis ſecundi, & tertii generis. *Concilia* HARDUINI *Tom. VII. p. 55.*

En Schema ignotæ primum, dein dubie prolatæ Affinitatis, inter Joannem, & Margaretham! En omnino vicinum gradum Politicæ illius cognationis, (olim etiam Canonicæ) dum Joannis Amita erat Margarethæ Noverca: Item Eliſabetha, Margarethæ Amita, erat uxor Alberti, qui frater fuit Guttæ, Aviæ Joannis.



De-

Denique quod recentiorum quatuor Autorum fide, præſertim BURGLEHNERI, Patriarum rerum admodum periti, niti velit vir doctiſſimus; ſatetur tamen ipſe *pag. 600.* diſerto CAROLI IV. teſtimonio ſcriptores illos (quibus HUNDIUS *Stemmatograph. Bavar. pag. 78.* addi poteſt) longe eſſe inferiores. Porro BURGLEHNER hic etiam addit: *uti aliqui ſcribunt*; quod addere non ſolet, ubi certa nixam autoritate ſententiam profert. Contra, perſpicua eſt CAROLI IV. locutio binis locis. FREHERI *Script. Bohem. Part. I. pag. 88.* ubi de Anna prima Henrici uxore ait (" quæ mortua eſt impoſte- „ rum ſine prole) Deinde *pag. 90.* (" Deinde ivit „ Johannes Rex in Comitatum Tyrolis ad Ducem „ Carinthiæ, quem expulerat de Regno Bohemiæ, „ cujus uxor prima mortua fuerat, ſoror Matris meæ, „ demum acceperat aliam uxorem, ſororem Ducis „ de Brunswich, cum qua habuit unicam filiam, quam „ copulavit fratri meo Johanni in Uxorem.) XVII.

Equidem hoc teſtimonium nonnihil Vir ſummus ſuſpectum reddit, eo quod certo hic erret CAROLUS, unicam filiam tribuendo Adelheidi, & Annæ nullam; cum certum ſit, ſororem Margarethæ aliquam fuiſſe, nempe Adelheidem. Erraſſe tamen iſthic Carolum pronum fuit, quia pronum erat obliviſci illius ſororis Margarethæ, quæ cœlebs obiit, & in Hiſtoria hactenus nomen illuſtre non habuit. Contra, CAROLUM oblitum fuiſſe, aut neſciviſſe, quæ fuerit Mater Margarethæ; dum *Annam* ipſemet appellat: *ſororem Matris ſuæ*, quam ſine prole deceſſiſſe teſtatur; id enim vero mihi vix credibile ſit.

Ne vero quis putet me, tanto Viro contradicendi temeritate, *Adelheidem* Brunswicenſem Matrem *Margarethæ*, & *Annam*, primam Henrici Uxorem, improlem aſſerere; ad quæſtionem decidendam ipſe Margarethæ Pater Henricus judex ſtatuendus eſt. Amicus Doctiſſimus, Perilluſtris ROSENTHALIUS, originariam adnotavit Chartam, quam diligentiſſime perlegit: ea conſtat ex Germanice ſcripto (" Contractu emptionis, „ venditionis inter Henricum Regem Bohemiæ, & „ Conradum Comitem de Kyrchberg ſuper caſtro „ Taufers: Datum die S. Matthiæ, in quadrageſima, „ MCCCXV.) his verbis notatu dignis (" * Et ipſi „ teſtantur nobis (Henrico) vel noſtris prolibus ſe „ obſtrictos, ſi DEUS nobis proles dederit; quod ſi „ id non fiat, teſtantur illi de hoc prolibus fratris no„ ſtri, quondam Ducis Ottonis.) Certum itaque eſt, ipſius Henrici faſſione, nullam ipſi prolem anno 1315. fuiſſe, ſaltem ſuperſtitem. Sed Anna, prima Henrici uxor, obiit omnium conſenſu, anno 1313. Ergo nec Margaretha, nec Adelheid nata fuit ex Anna. Neque hic litigari poteſt de nomine *Chind* (*Prolis*) quaſi Henrico tunc *Maſcula Proles* non fuiſſet. Nam Ottonis fratris proles, eodem vocabulo appellatas, Henricus in caſu, ſi ſibi proles non forent, ſubſtituit. Ottoni vero conſtat non niſi quatuor *fœminas proles* fuiſſe.

Accedit majori firmitati alterum Documentum originarium, connexum priori, ab eodem Amico peri-

* Und ſullent ſi uns (Heinrich) oder unſern Chinden, ob uns Got Chint geit, vver aber des nicht, ſo ſullent ſi diſſelben unſers Pruder Chinden, vveilent Herzog Otten gepunden ſein.

ritiſſimo, ac fideliſſimo ita adnotatum: (" Porro per „ Litteras Brunonis, & Conradi Juniorum de Kyrch- „ perch deſuper datas octava die poſt Paſcha eodem „ anno MCCCXV. Verbis his: ** teneamur itaque „ nos, & idem prædictus Comes Chunradus, Pater „ noſter, prædicto Domino Regi Henrico & ejus Pro- „ libus, ſi DEUS ei proles dederit, aut fratris ejus „ prolibus, quondam Ducis Ottonis, ſi ille proles „ nactus non fuerit.)

Quoniam igitur dubio jam caret, Margaretham Seniorem, ex Adelheide, altera Henrici Conjuge oriundam fuiſſe; porro anno 1339, & 1340. Albertum Margarethæ filium naturalem, jam ab Aulæ Præfecto, ut negotio difficillimo intereſſet, circumductum, ſaltem decennem, vel novennem fuiſſe, natum ergo 1329, vel 1330, res ipſa loquitur; Margaretham vero quatuordecim ſaltem ætatis annos circiter numeraſſe, dum Albertum peperit, naturæ ordo poſcit; inde deducitur: Margaretham primo Adelheidis, cum Henrico, Matrimonii anno 1316. in lucem editam fuiſſe; tametſi is annus ex alio Documento nobis non ſuppetat.

Primum deſponſata eſt Margaretha anno 1324. XVIII. Joanni, ſeu Joanni Henrico, filio tertio loco genito Joannis Luzenburgici, Regis Bohemiæ, & Eliſabethæ, quam ſororem fuiſſe diximus Annæ, primæ conjugis

** So ſulen Wir, und derſelbe vorgenant graf Chunrat unſer Vater, dem vorgenanten herrn Chunch Hainreich und ſeinen Künden, ob im Got Kint git, oder ſeines Pruders Künden, Weilent Herzog Otten, ob er nicht Künt gevvinet - - - - - gebunden ſein &c.

Henrici, filiamque Wenceslai II, ſeu Senioris. Deductus eſt Joannes in Tyrolim an. 1327. cum eſſet annos V. natus: natus enim fuit anno 1322. Prima illa Sponſalia certis pactis a Sponſorum Parentibus contracta ſunt 1324. Litteras ea de re protulit R. P. STEYERER *Commentar. Alberti pag. 596. &c.* a Joanne Rege Bohemiæ *datas ad Muntzilles, 1324. die Lunæ poſt feſtum SS. Petri & Pauli*, id eſt, *die II. Julii: Littera Dominicali G.*

Joannis natalem annum, ac diem ita ponit CHRONICON AULÆ REGIÆ *Cap. XI. pag. 37, Freheri ſcript. Bohem. Parte I.* (" Anno Domini MCCCXXII. Pridie idus Fe„ bruarii, Johanni Regi Bohemiæ, & Reginæ Eliſabeth „ in Melnico filius tertius naſcitur, qui Pragam dedu„ citur, & in Eccleſia B. Viti tribus elapſis Menſibus „ Baptizatur. Iſte puer efficitur binominis, nomen ei in „ Baptiſmate imponitur Johannes Henricus. Hoc ita„ que nomen compoſitum imponitur huic infanti, ut in „ eo remaneat memoria ſui Patris & Avi.) Similia habet FRANCISCUS CANONICUS PRAGENSIS apud Cl. STEYERER *pag. 675.* Iidem Autores anno 1327. Joannem quinquennem, Praga, die XVI. Octobris, in Carinthiam, ac deinde in Tyrolim ductum fuiſſe conteſtantur, CHRONICA AULÆ REGIÆ *pag. 60.* hæc ita refert *ad annum 1327:* (" Item hoc anno in die B. Galli Johan„ nes quinquennis infantulus, Johannis Regis Bohemiæ „ filius, ſecundo genitus (*ſuperſtes*) de Praga verſus „ Carinthiam deducitur, ut ſibi filia Henrici Ducis „ ipſius Carinthiæ, quondam Regis Bohemiæ, ma„ trimonialiter copuletur.)

Denique qualescunque iſti conjuges ſociati ſunt matrimonio, Joannes quidem annorum novem circiter,

ter, & Margaretha Senior annorum XIV, anno 1330, vel ſequente. Nam inter quæſita, ſub jure jurando propoſita, & confeſſione Margarethæ affirmata, quæ citantur in *Litteris Ulrici Epiſcopi Curienſis*, STEYERER *pag. 638*, qui ſummi Pontificis Autoritate cauſam divortii inter Joannem, & Margaretham anno 1349. dijudicabat, quæſitum II. erat: (" Item quod idem Domi„ nus Johannes eidem Dominæ Margarithæ domo, „ menſa, & lecto ejusdem per decem annos cohabita„ vit, & ultra. Iſtam ſatetur eſſe veram.) Ab anno 1330, vel 1331. ad 1341. decem ſunt anni; certum porro eſt anno 1341. Joannem a Margaretha (prætenſa impotentia Mariti) repudiatum, exactumque Tyroli fuiſſe. Iſtud conteſtantur: HENRICUS REBDORFENSIS *ad annum 1341*, *Freheri Scriptor. Rer. German. Tom. I. pag. 619.* Item ALBERTUS ARGENTINENSIS, *Tom. II. Urſtiſii pag. 129.* Atque *Continuat. Martini Poloni pag. 1475. Eckardi Corp. Hiſt. Tom. I.* Porro id factum eſſe die 2 Novembris, ſeu die Fidelium Defunctorum, memorat Diligentiſſimus BURGLEHNER, *in Hiſtor. MSta, Lib. XIII. Cap. V.* & *Collectio MSta Rerum Tyrolenſium a* STEYERERO *pag. 584. & 641.* relata. Certum porro eſt: ante Vigiliam S. Andreæ, ſeu ante diem XXIX. Novembris, Joannem Bohemum a Margarethæ thoro depulſum eſſe hoc anno 1341. Eodem enim anno *in Vigilia S. Andrea*, Ludovicus Imperator literas dedit Engelmaro de Villanders, ubi mentio fit *Margarethæ*, & *quisquis novus ejus maritus* futurus ſit. Vidit CL. ROSENTHALIUS, & in Collectaneis ſuis adnotavit. CORTUSII vero *de Novitatibus Paduæ ad an. 1341. pag. 106.* Octobri menſe Tyroli pulſum fuiſſe Joannem perhibent.

Sequente mox anno 1342. Margaretha Senior (pactis antea Monachii initis) urgente Ludovico Bavaro Imperatore, hujus filio, reluctanti primum, Ludovico Marchioni Brandeburgi, matrimonio, ſed illegitimo, juncta eſt, in Oppido Meran, die decima Februarii, quæ erat Dominica. Ita MSTA COLLECTIO RER. TYROLENSIUM *apud Steyerer pag. 584.* & alii, illic citati *pag. 585.* cum Diplomate prævio Ludovici Imperatoris, quo confirmat Privilegia *Tyrolenſium* (a Margarethæ Sponſo, filio ſuo Ludovico, pridie, ſeu XXVII. Februarii confirmata) *Datum Monachii prima die Lunæ ante Feſtum Purificationis B. V. Mariæ* (XXVIII. Januarii) *poſt nativitatem Chriſti 1342. Regni noſtri 28. anno, & Imperii 15.* ſubinde illico in Tyrolim abiens Imperator conſummandis Nuptiis illis qualibuscunque interfuit; illicitas enim reddebat, & prius matrimonium, quod Eccleſiæ autoritate nondum declaratum eſt invalidum, & impedimentum conſanguinitatis in tertio gradu. BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. VI.*

Anno 1349. autoritate Clementis VI. per Ulricum Curienſem nullum declaratum eſt prius conjugium Margarethæ cum Joanne; atque anno demum 1359. die 3 Septembris autoritate Innocentii VI. P. M. legitimo vinculo Ludovici matrimonium coaluit, ſoboliſque antea ſuſceptæ (quarum prima, ſaltem ſuperſtes, *Meinhardus* fuit, anno 1342, vel ſequente natus) legitimæ ſobolis jura ſunt indulta. P. ANTONIUS STEYERER *in Alberto pag. 634. &c.*

Si ANONYMO LEOBIENSI adſtipulamur: *Hier. Pez Tom. I. pag. 960.* primo nuptiarum illegitimarum anno 1342, filiolum e Ludovico peperit Margaretha; ſed

is

is continuo mortuus, locum dedit Meinhardo, qui ita anno 1243. naſci potuit. Sed primogenitus potius ipſe Meinhardus fuiſſe videtur.

Hujus Meinhardi ejusque Parentum propemodum omnia ab accuratiſſimo P. STEYERERO a *pag. 615. ad 650.* Multis Diplomatum, Hiſtoricorum, ac ratiocinationum argumentis comprobata invenies; quæ inter agit de nativitate Meinhardi anno 1342, vel ſequente, *pag. 583. &c.* Unde colligitur: erraſſe Scriptores illos, qui Meinhardum (anno 1363. vita functum) non niſi XIV. ætatis annos vixiſſe, prodiderunt. Obiiſſe vero Meinhardum XIII. Januarii anno 1363. docent BURGLEHNER, & GUILLIMANNUS *Tom. I. Lib. IX. pag. 692, in Manuſcriptis Hiſtoriis.* Item ex Meinhardi, & Margarethæ Matris Litteris P. STEYERER *Comment. pro Alberto pag. 668. &c.* oſtendit intra VI, & XVII. Januarii certo obiiſſe Meinhardum. Certum porro eſſe diem mortis Meinhardi, XIII. Januarii, definit inſpectum a Viro Doctiſſimo Perill. Domino ROSENTHALIO autographum Documentum, quod ita adnotavit (" Litteræ obligationis Margare- „ thæ matris, de ſolvenda certa pecuniæ ſumma ab „ Henrico de Iſingen, defuncto Meinhardo, ejusque „ conjugi mutuo data. Datum die Dominica remini- „ ſcere anno 1363.) Hiſce verbis, latine e Germanico ad verbum iſthic etiam redditis: (* " quæ is alte XIX.

* Die er dem Hochegeborn Fürſten Marggraf Meinharden ſæligen, unſern lieben ſun, und Fraven Margret Marggrafin &c. ſeiner gemahl unſerer lieben tochter uon dem Eritag vor dem œbriſten, hinz auf den achten tag des œbriſten, das vvaz des tages, da er ſein leben von diſer Welt begab - - - diem *Epiphaniæ Domini*, Germanis dictam eſſe *den Obriſten tag* probat HALTAUS *in Calendario medii ævi pag.* 34.

„ te nato Principi Marchioni Meinhardo, piæ memo-
„ riæ, noſtro dilecto filio, & Dominæ Margarethæ
„ Marchioniſſæ &c. ejusdem uxori, noſtræ dilectæ fi-
„ liæ, a die mortis ante Epiphaniam, usque ad octa-
„ vam diem Epiphaniæ, hæc erat dies, qua ille vitam
„ ſuam in hoc mundo finivit - - -) Eſt vero octava Epiphaniæ dies Januarii XIII, qua itaque Meinhardum obiiſſe, Matris viventis fideli teſtimonio conſtat.

Meinhardi Conjugem novimus Margaretham juniorem, Alberti II. ſapientis, Ducis Auſtriæ, filiam, Rudolfi IV. ſororem. Sponſalia ab Alberto & Ludovico parentibus ſponſorum conſtituta ſunt *ad Pontem Arulæ, feria IV. poſt Galli* (die XXII. Octobris) anno 1354. uti ex GUILLIMANNI *Hiſtoria MSta Auſtriaca Lib. VIII.* probat STEYERERUS, *pag. 178.* Propius deinde de nuptiis actum anno 1359. die XVIII. Auguſti. Litteras Ludovici Marchionis Brandeburgi, Ducis Bavariæ, & Carinthiæ, Comitis Tyrolis, & Goritiæ (*Patris* ſeu *Soceri*, Margarethæ Junioris) & ſimul Rudolfi IV, Ducis Auſtriæ, de Dote Margarethæ, conjugis Meinhardi, *datas* (duplici exemplari) *Salisburgi die Dominica poſt Aſſumptionem B. V. Mariæ in menſe Auguſto, poſt Chriſti nativitatem anno 1359.*) Produxit e Tabulario Oenipontano laudatus STEYERER. *Com. Alberti pag. 615.*

Anno eodem 1359. circa Septembris initium, eas nuptias celebratas, atque Sponſos nuptiis maturos fuiſſe, comprobat idem *Autor a pag. 618, ad 652*, ex Litteris anni 1358. Diſpenſationis Innocentii VI. P. M. de impedimentis ejus matrimonii: item ex Documento Pauli Epiſcopi Friſingenſis, olim Gurcenſis, exarato die

die 2 Septembris 1359, Monachii; quo, ex Indulto Apoſtolico, & Ludovici ac Margarethæ ſenioris matrimonium legitimum reddit, & diſpenſationem pro Meinhardo, ac Margaretha Auſtriaca promulgat; Idem aliis Diplomatum, & Hiſtoricorum teſtimoniis, docte illic inter ſe collatis, corroboratur.

Margaretha junior, Meinhardi anno 1363. extincti, vidua, anno 1364. maritum ſortita eſt eundem Joannem Henricum, Marchionem Moraviæ, qui Margarethæ, matris Meinhardi, antea ſponſus fuerat, repudiatus anno, uti diximus, 1341. Sed hoc matrimonium (quod Goritienſi ſtemmati porro non illigatur) alioqui ſterile, facile prætermittimus.

Mortem ſubiit Margaretha junior anno 1366, menſis Januarii die XIV. uti ex MSto NECROLOGIO GEMNICENSI, aliisque duobus ejus loci *MStis Codicibus*, probavit STEYERERUS *Commentar. Alberti pag. 683.* BURGLEHNER *Lib. XIII. Cap. VI.* Confudit duas Margarethas uti & *Epitaphium* Recentius, quod illic refert, eas confundit. Joannes Henricus, utriusque Margarethæ deinceps maritus, annum 1375. poſtremum attigit, mortuus die XIII Novembris; uti ex CAROLO MOROTIO, *Abbate Taurinenſi, in Theatro Chronolog. ord. Carthuſ. fol. 270.* probat STEYERERUS *pag. 685.*

Ludovicus, alter Margarethæ ſenioris conjux, deceſſit anno 1361. die 18. Septembris, teſte NECROLOGIO PARTHENONIS *in Sellingthal Landishuti*, & MSto NECROLOGIO AUSTRIACO *Bibliothecæ Græcenſis*, apud R. P. STEYERER *pag. 651.*

Denique Margaretha ſenior, poſtquam, mortuo Meinhardo, anno 1363. ſua in Tyrolim, & Goritiam jura XX.

ceſſiſſet Rudolfo IV. Auſtriaco, ejusque ſucceſſoribus, Viennam ſe transtulit, atque ibidem ſupremum Spiritum duxit anno 1369, ſepulta in Templo R. R. P. P. Minoritarum Viennenſium. Annum & locum obitus contra alios Scriptores (qui Margaretham ſeniorem cum juniore confudere) ex NECROLOGIO *Minoritarum Viennenſium*, alioque illic *Codice MSto Membranaceo*, item ex VITO ARENPECKIO *Chron. Bavar. Lib. V. Cap. XLVIII.* R. P. STEYERER *pag. 653.* ſatis certa ratione deduxit; præſertim quod de anno mortis, quæ Viennæ acciderat, utique Viennenſi Necrologio plurimum ſit deferendum.

Itaque NECROLOGIUM *Minoritarum Viennenſium Hier. Pez Tom. II. pag. 497.* ad diem *V. Nonas Octobris.* Ita habet (" AnnoDomini MCCCLXIX. obiit ſereniſſima Domi-„ na Domina Margaretha ſenior Tyrolenſis, hic ſepulta „ in Choro noſtro.) Hunc diem, tertiam Octobris, certo dicere non auſim, Margarethæ diem obitus fuiſſe: etſi haud multum aberrarit, ſi mortis ipſa dies non fuit; neque enim in Necrologiis dies mortis ſemper adnotatur, ſed interdum depoſitionis, vel annuæ memoriæ &c.

Quod vero Margarethæ ſenioris exceſſum e vita anno 1366. *Merani* contigiſſe putet PUTSCHIUS *in Catalogo MSto, Bibliothecæ Cæſar.* (Steyerero teſte) & BURGLEHNER cum eo aſſignet diem mortis IX. Martii; porro menſem eundem Margarethæ fatalem, ſed diem XIII. Martii poſuerit HUNDIUS *Stemmatograph. Bavar. Part. I. pag. 80.* Annum obitus vero omittat HUNDIUS, ſed locum *Viennam* ex vero ponat: hæc idcirco peccavere, quod obitum Margarethæ ſenioris, cum Junioris morte confuderint.

Itaque Margaretha ſenior, e linea Goritienſium Principum Tyrolenſi, & Carinthiaca, ultima ſuperſtes vixit.

Tam-

Tametſi enim e Ludovico Bojo plures ſibi liberos fuiſſe, ipſamet confeſſa ſit, in *litteris Ulrici Epiſcopi Curienſis, apud* R. STEYERERUM, *pag. 639. Comment. pro Hiſtor. Alberti*) Scriptis anno 1349. *ad quæſtionem VI.* („ Item quod eadem „ Domina Margaretha cum Domino Ludovico, ut cum „ ſuo marito, per plures annos cohabitans, plures ex eo, „ & per eum filios, & filias procreavit: iſtam conſite- „ tur-) Attamen cum præter Meinhardum nulla de reliquis prolibus, quod ego noverim, digna fide, mentio ſit facta; ſaltem de nomine: præter Filiolam, quam Maſtino Veronenſi deſponſatam ad an. 1349. ſcribit ALBERTUS ARGENT. *p. 151. Urſtiſii Parte II.* Et Filium *Hermannum*, qui nominatur in Litteris Fœderis Caroli IV, & Margarethæ, anno 1360. REPERT. AUSTR. *Part. III. fol. 199.* iſtas ante matrem, atque in tenera ætate, extinctas fuiſſe conjicimus.

Denique aliqua fratrum Margarethæ ſeſe produnt veſtigia, apud HUNDIUM *ſtemmatograph. Bavar. Part. I. pag. 78.* ubi ita habetur: („ In antiqua regiſtratura debitorum, „ ſive pignorum Marchionis Ludovici &c., Dominæ „ Margarethæ ſecundi mariti, invenio, Margaretham „ alios duos fratres (Præter Leopoldum) habuiſſe vide- „ ri, Matthæum, & Albertum, anno 1352, & 1353; Al- „ bertum vivente etiam dicto Ludovico Marchione „ mortuum eſſe.) Conjecturam facit HUNDIUS hos duos *Matthæum*, & *Albertum*, ex aliqua uxore Henrici (alii marito, antea, vel poſtea collocata) natos fuiſſe, atque ita fratres iſtos Margarethæ dici. Verum tres Henrici uxores Anna, Adelheid, & Beatrix, nulli antea Marito, quod ſciatur, obſtrictæ fuere; & poſtrema quoque Henrici conjux Beatrix, quadrienno ante maritum obiit.

Quare HUNDII conjectura, falso fundamento nixa, per se se concidit. Equidem *Fratres* nonnunquam appellari, qui reipsa *Affines* sunt, vel proxime *sanguine juncti*, non est omnino novum. Ludovici Bavari fratrem *Albertum* Comitem Hollandiæ produnt Tabulæ HÜBNERI *Parte I. Tab. 133;* sed *Matthæum* inter Bavaros non invenio; Fortasse is *Matthæus*, est *Amadeus VI.* Comes Sabaudiæ, filius Aymonis, qui fuit frater *Beatricis*, novercæ Margarethæ. Sed nihil certi concludi ex his conjecturis potest, & ex *Registro* illo, obiter duntaxat indicato.

Atque his finem imponimus Tentamini Genealogico, de Comitum Goritiensium serie; in quo cum aliquid promovisse nobis blandimur: tum non pauca etiam deesse confitemur, quæ aut nobis ipsis aliquando, aut aliis, doctioribus, ac felicioribus discutienda, emendanda, ac perficienda relinquimus.

O. A. M. D. G. E. B. V. M. S. Q. A. H.

TEN

TENTAMEN CHRONOLOGICUM SEU BREVE CHRONICON, COMITUM, ET RERUM GORITIÆ. AB ANNO MI. AD MD.

1001 OTto III. Imperator, intercedente Ottone Duce Carinthiæ, & Marchiæ Veronenſis (qui erat filius Conradi Franconici, Ducis Lotharingiæ) *Pesler ſeries Ducum Carinthiæ pag.* 15. *ex Ditmaro Leibnitii Tom.* 1. *pag.* 370, *& ex Annaliſta Saxone, Eccardi Tom. I. pag.* 388. donat Variento, ſeu Werihen, Comiti Forojulienſi (qui probabiliter idem eſt cum Iſtrienſium Comite Hueribent, apud UGHELLUM ad annum 990. *Ughellus Tom. X. Ital. ſacr. in Addendis, & Corrigendis: pag.* 313. *&* 314. *Editionis Venetæ.*) medietatem Villæ & Prædiorum Silcano (hodie Salcano) & Goritiæ, quorum medietatem idem Otto Cæſar donaverat Johanni Venerabili Patriarchæ Aquilejæ. Actum hoc eſt Papiæ: anno Regni Imp. Ottonis IIItii XVII. vel XVIII. *Rubeis Monument. Aquil. pag.* 490, *&* 491. *ex Bellono apud Muratorium Tom. XVI. Et ex MSto Documento.*

1012 Conradus Dux Carinthiæ, Ottonis Ducis filius, & ſucceſſor, moritur: Ducatum obtinet Adalbero Eppenſteinius, Marquardi Muerzthalenſis Comitis filius, præterito Conrado, Conradi Ducis filio. *Pesler pag.* 18. 19. *&c. Ex Hermanno Contracto, & Wippone.*

1018 Volkoldus, S. Ottvvini filius, Fundator Monaſterii Sonneburgenſis, Marchio, dein Levita, de quo vide dicta in noſtro *Tentamine Genealogico, Cap. II. N. VIII. & IX.*

1019 Joannem Patriarcham Aquilejenſem vita functum excipit Poppo, ſeu Wolfgangus, intra menſes Martium, & Julium. *Rubeis Monument. Aquil. pag.* 497. *Ex Tabulis apud Ughellum Tom. V. Correctis in Editione Veneta, & a Florio Comite.*

1027 Varienti (ad quem Goritiæ pars pertinebat) filium Azonem: item Valpertum, neſcio quem (diverſum ab Adalberone Duce Carinthiæ) Aquilejenſis Patriarchæ Advocatum, commemorant Tabulæ a R. P.

RUBEIS prolatæ: *Rubeis pag.* 500, & 501. *ipſas Tabulas integras profert.* e quibus iſta excerpſimus: " In nomine Domini. In Veronenſe „ Comitatu, in Laubia S. Zenonis Solarii, cum in judicio reſide„ret Dominus Chonradus gratia Dei Imperator Auguſtus, una „ cum filio ſuo Henrico, ad faciendas ſingulis hominibus juſtitias, „ & ad deliberandas intentiones. Aderant cum eis - - - - - Ugo „ Marchio, Agizardus Comes, & Pippo Comes, & Ardvicus Co„mes, Megenardus Comes, Orechcrio Comes, Joannes Comes, „ Megiſredus Comes, & Regimbaldus Comes - - - - - *Azo filius* „ *Varienti*, & reliqui. Ibique in eorum veniens præſentia D. Po„po Patriarcha Aquilejenſis Eccleſiæ, pariter cum *Valperto* ſuo, „ ejusdemque Advocato, & ex alia parte D. Adalperto Dux de Ka„rinthia una cum Comite Vizelino Advocato ſuo, qui Walperto „ vocatur - - - - - - - Ego quidem Arnoldus Notarius, & judex „ ſacri Palatii juſſione ſua prædicti Imperatoris, & judicium a mo„cione hanc Chartam ſcripſi, & interfui: Anno ejusdem Domini „ Conradi Gratia Dei Imperatoris Auguſti in Italia primo. XIII. „ Kal. Junii Indictione X.

1028 De Engelberto Comite, & B. Hertvvico Brixinenſi Epiſcopo, S. Ottvvini filiis Vide *Tentam. Geneal. Cap. II. N. VIII. & IX.* Varienti Comitis Porojulii mentio fit in Fragmento Documenti Conradi II. Regis, hoc anno 1028. 1029. Item in alio anni ſequentis. *Tentamen Chronologicum noſtrum Cap. II. N. X. ad finem, ex Rubeis pag.* 503. & 504.

1031 Valpertus Aquilejenſis Eccleſiæ Advocatus, (ſupra nominatus anno 1027.) rurſum occurrit in Diplomate Popponis Patriarchæ: itemque in alio ejusdem anni. *Ughellus Tom. V. Ital. ſacr. pag.* 50, & 51.

1035 Adalbero Dux a Conrado II. Rege exautoratur; idem tamen ſe ſuaque armis tuetur. *Pesler pag.* 20. *ex Hermanno Contracto ad annum* 1035.

1036 Conradus, Conradi olim Ducis Carinthiæ filius, Ottonis Nepos, Dux Carinthiæ renunciatur, idem de Ducatu cum Adalberone decertat. *Idem ibidem.*

1039 Ambo æmuli Adalbero, & Conradus, Duces Carinthiæ hoc anno moriuntur: incertum eſt, quis proxime ſucceſſerit. *Hermannus Contractus ad annum* 1036, & 1039. *pag.* 585, & 587. *Canisii Tom. I. edit. Ingolſtad.*

1042 Poppo Patriarcha obit XXVIII. Septembris: ſacrum Thronum conſcendit Eberhardus. *Rubeis pag.* 527. *ex Aquilejenſi Chronico & Necrologio.*

1047 Welfo, Welfonis Suevi filius, hoc anno Carinthiæ, & Marchiæ Veronenſi præfuit. *Pesler pag.* 22. *Rubeis pag.* 500. *Ex Hermanno Contracto, & ex Chronico Weingartenſi.*

1048

1048 Sigefridus Comes, Tyrolenſis Regionis, memoratur in Diplomate Henrici III, quo Popponi Epiſcopo Brixinenſi datur Sylva in pago Boſtriſſa in Comitatu Sigefridi Comitis ſita. Actum Ulmæ VIII. Kal. Februarii Vide *Tentaminis Genealogici Cap. III. N. XXIX.*

1049 Eberhardo mortuo in ſedem Aquilejenſem recipitur Goteboldus, ſeu Goſebaldus. *Rubeis pag.* 529, & 530.

1054 Hoc, vel ſequente anno deceſſit Welfo Dux Carinthiæ: ſucceſſit Conradus, cujus Pater neſcitur. *Pesler pag.* 22. *&c.* 25. *&c. Rubeis pag.* 500. *Ex Hermanno Contracto, ad annum* 1055.

1060 Mortuo Conrado Duce, Bertholdus de Zeringen, Suevus, Ducatu Carinthiæ potitur. *Pesler pag.* 25. *ad* 31. *& pag.* 34. *anno* 1058. *vel anno* 1060. Marquardus Eppenſteinius, Comes in Muerzthal, & Goritiæ, liberalitate ſua fundat, vel promovet fundationem Cœnobii Roſacenſis, ſub Regula S. Benedicti: Primus Abbas Geroldus inſtituitur. In Litteris Danduli legitur Udalricus, Marquardi filius, Fundator Monaſterii Roſacenſis, & Patriarcha Aquilejæ appellatur. *Tentam. Geneal. Cap. II. N. XI. & XII. Rubeis pag.* 543. Videtur Dandulus fundationem Marquardi cum liberalitate, vel cum nova fundatione Udalrici Patriarchæ, confudiſſe. Nam anno 1060. Udalricus, Marquardi filius, puer fuit, qui anno 1076. juvenis vocatur, dum, promovente Henrico IV. Imperatore cognato ſuo, Abbas Sancti Galli electus eſt. Porro Marquardus quadraginta manſos monaſterio Roſacenſi donat vel hoc anno, vel aliquo ſequentium.

1061 Goteboldum Patriarcham hoc anno etiam inter vivos fuiſſe certum eſt: ſed incertum tempus mortis; atque adeo incertum quoque eſt initium Ravongerii ſucceſſoris. *Rubeis pag.* 530.

1068 Sigehardus (idem Siginfredus, vel Sigebarius) ſuccedit Ravongerio Patriarchæ Aquilelenſi. *Idem ibidem.*

1070 Hoc anno oblata videtur Marchia Carnioliæ Sigehardo Patriarchæ, tradita poſt ſeptenium, ab Henrico IV. Imperatore. *Rubeis p.* 531. & 534. Duplices tabulæ memorantur in Repertorio Austriaco *Repert. Auſtr. Part. II. pag.* 88. quibus iſthoc anno Domini ac Dominæ Goritienſes monaſterio Roſacenſi varia prædia donant.

1073 Ab Henrico IV. Imp. ob ſanguinis vel cognationis nexum, fidemque, Marquardo Eppenſteinio confertur Ducatus Carinthiæ, quo quadriennio fruitur. *Pesler pag.* 42. *&c.*

1077 Henricus IV. Cæſar Sigehardo Patriarchæ donat vel ipſum Comitatum Forojulii, vel bona illic ſita defuncti Ludovici Comitis: item Marchiæ Carniolæ pars ei tradita videtur. *Rubeis pag.* 534 & 537. Udalricus Abbas ad Sancti Galli, deinde futurus Patriarcha, multis largitionibus auget Monaſterium Roſacenſe. *Vide Tentam. Geneal. Cap. II. N. XI.* Sigehardo Patriarchæ, XII. Auguſti mortuo, ſuffi-

citur

citur Hainricus. *Rubeis pag.* 539. Marquardo Duci Carinthiæ, ſuccedit filius Luitoldus. *Pesler pag.* 42. 43. 44. *Rubeis pag.* 537.

1082 Gotfridus Comes Advocatus Epiſcopi Tridentini Henrici, & ejus Eccleſiæ, legitur in Diplom. Henrici IV. Imp. Vide *Tentam. Geneal. Cap. III. N. XXIX. & Cap. II. N. XV.* ubi & ſucceſſorum Gotfridi mentio fit, quos ſuſpicamur in Tyroli, & Goritia recens accepta, fuiſſe Albertum Tyrolenſem, & Engelbertum, Meinhardumque Goritienſes.

1083 Udalricus Abbas Sancti Galli cum fratre Henrico, Comites in Muerzthal, & Goritiæ, Roſacenſibus omnia jura, & jurisdictiones, confirmant, cum nova donatione Plebis in Brazano. *Vide Tentam. Geneal. Cap. II. N. XI.*

1084 Hainrico Patriarchæ mortuo ſubſtituitur Fridericus. *Rubeis pag.* 536. *& 540. 541. &c.*

1085 Hoc, vel ſequente anno, Fridericum Patriarcham excipit Udalricus, ſeu Wodolricus, Abbas Sancti Galli, Marquardi Ducis filius. *Idem pag.* 542.

1090 Fatalis hic annus fuit Luitoldo Duci Carinthiæ: Itemque Bertholdo, Bertholdi Zæringenſis filio, deſignato Carinthiæ Duci, in cujus deinde locum ſubrogatus eſt Henricus, Luitoldi Ducis, & Udalrici Patriarchæ frater. *Pesler pag.* 44. *& 45. &c. & pag.* 35.

1091 Cacellinus Comes hiſce, temporibus monaſterium Moſacenſe fundavit. *Rubeis pag.* 546. *& ſequente.* Cacellinus iſte, vel inter Goritienſium Majores, vel eorum Cognatos numerandus videtur; tum quia *Comes Palatinus Carinthiæ* appellatur in nonnullis antiquis monumentis teſte Cl. P. RUBEIS: tum quia inferius ad annum 1149. Engelbertus, haud dubie Goritienſis, vocatur *Advocatus Moſacenſis*; ſi Advocatiæ iſtius jus jam tum hereditarium fuit.

1093 vel 1094. Carniolia, Aquilejenſi ſedi erepta, eidem rurſus donatur ab Henrico IV, Cognato Udalrici Patriarchæ. *Rubeis pag.* 547.

1097 Hoc anno mentionem Henrici Ducis Carenthani, & fratris ejus Udalrici Patriarchæ, qui Welfoni Bajoariæ Duci ſuppetias tulere, facit BERTHOLDUS CONSTANTIENSIS. *Bertholdus Conſtantienſis, Continuator Hermanni Contracti, hoc anno pag.* 376. *apud Urſtiſium Parte I.*

1106 Albertus juvenis Comes circa Tridentum, Henrici IV. Cæſaris partibus addictus, Epiſcopos quosdam Romam ad Concilium Proficiſcentes in Valle Atheſina intercipit. *Abbas Urſpergenſis ad hunc annum pag.* 261. *Editionis* 1540.

1110 Idem Albertus Comes legitur Advocatus Gebhardi Epiſcopi Tridentini in Diplomate Henrici V. ad annum 1110. *Vide Tentam. Geneal. Cap. III. N. XXVIII.*

1120 Circa hoc tempus Udalricus Patriarcha (jam ſenex) acceptos a Meinhardo de Guriza, pro beneficio fratris ſui Engelberti, manſos

ſos decem, in loco, qui dicitur Ortuvvin (Duino) donat eidem Eccleſiæ, ac tradit ſuper Altare Sancti Joannis. Ea Eccleſia, Sancti Joannis de Timavo dicta, Belinienſi Abbatiæ confirmatur: atque X. Manſi adjiciuntur, quos a Marchione Engelberto (Iſtriæ) pro ſacrilegio, ab Engelberti ſubditis, incenſa in Carniolia Eccleſia, commiſſo, Udalricus recepit. *Rubeis pag. 553. tabulas refert Udalrici Patriarchæ, inſtauratas a Bertholdo* 1243.

1121 Henricus de Guriza teſtis occurrit in abdicatione Placiti Advocatiæ Aquilejenſis, facta ab Henrico (Duce Carinthiæ) in manus Udalrici Patriarchæ, circa hunc annum: loco Henrici Burchardus Advocatus, iſtis conſentiens, conſtituitur. Tabulas inſtauratas anno 1206. refert Cl. Rubeis. *Rubeis p. 599. &c. ex Ughelli Tom. V. p. 68.* Udalricus Patriarcha obit: ſucceſſorem nactus Gerardum ſeu Geroldum. *Rubeis pag. 558.*

1122 In Tabulis Gerardi Patriarchæ, quibus Clero Forojulienſi Placiti ſynodalis jus conceditur, inter teſtes nominatur Mainhardus, Almericus, Aldager - - - - *Rubeis pag. 557. & 559.*

1127 vel 1128 Henricus Dux Carinthiæ mortalem vitam ponit. *Pesler pag. 46. Hanſiz Germ. ſacr. Tom. II. pag. 226.*

1128 Bertholdi Comitis de Andechs occurrit memoria apud Hundium. *Hundius Gewoldi Tom. II. Metrop. Salisburg. pag. 68.* Gerardus Patriarcha exautoratur: vacat ſedes anno 1129. *Rubeis pag. 563.*

1128 vel 1129 Henricus, dictus junior, Dux Carinthiæ renuntiatur. Erat e ſtirpe Comitum Sponheimenſium de Ortenburg, & de Lavanda Valle in Carinthia, Engelberti ſenioris filius, junioris frater. *Pesler pag. 54. &c. Rubeis pag. 555. Hanſiz Tom. II. Germ. ſacr. p. 226.*

1130 Mortuo Henrico juniore, Dux ſit Engelbertus frater, qui teſtis occurrit, ut Dux, in Diplomate Lotharii Regis ab Hundio producto. *Hundius Tom. III. Metrop. Salisb. pag. 155. Hanſiz Tom. II. Germ. ſacr. pag. 227.* Erbonem, cum PESLERO, e numero Ducum Carinthiæ excludimus. *Pesler pag. 53. &c.* Gerardo Patriarchæ, rurſum ſede moto, ſuffectus eſt Egelbertus. *Rubeis pag. 563. & 564.*

1132 Peregrino novo Patriarchæ, Sponheimenſis Henrici Carinthiæ Ducis filio, ab Innocentio II. Pontifice poteſtas datur ſuper Abbatias Oſiacenſem, Moſacenſem, Roſacenſem, & Belinienſem. *Rubeis pag. 564.*

1135 & 1138 Ulricus Engelberti Ducis filius, vivo patre, cum Ducis titulo occurrit in uno alterove Documento *Pesler pag. 55. & 56.* Res hoc ævo non eſt præter morem. Circa hæc tempora (teſte Bellono) *Antonius Bellonus in Vitis Patriarch. Aquil. pag. 41. Murator. Tom. XVI.* iniit Peregrinus Patriarcha transactionem, cum Goritiano Comite (Meinhardo I.) qua tam Goritiæ, quam Moſpurgi oppida, deprehenduntur eſſe feuda S. Aquilejenſis Eccleſiæ.

1139 Meinhardus cum filio Henrico, Comites Goritiæ, abdicant certi pactis advocatiæ jura in præpoſituram S. Stephani de Aquileja, permoti querelis Hartvici ibidem Præpoſiti. Actum in Civitate Auſtrali Forojulii in Capella S. Paulini Patriarchæ anno MCXXXIX. *Rubeis Tabulas profert ex Archivo Utinenſi pag. 567. &c.*

1141 Comes Bertholdus de Tyrol inter teſtes occurrit apud MEICHELPECKIUM, probabiliter Henrici I. Tyrolenſis Pater. *Vide Tentam. Geneal. Cap. III. N. XXV. & XXVI.*

1142 Engelbertus Dux Carinthiæ moritur, filium Ulricum Ducem relinquens. *Pesler pag. 55.*

1146 HUNDIUS (BERN. PEZIO ſimilia producente) *Stemmatogr. Bavar. Part. I. fol. 73. ex libro Traditionum Admontenſium. Et Bern. Pez Theſ. Anecdot. Tom. III. Part. III. pag. 716.* ſequentia prodit. (" Invenio Comitem Engelbrecht de Gœrz, item Comitem Henricum „ de Gœrz anno 1146, Comes Engelbrecht dabat Poſſeſſionem mo„ naſterio Admontenſi cum conſenſu Domini Ottonis, & Domini „ Berchtoldi de Rechberg, qui erat filius ſororis Engelbrechti. Memoratus Comes Henricus de Gortze teſtis legitur in confirmatione contractus, facta Chunrado Salzburgenſi Archiepiſcopo, quem inivit Hartvvicus miniſterialis Salisburgenſis Eccleſiæ,& frater ejus Almelricus cum Engilſchalcho de Frieſaco, de prædio Slavvesbach. *Bern. Pez Anecdot Tom. III. Part. III. pag. 690.*

1149 Engelbertus II. Comes Goritiæ, Advocatus Aquilejenſis, teſtis ſub ſcripſit Diplomati, quod Conradus II. dedit in favorem Eccleſiæ Moſacenſis Die VIII. Maji. *Rubeis pag. 570. ex Ughello Tom. V. p. 63.*

1150 Mortuo Comite Henrico, Engelbertus II. ejus frater Advocatus Aquilejenſis cum Patriarcha Peregrino paciſcitur: ac ob eundem antea captum, & patrata Sacrilegia, idem aſſignat multos Manſos in Carſo & Carinthia, & Caſtrum Mosburg: item ſi improlis decedat, Goritiam. Die ultima Aprilis. Peregrinus libertati reſtitutus fuerat armis Ottochari IV. Marchionis Stiriæ, & Perchtoldi Com. de Andechs. *Rubeis pag. 571. adfert Schedam memorialem hac de re ſcriptam a Notario, anno 1150. Et excerpta ex Hiſtor. MS. Bautſchneri.*

1151 Bertholdus I. Comes de Andechs moritur, ſepultus in Dieſſen: de quo egimus *Tentam. Genealog. Cap. III. N. V.* Fuit frater Popponis, & Ottonis de Wolfratshuſen: Pater Bertholdi II. & Ottonis Epiſcopi Bambergenſis, ex Sophia de Ammertal.

1153 Poſtremum hoc anno occurrit Ulricus I. Carinthiæ Dux. *Pesler pag. 61. ex Ludewigii Reliq. MS. Tom. XI. pag. 553.*

1154 Cum Rege Friderico I. Italiam ingreſſus eſt Engelbertus Comes Goritiæ. *Excerpta ex Bautſchneri MS. Hiſtoria Goritiæ & Iſtriæ a Cl. P. Hanſiz S. J.*

1158

1158 Albertus nobilis Comes de Tyrol, probabiliter Bertholdi frater, ad Mediolanum Ligurem armatum, pene inermis, ſingulari certamine ſternit. *Tentam. Geneal. Cap. III. N. XVIII. & XXVI.*

1160 Engelbertus Comes Goritiæ hoc circiter anno abdicat Advocatiam Monaſterii Belinienſis, certis conditionibus, quas inter ea erat: ut Monaſterium Comiti triginta duos manſos traderet. *Rubeis p. 556.*

1161 Henricus junior, Dux Carinthiæ, mari jonio hauſtus periit: cui ſucceſſit Hermannus frater. *Chronicon Admontenſe Hier. Pez Tom. II. pag. 138. & Pesler pag. 62.* Obiit hoc anno Engelbertus Comes Hallenſis *Chron. Admont. ibidem.* qui non eſt confundendus cum Engelberto Goritiano; hic enim teſtis occurrit in Diplomate Henrici Ducis Auſtriæ, quo fundat Monaſterium B. V. Mariæ ad ſcotos Viennæ, dato hoc anno die XXII. April *Cod. Diplom. Bern. Pez Part. I. pag. 435. &c.*

Die VIII. Auguſti Peregrinus Patriarcha vivis ereptus, locum dedit Udalrico II, Comiti de Treven, qui ſequente anno ſedem adiit: *Rubeis pag. 586. & pag. 590. Chronicon Admont. pag. 188.*

1171 Engelbertum & Meinhardum C. C. Goritiæ Teſtes in Admontenſi Charta adſcriptos memorat Cl. Hanſizius. *In excerptis ex Hiſtoria Bautſchneri MS.*

1173 Bertholdus III. hoc anno primum occurrit *Dux Meraniæ*, & anno ſequente Pater ipſius, Bertholdus II. Comes de Andechs primum legitur *Marchio Iſtriæ.*

1174 Unde circa hos annos pater, & filius his titulis ornati fuiſſe videntur; de quo vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. III. N. VI. &c.*

1177 Comes Bertholdus de Tyrol, & Comes Henricus de Eppan in antiquo Traditionum Codice Biburgenſi memorantur ab Hundio. *Hundius Stemmatograph. Bavar. Part. I. fol. 74.*

1180 Duo Bertholdi Andecenſes, Pater Marchio Iſtriæ, & filius Dux Meraniæ datis binis tabulis conventionem firmant, factam inter ipſos & Dietericum (non Henricum, ut male habent Apographa) Præpoſitum, & Monaſterium Wiltinenſe. Conſentientibus etiam ipſius Bertholdi III, Ducis Meraniæ, filiis Ekeberto, Ottone, Hainrico. Acta in Wiitin. Vide TENTAM. GENEALOG. *Cap. III. N. VII.*

1181 Hermannus Dux Carinthiæ vita functus filios duos reliquit, Ulricum & Bernhardum: Bernhardus Ducatum obtinet. *Pesler pag. 22. &c.*

1182 Udalricus II. Patriarcha naturæ penſum perſolvit, cujus loco Gotefridus Præſul renunciatur. *P. Rubeis pag. 627.*

1184 Henricus, *Comes Tyrolis*, a Patriarcha Gotefrido traditum accepit dimidium telonii in Clamaun (ſeu Clemonæ) idque confirmat Fridericus I. Imperator. *Datum Vincentiæ XVI. Kal. Decembris* (XVI.

Novembris) *anno* 1184. *Repertor. Auſtr. Part. II. fol.* 740. *Vide Tentamen Genealog. Cap. III. N. XXIV.* Idem Fridericus Imperator confirmat jura, & poſſeſſiones Monaſterii Admontenſis: ubi inter teſtes ſeſe offert *Engelbertus Comes de Gurtze. Bern. Pez Cod. Diplom. Admont. p.* 676. *&c. Anecdot. Tom. III. Part. III.*

1186 Idem Engelbertus Comes, & Meinhardus ejus filius, teſtes leguntur in tabulis Gotefridi Patriarchæ, quibus varia impertitur Clero Civitatenſi, ſeu Civitatis Auſtriæ. *Rubeis pag.* 632. In alio Documento hujus anni Engelbertus Comes Goritiæ, Advocatus Aquilejenſis, conſentientibus filiis ſuis Meinhardo (Meginhardo) & Engelberto, Witemaro Belinienſis Eccleſiæ Abbati, ad delendas injurias, cedit montem quendam apud Cremons, (Cormons) decimasque ejusdem montis. Id actum eſt Aquilejæ in Patriarchali Palatio die V. Septembris. *Rubeis pag.* 651. Circa hoc tempus obiere Engelbertus II. Comes Goritiæ, & Bertholdus II. Andechſius, Marchio Iſtriæ. Vide TENTAMINIS *noſtri Genealog. Cap. III. N. X. & N. VII.* ubi oſtendimus etiam N. IX. Bertholdi II. filiam fuiſſe Mattilden, Engelberti II. Comitis Goritiæ conjugem: filios Bertholdum III, Ottonem II. Epiſcopum Babenbergenſem, & Popponem, ex Hadvvige conjuge.

1187 Bertholdus III. Andechſius, Dux Meraniæ, & Marchio Iſtriæ in tabulis judicii, lati de lite inter Monaſterium Wiltinenſe, & Oenipontanos, mentionem facit Bertholdi II. Patris ſui jam defuncti. Vide TENTAMINIS *noſtri Cap. III. N. VII.*

1188 Gotefridus Patriarcha jura Moſacenſis Eccleſiæ, transactione facta, firma eſſe jubet, hac documenti ſubſcriptione. "Quod actum eſt „ apud Villam, quæ dicitur Petra in Prato quodam ſub teſtimo„ monio Romuli Concordienſis --- Meinhardi junioris Advocati „ --- anno Domini MC. octuageſimo octavo. Indictione ſexta. *Rubeis pag.* 633. *ex Ughello.*

1189 Commune in Claumaum (Clemona) tertiam oppidi ſui partem Henrico *Comiti Tyrolis* tradit. *Repert Auſtr. Part. II. fol.* 463. Bertholdus Dux Meraniæ Fridericum I. Imperatorem in Palæſtinam ſequitur. *Burglehner Lib. XIII. Cap. IV.*

1190 Ulricus, & Bernhardus Duces Carinthiæ apud Peslerum *pag.* 66. *ex Hanſizio Germ. ſacr. Tom. I. pag.* 338. *& Megiſero Lib. VII. pag.* 824. hoc anno commemorantur.

1192 Ante finem hujus anni Richardus Angliæ Rex, e Palæſtina redux, intra Venetias & Aquilejam naufragium paſſus, ægre captivitatem evitavit, intentatam a Meinhardo Goritiæ Comite, qui Richardum cum populo Regionis ſuæ inſequebatur. *Rogerius Howedenus Annal. Angliæ Part. Poſter. Epiſtolam adſert Henrici VI. Imp. ad Philippum Regem Franciæ miſſam; Rerum Anglic. ſcript. Francofurt. edit.* 1601. *pag.* 721. *in qua hæc enar-*

enarrat Henricus. Idem Rex hoc anno exeunte ad Viennam Auſtriæ capitur. *Cl. P. Calles Annal. Auſtr. Part. II. Lib. II. fol.* 109.

1194 Gotefridus Patriarcha obiit, ſucceſſorem nactus Peregrinum, ſeu Pilgrinum II. menſe Februario anni ſequentis. *Rubeis pag.* 639.

1195 In Diplomate Peregrini Patriarchæ Comes Meinhardus de Goritia teſtis comparet. Datum die VIII. Februarii. *Rubeis pag.* 639. *ex Muratorio, qui hoc Diploma ex Archivo Eſtenſi protulit, in Diſſertation. XI. Antiq. medii ævi.*

1197 Ex litteris Comitis Henrici de Matray, ſuper Decimis pro Eccleſia B. Datis anno 1197. ſequentia excerpſit Cl. ROSCHMANNUS (" Rogatu amicorum meorum, videlicet Comitis Meinhardi, & „ fratris ejus Engelberti Comitum de Gœrz.) Has litteras *in MS. Hiſtoria* protulit ANDREAS ZIBOK, quem laudat Brandis in Præfat. ad Aquilam Tyrolenſem. Meinhardus Comes Goritiæ cum Friderico Duce Auſtriæ in Palæſtinam profectus eſt: Fridericus Auſtrius illic mortalitatem poſuit anno 1198. die XV. Aprilis. Hoc Meinhardi iter in Palæſtinam reditumque poſt biennium circiter ſuſceptum e documentis inferius ad annum 1203. adducendis comprobabimus.

1201 Engelbertus Com. Gorit. Advocatus Cœnobii Milſtatenſis remittit Alkario Abbati litem de modio frumenti. Datum Villaci anno 1201. *Excerpta Hanſiziana ex Hiſtoria MS. Bautſchbneri &c.*

1202 Peregrinus II. Patriarcha ut adverſum Tarviſinos, adjutores haberet Venetos, inter Venetos Cives ſe referendum curavit *Dandulus in Chronico ad annum* 1202. *p.* 342. *Muratorii Tom. XII. Script. Ital.* Tarviſinis ſocii acceſſerunt Engelbertus III. & Meinhardus II. Comites Goritiæ, Fratres, qui bellica virtute eo adigere Patriarcham contendebant, ut jura Advocatiæ illa abdicaret, quæ ſibi Comites tribuebant ex conventione facta ſub Udalrico II. Pax denique ſancita eſt, operam conferentibus Ducibus Leopoldo Auſtriæ, & Styriæ, Meraniæ Bertholdo III, Carinthiæ Bernhardo, & Comite Alberto Tyrolenſi. Actum apud Eccleſiam Sancti Quirini juxta Cormons die XXVII. Januarii (ſeu quinto die exeunte menſe Januario) Inter conditiones ea erat: (" Comites quidem de Goritia debent habere Caſtrum de „ Goritia cum omni proprietate.) *Rubeis pag.* 644. *&c.* Nempe olim dimidium Regionis ad Patriarchas pertinuiſſe initio hujus Chronici vidimus. Die XIII. Decembris nova concordia inita eſt de jure Advocatiæ Eccleſiæ Aquilejenſis, per arbitros definito, inter Peregrinum II. Patriarcham, & Comites Meginhardum, & Engelbertum, qui jure jurando conteſtantur, Patrem ſuum Engelbertum Advocatiam ab Aquilejenſibus Patriarchis accepiſſe. *Rubeis ibidem.* Non tamen adjungitur: *Primum* Engelberto hanc Advocatiam e Goritianis collatam fuiſſe.

1203 Leopoldus VII. Dux Auſtriæ confirmat monaſterio S. Crucis donationem Villæ Wecindorff, factam a fratre ſuo Duce Friderico, in Palæſtina 1198. mortuo, qui præſente *Meinhardo de Gource* prædicto Monaſterio Villam illam teſtamento legavit. *Marquardi Hergott Monument. Auguſt. Dom. Auſtr. Tom. I. pag.* 205. *&c. Conſer notulas Ortilonis ad annum* 1197, *&* 1198. *pag.* 136. *Nempe anno* 1197. *Fridericus D. Auſtriæ cum permultis in terram S. abiit an.* 1198. *XVII. Kal. Maji ibi obiit, teſtamento antea, Meinhardo teſte, condito.*

1204 Si PALLADIUM audimus, a P. RUBEIS citatum, nova hoc anno controverſia ſedata eſt inter Patriarcham Udalricum II. & Comites Tyrolis & fors Goritiæ Albertum, & Henricum ex una parte: ex altera inter Engelbertum, & Meinhardum Comites Goritiæ. *Rubeis pag.* 644. *&c. Vide Tentam. Geneal. Cap. III. N. XXVII. & XXVIII.* Die XV. Maji vita functus eſt Peregrinus II. Patriarcha, cui ſucceſſit Volkerus, ſeu Volcherus. *Rubeis pag.* 651. *&.* Hoc eodem anno Bertholdus III. Andecenſis, I. Dux Meraniæ, extremum ſpiritum duxit, ſepultus in Dieſſen. Quos filios præter Ottonem I. Ducem Meraniæ, & filias reliquerit ex Agnete Miſnia, *Vide Tentam. noſtrum Genealog. Cap. III. N. VIII. & IX. ex Aventino, Arenpeckio, & Hundio. &c.*

1205 Engelbertus Comes Goritiæ in Baſilica Aquilejenſi Volchero Patriarchæ offert arma & inſignia equeſtria benedicenda, quibus tunc complures inſigniti ſunt. *Excerpta Hanſiziana ex MSta Hiſtoria Bautſchneri.*

1207 Philippus Rex Auguſtus (in Diplomate vocatur Philippus IIdus) confirmat Manegoldo Patavienſi Epiſcopo donationes, cum ab ſe, tum ab Ottone Duce Meraniæ certis pactis factas. Diploma datum eſt die II. Novembris. Teſtes: Volfkerus Patriarcha Aquilejenſis - - - Benhardus Dux Carinthiæ - - - Meinhardus Comes de Görze. *Hanſizius Germ. ſacr. Tom. I. pag.* 351.

1208 Otto IV. Imperator Privilegia Eccleſiæ Aquilejenſis confirmat, & Patriarcham Volſcherum (Volkerum) atque Canonicos in ſuum Patrocinium recipit. Teſtes: Ludovicus Dux Bavariæ, Meinhardus Comes Goritiæ, & Albertus de Tyrol. *Rubeis pag.* 658. & 663. Nota: Goritienſem Comitem Tyrolenſi, & alias aliis præponi. Circa hoc tempus e vita exceſſit Albertus, penultimus ejus nominis, Comes Tyrolis, relicto Alberto filio. De his vide TENTAMEN GENEALOGICUM *Cap. III. N. XXV.*

1209 Henricus, Marchio Iſtriæ, Bertholdi IIItii Andecenſis filius, die Epiphaniæ Domini, Auguſtæ Vindelicorum ab Ottone IV. Rege exauctoratur, velut complex cædis Philippi Regis. *Otto a Sancto Blaſio in Appendice Cap. L. pag.* 162. *apud Urſtiſium Parte I.* Iſtria probabiliter primum Ludovico Bavariæ Duci data eſt: etſi & Volkerus Pa-

Patriarcha Aquilejenſis, in comitiis Auguſtanis, Iſtriam ſibi reſtitui petierit. *Rubeis pag.* 658. Huc referenda videntur, quæ ANONYMUS LEOBIENSIS, anachroniſmis ſcatentia, refert ad annum 1190. *Anonymus Leobienſis ad annum* 1190. *pag.* 798. *H. Pez Tom. I.* Otto IV. Imperator confirmat largitionem Fori Julii, & transactiones, olim factas inter Peregrinum II. Patriarcham, & Meinhardum Comitem Goritiæ: item inter Udalricum II. & Engelbertum Comitem. *Rubeis p.* 664.

1210 In Diplomate Henrici VI. Imperatoris, Adalpreti (Adalberti, ſeu Alberti) Advocati Eccleſiæ Tridentinæ fit mentio, ipſeque inter teſtes ſubſcribitur. *Ughellus Italiæ ſacr. Tom. V. pag.* 595. Eſt hic citra dubium Albertus ultimus Comes Tyrolis. Ludovicus Dux Bavariæ confirmat Wilthinenſi Monaſterio in Tyroli ſito, omnia jura & privilegia (quoad poſſeſſiones, quæ ſuo juri ſubſunt) quæ olim conſenſu Brixinenſis Epiſcopi H - - - obtinuiſſet a Bertholdo Illuſtri Marchione Iſtriæ, & filio ejus Bertholdo Duce Meraniæ & March. Iſtriæ, hujus quoque filiis Ekeberto, Ottone, & Hainrico, hereditario jure ipſi ſuccedentibus - - - Chartam autographam vidit Cl. ROSENTHALIUS & apographum ejusdem habeo.

1212 Idem Albertus Comes vadem ſe præſtitit pro Friderico de Wangen, Epiſcopo Tridentino, qui a Domino Engelberto de Pyſein emit quædam loca, nec integrum pretium parato ære perſolvit. *Burglehner Lib. XV. Cap. III. pag.* 1040.

1214 Meinhardus II. Comes Goritiæ Domino Normanno, Parocho in Codievvibio donat ad dies vitæ uſum fructum ſeptem prædiorum Ruſticorum in pago Codroix (Codroip) *Repertorii Auſtriaci Part. II. fol.* 826.

1215 Otto I. Dux Meraniæ in Comitiis Ratisbonenſibus a Friderico II. fiduciario jure collatam recepit Iſtriam, quam Ludovico Bavariæ Duci Otto IV. contulerat 1209. *Burglehner Lib. XIII. Cap. IV.*

Meinhardus II, & frater Engelbertus III. C. C. Goritiæ abdicant jus Advocatiæ in quosdam Manſos, poſitos in Faganea, in diſtrictu Cœtus Canonicorum Civitatis Auſtriæ. Documentum datum eſt die XII. Decembris, & communitum a Laurentio a Turre. *Rubeis pag.* 672.

1216 Dum Romæ, ſub Innocentio III, Generali Synodo Lateranenſi IVtæ interfuit Patriarcha Volkerus; interea Meinhardus II, Comes Goritiæ, pro jure Advocatiæ ſibi pagum Farræ vendicabat, eamque Villam ingrediens Capitulo Aquilejenſi gravia damna irrogavit. Delatæ jam fuerant ad Patriarcham Canonicorum querimoniæ; utriusque partis diſcuſſiis rationibus, lata adverſus Comitem ſententia: robur acceſſit Apoſtolicæ autoritatis, ut ſine appellatione reſtitutionis ſententiam Comes obſervaret. Hæc complectuntur Tabulæ juſſu Jordani Patavini Epiſcopi, die III. Junii confectæ, cui demandatum eſt, ut Papæ lit-

litteras ad Meinhardum mitteret, eundemque ad ſatisfaciendum Aquilejenſi Canonicorum Collegio ſacra auctoritate cogeret. Initium Tabularum eſt: " Strenuo ac Nobili Viro Meinhardo Co-„ miti de Goritia Jordanus Epiſcopus Spiritum melioris conſilii „ precatur. *Rubeis pag.* 673.

1217 Tabulæ concordiæ conſtitutæ ſunt inter Volkerum Patriarcham, & Leopoldum Ducem Auſtriæ, & Styriæ, die IX. Junii, in præſentia Domini Meinhardi, & D. Engelberti Comitum de Gorze. *Rubeis pag.* 675. *ex alia Charta, ſub Raimundo Patriarcha exarata anno* 1293, *die penultima Maji in civitate Auſtriæ.*

1218 Mortuo XXIII. Januarii Volkero Patriarcha, ſubſtituitur Bertholdus Andecenſis, Bertholdi III. Ducis Meraniæ filius, & Ottonis I. Ducis viventis frater. *Rubeis pag.* 677. Terminatis Comitiis Norimbergenſibus Otto I. Meranius Romam contendit; ut Fridericum II. Honorio III. Pontifici conciliaret. *Burglehner Lib. XIII. Cap. IV.* Circa hoc tempus obiit Engelbertus III. Com. Goritiæ. *Tentam. Geneal. Cap. III. N. XIII.*

1222 Bertholdus Patriarcha Patavii Civium albo ſe inſeri curat, ut Patavinos ſibi conciliaret adjutores, adverſus Tarviſinos ſeditioſos. Venetos quoque, ut ſibi faventes haberet Patriarcha, cum Comite (Meinhardo) Goritiæ, Advocato ſuo, Venetias veniens cum Duce Petro Ziano pacem firmavit. " Acta apud Venetias in Hoſpi-„ tali S. Mariæ Cruciferorum, in præſentia D. Corradi Epiſcopi „ Tergeſtini - - - - anno Domini MCCXXII. VIII. die exeunte „ Junii (die 23.) Indictione X. *Rubeis pag.* 691. Quod Volkerus Patriarcha anno 1209. tentaverat, effeciſſe videtur hoc anno Bertholdus, recepta Iſtria, & Carniolia (aut fortaſſe potius earum parte) favore Friderici II. Imperatoris. Sane anno 1222. Bertholdum Patriarcham ſe ſcripſiſſe *Iſtriæ, atque Carniolæ Marchionem*, adnotavit R. P. RUBEIS *pag.* 696.

1223 Plena abdicatio Advocatiæ in Faganea (aliqua enim facta eſt anno 1215.) his ipſius Documenti verbis exponitur: " Anno Domini „ MCCXXIII. IX. die exeunte Septembri (die 22.) Indictione XI. „ Meynardus Comes ſenior, & Meynardus junior Comes de Go-„ ritia pro pretio XIX. Marcharum Aquilejenſis Monetæ, quod „ confeſſi ſunt ſe recepiſſe, & eis bene ſolutum fuiſſe a Capitulo „ Civitatenſis Eccleſiæ, refutaverunt, & tradiderunt in manibus „ D. Bertoldi Aquilejenſis Patriarchæ Advocatiam omnium Man-„ ſorum ejusdem Civitatenſis Eccleſiæ, quos habebant in Faganea, „ cum omni jure ad ipſam Advocatiam pertinente - - - - - Ego „ Leonardus Imperialis Notarius interfui, & rogatus hanc Char-„ tam ſcripſi, & authenticavi. *Rubeis pag.* 696.

1224 Archivi Aquilejenſis Tabulæ, datæ 1224. decimo die intrante menſe Junio, Indictione quinta decima, (corrige duodecima) quibus Ber-

Bertholdus Patriarcha varias preces inſtituit, & congrua ſtipendia attribuit. Inter teſtes primus occurrit Meinhardus junior (ſeu III. Comes Goritiæ) Conradus Decanus - - - - *Rubeis pag.* 703.

Comes Albertus Tyrolis Eberhardi Tridentini Epiſcopi *Aſſeſſor* fuit, in judicio Aulico in Bozen; ut refert ad hunc annum BURGLEHNERUS *Lib. XV. Cap. V. pag.* 1031.

1225 Hoc tempore S. Antonius Paduanus (P. ANGELICO *de Vicenza* teſte *in vita* S. *Antonii Italice ſcripta.*) Fundavit Goritiæ Monaſterium R. R. P. P. Conventualium S. Franciſci, cui ipſe primus, Guardiani nomine, præfuit; & hodiedum illic in Sacello S. Catharinæ colitur.

1126 " Dominus Comes Meynardus ſenior de Goritia, cum manu, &
„ voluntate Nepotis ſui, Comitis Meinhardi junioris de Goritia,
„ qui fuit filius Engelberti III. fratris Meynardi ſenioris, pro CCCC.
„ Marchis, argenti, quas D. Pertoldus Patriarcha Aquilejenſis dicto
„ Comiti Meynardo ſeniori perſolvit, de quibus ipſe Comes ſe be-
„ ne ſolutum clamavit pro Villa de Sedeglano, Villa de S. Lauren-
„ tio & pro Villa de Grillons. Quas præfatus Dominus Patriarcha
„ eidem Comiti Meynardo ſeniori in feudum contulit, ut eas
„ quamdiu vixerit habere debeat, cum omnibus redditibus, qui ex
„ iisdem villis præfato Domino Patriarchæ proveniebant, & quos
„ ipſe ad manus habebat. Ita tamen, quod præfatus C. non debeat,
„ nec poſſit easdem villas impignorare, inveſtire, nec aliquo modo
„ obligare: aliter debeat amittere omne jus. Inſuper tota proprie-
„ tas, quam idem Comes habet in Latiſana, libere & abſolute de-
„ bet eſſe Eccleſiæ Aquilejenſis: & pro IV. Marchis Aquilejenſis
„ Monetæ, quas idem Comes in vita ſua annuatim percipere debet
„ de Muta (*pretio ſolvendo pro permutatione prædii*) Aquilejæ, dedit,
„ donavit, & poſuit ſuper Altare Sancti Marci, ad proprium tradi-
„ dit Aquilejenſi Eccleſiæ Dei, præfato Patriarcha recipiente nomi-
„ ne, & vice ejusdem Eccleſiæ, Caſtrum de Linz cum omnibus
„ poſſeſſionibus, & Masnatis (*Manſionibus, domibus*) omnique jure,
„ & jurisdictione, jure proprietario ad dictum Caſtrum pertinente:
„ & Caſtrum de Roteſtayn cum omni jure, & Portum de Latiſana
„ cum omnibus ſuis pertinentiis, & inſuper omnem ſuam proprie-
„ tatem ubicunque ſit, quam tunc viſus eſt habere; exceptis Briſi-
„ nico, Carpanara, Blancara cum eorum pertinentiis; & excepta
„ illa proprietate, quam D. Federicus de Purcillis a præfato Co-
„ mite in feudum tenebat; & ſalva quæſtione, quam Dominus Pa-
„ triarcha cum eodem Domino Comite habebat de quadam ſilva.
„ Et ibidem incontinenti præfatus Dominus Patriarcha inveſtivit
„ prænominatos Comites de omni ſupradicta proprietate ad rectum
„ Feudum; ita quod eorum heredes, tam feminæ, quam Maſculi,

„ in eodem feudo ſuccedere debeant: & quod præfati Comites, &
„ eorum heredes, vel proheredes non debeant, nec poſſint præfa-
„ tum Feudum alicui inveſtire, vel aliquo modo alienare; hoc ex-
„ cepto, quod uxoribus ſuis donationem propter nuptias iidem fa-
„ cere poſſint. Ita quod ſi ipſæ ex eis liberos non ſuſceperint, non
„ debeant habere eandem donationem, niſi quamdiu ipſæ vixerint.
„ Deficientibus autem maſculis & feminis, ſupradicta proprietas
„ pleno jure ad Aquilejenſem Eccleſiam abſolute devolvi debet.
Actum die 27. Octobris. Sed eadem Charta ſubinde tranſcripta eſt 1242. die XV. Julii. *P. Rubeis pag.* 717. *ex Codice MSto manu propria Belloni exarato, qui Chronicon Forojulienſe, & multa documenta continet.*

1228 Henricus, olim Marchio Iſtriæ, Andecenſis, hoc anno obiit, ſepultus in Dieſſen; cujus uxor erat Sophia. *Vitus Arenpeckius Chron. Bajoar. ad annum* 1228. *Hundius Stemmatographia Bavar. P. I. pag.* 30. *ex Calendario Dieſſenſi. Errant additamenta ad Chronicon Mellicenſe, ubi mors Henrici poſt annum* 1241. *collocatur.*

1231 In Charta Bertholdi Patriarchæ, qua hoc anno die XIV. Junii privilegia quædam Civibus Aquilejæ concedit, inter teſtes comparet Maynardus de Goritia. *Rubeis pag.* 707. *integram Chartam repræſentat.* Hoc circiter anno ex hac vita migravit Beatrix, Ottonis I. Meraniæ Ducis Uxor, filia Ottonis Comitis Palatini Burgundiæ, poſt cujus obitum Otto Meranius partem Palatinatus Burgundiæ, titulumque obtinuit. *Burglehner Lib. XIII. Cap. IV.*

1232 Conradus I. Abbas Admontenſis tranſigit cum miniſterialibus Comitis Meinhardi (II. vel III.) de Gorze ſuper lite quadam; („ utque de hac compoſitione non poſſit in poſterum dubitari; Nos Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis, Apoſt. Sedis Legatus, Chunradus Abbas Admuntenſis cum univerſitate conventus noſtri, nos quoque Meinhardus Comes de Gorce cum miniſterialibus noſtris prædictis Cholone, Volkero, & Chunone nepote eorum &c. ---- Acta ſunt hæc apud Segrrs anno Domini MCCXXXII. Indictione V. *Cod. Diplom. Admontenſ. pag.* 791. *&* 792. *Bern. Pez Theſaur. Anecdot. Tom. III. Part. III.* Meinhardus III, ſeu junior, Goritiæ Comes, Diplomate, dato menſe Martio, quod penes ſe extare ſcripſit D. Comes Attemſius („ confirmat fundationem commendæ, ut ajunt, Teutonicæ in Precinis, factam a *Patruo* ſuo *Meinhardo Seniore.*) In eodem Diplomate idem Meinhardus junior de ſe loquens ait: („ *qui Patruis, & Patruelibus bonis Deo auctore ſucceſſimus.* Ex his verbis *primo* colligitur: Meinhardum II, ſeu ſeniorem, jam hoc tempore mortuum fuiſſe, quod ex ſuperiori Diplomate certum non erat. *Secundo:* cum *Meinhardus III, Meinhardum Seniorem Patruum ſuum appellet* (ut etiam, adnotato menſe Martio, *Doctiſſ. Pater* HANSIZIUS ex BAUTSCHNERO advertit) manifeſte inde eruitur: Patrem

trem hujus Meinhardi III. fuiſſe Engelbertum III. fratrem unicum Meinhardi II.

Eodem anno Henricus Brixinenſis Epiſcopus, natus Comes de Taufers, juſſu Friderici II. Imperatoris, Ravennæ Ottoni I. Meraniæ Duci contulit Feuda in Pfuſterthal, Comitatum S. Michelſpurg, item Matray, Vellemberg, Thaur, &c. *Burglehner Lib. XIII. Cap. IV.*

Tractatum quoque hoc anno fuit, ut ſententia decretoria ferretur de Advocatia Brixinenſi, qua, hac ætate, alternis gaudebant Duces Meraniæ, & Comites Tyrolis. *Burglehner Lib. XVI. Cap. III.* Hac de re inferius ad annum 1241. recurret mentio.

1234 Meinhardus III. Goritiæ Comes convenit cum Bertholdo Patriarcha, (cujus nepos hic appellatur Meinhardus) de telonio aliisque juribus in monte Tauro & Creizberg. *Repert. Auſtr. Part. II. fol.* 741. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. II. N. V.*

Otto I. Meraniæ Dux, Andecenſis, Oenipontem Oppidum hactenus, auctum, munitumque, Urbem declarat; cujus rei teſtimonium ex antiquis verſibus perhibet BURGLEHNER: *Lib. XIII. Cap. IV.*

„ Otto Meraniæ Princeps cognomine Magnus
„ Inſprugg circumdat muris, & mœnia fundat:
„ A nato Chriſto poſt annos Mille ducentos,
„ Trigeſimo quarto privilegia Dux dedit Otto.

Paulo poſt fundatam Urbem in eadem cœtum Provincialem coëgit Otto; adfuere illic Gerhardus I. Tridentinus Epiſcopus, Hainricus Brixinenſis, & Albertus ultimus Tyrolis Comes, Trautſoniis quoque feuda iſthic confirmata ſunt.

His peractis, hoc eodem anno, mortem oppetiit Otto Dux ſepultus in Monaſterio Lanckheim prope Staffelſtain in Vogtlandia, quod ipſe, & uxor Beatrix Burgundica fundaverant, relicto ſucceſſore Filio *Ottone II.* Filiabus item *Agnete*, primum Friderico II. Auſtriaco Duci, ſubinde Ulrico Duci Carinthiæ nupta. Secunda *Eliſabetha*, uxore Domini Hardegen de Grundlach: poſtea Friderici Zollerani Burggravii Norimbergenſis. Tertia *Beatrice*, quæ e Comite Orlamundi ſuſceptos duos filios jugulaſſe dicitur; ut Alberto Zollerano potiretur. Quarta *Margaretha*, quæ poſt obitum Fratris Ottonis II. jura in Burgundiam vendidit Hugoni, Duci Burgundiæ. Hæc BURGLEHNER ex GUILLIMANNO & aliis. *Loco cit.*

1235 In Diplomate Friderici II. Imperatoris, quo confirmat Privilegium a Friderico I. Imperatore Admontenſi Benedictinorum Cœnobio, in Styria ſito, datum. Teſtes occurrunt: Fridericus Dux Auſtriæ,

Bernhardus Dux Carinthiæ. M. Dux Locharingiæ, Hermannus Magiſter Hoſpitalis Teutonicorum, Comes Hermannus de Horlamunde, Comes Meinhardus de Gorze - - - - - Acta ſunt hæc menſe Majo anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXV. Indict. VIII. Imperii XV. R. Siciliæ XXXVIII. Datum apud Novum Forum in Stiria. *Bernard. Pez anecdot. Tom. III. P. III. pag.* 602. *Cod. Admont.*

1236 Patriarcha Aquilejenſis (Bertholdus) cum Eckeberto, fratre ſuo, Epiſcopo Babenbergenſi, Eberhardo Salisburgenſi, & Bernardo D. Carinthiæ, Styriam hoſtiliter intrantes, Eccleſias ſpoliaverunt. Nempe Fridericus II. Imp. terras Friderici II. Ducis Auſtriæ, & Styriæ, recens proſcripti, expugnandas commiſit quibusdam Principibus & Epiſcopis. *Chron. Salisb. Hieron. Pez Tom. I. ſcript. Auſtr. pag.* 355. *Godefridus Colonienſis ad annum* 1236. *pag.* 401. *Freheri Tom. I.*

1237 Eckbertus Epiſcopus Babenbergenſis, Meranius de Andechs, Bertholdi Ducis filius, vitam finit ut Præfectus Auſtriæ, Vice Friderici II. Cæſaris: Eckberti fratris loco Bertholdus Patriarcha, Styriæ præficitur P. CALLES *Annales Auſtr. Tom. II. pag.* 308. *e Chronico Auguſtano.*

1238 Meinhardus III. C. Goritiæ, Caſtra Friderici II. Imp. in Italiam ſecutus eſt, ejusdemque Litteris ſubſcripſit, datis Papiæ, Guidoni Comiti de Blamdrata. *Excerpta Hanſiziana ex Hiſtoria MSta Bautſchneri.*

Bertholdus Patriarcha Velaci (*Villach*) in Carinthia, publicis Tabulis Parocho Stainenſi poteſtatem facit (" præſentandi, & confirmandi duos Præbendarios, quos Dominus Albertus de Tyrolis fundavit, & ordinavit - - - - Acta Velaci, præſente Comite Meinhardo Goritiæ, & aliis - - - die III. Aprilis MCCXXXVIII. Indictione XI.) Albertum in Codicillis, quos Patriarchæ Codicillis adjunxerat, ſe ſcripſiſſe: *Palatinum Carinthiæ, Comitem de Goritia, & Tyrolis, & Advocatum Aquilejenſis Eccleſiæ, & Brixinenſis*, memorat BOLLANDUS *in Actis Sanctorum ad diem V. Februarii, Tom. III. N. X. pag.* 722. *qui hoc Documentum protulit. Vide Tentam. Genеal. Cap. III. N. XX. & ſeq.* Albertus, Comes Tyrolis, his titulis uſus fuiſſe videtur.

1240 Redux ex Italia Meinhardus III. a Friderico IIdo Cæſare Styriæ Capitanei titulo præficitur; ſi excerptis e BAUTSCHNERI *Hiſtoria MSta* fidem adhibere volumus. Silent enim de hac re ſcriptores alii, quod ſciam; nec *Hiſtoria Ducum Styriæ:* nec *Annales Auſtriæ* Cl. P. CALLES hujus Capitanei meminere. Quin imo ſub finem hujus anni 1240. Styriam Friderico Duci a Cæſare reſtitutam eſſe conſtat. *P. Sigismundus Calles Annal. Auſtr. Tom. II. Lib. V. pag.* 315. *&* 316. *ex Anonymo Leobienſi ad hunc annum* 1240. *& ex Pernoldi Chronico Friderici Duc. Auſtr.*

1241 Tabulas producit BURGLEHNER *Lib. XVI. Cap. III.* quibus die XX. Martii datis, convenit inter Egnonem Electum Epiſcopum Brixinenſem

ſem, & Albertum Comitem Tyrolis, de Feudis, & Advocatia Eccleſiæ Brixinenſis alternis vicibus a Duce Meraniæ, & Comite Tyrolis obtinenda. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. III. N. XXIII.*

1245 Bertholdus Patriarcha Eccleſiam ſuam pia largitione auget. Diploma ea de re datum (" Apud Sacilum in Eccleſia annó Domini „ MCCXLV. Indictione II. XIII. Kal. Februarii.) Inter teſtes occurrit *Meinhardus Comes Goriciæ.* Integrum Diploma refert Cl. P. RUBEIS *pag.* 718. & 719. e Tabulario Aquileienſi.

Ulricus, Bernardi Carinthiæ Ducis filius, Captus in pugna ad Laa in Auſtria, a Friderico II. Duce Auſtriæ, paulo poſt libertati redditus, Sponſam accipit Agnetem Meraniam, Ottonis I. filiam, quam prædictus Fridericus Auſtrius anno 1243. Friſaci, coacto Præſulum cœtu, repudiarat. *P. Calles Tom. II. Annal. Auſtr. pag.* 329. *ex Pernoldi Chronico, & Salisburgenſi.*

1246 Die ſeptima Februarii confectæ ſunt Tabulæ, quibus Bertholdus Patriarcha auxilium promittit Wecceloni Abbati Belinienſi, qui queſtus erat de damnis ſibi illatis a Domino Comite Meginhardo de Goritia. *P. Rubeis pag.* 716.

Hoc item anno Eliſabetha, Ottonis Ducis Bavariæ filia (futura olim conjux Meinhardi IV. Com. Tyrol. & Goritiæ) deſponſatur (" filio Imperatoris Friderici II. Conrado Regi Romanorum, & „ Hieruſalem, qui ex ea genuit Conradum Regem Siciliæ, ultimum „ Ducem Sueviæ, qui Conradus I. Maritus ejus obiit 1254. in vi„ gilia Aſcenſionis in Fungia. *Vitus Arenpeckius in Chron. Auſtr. p.* 1233. *Hieron. Pez ſcript. Auſtr. Tom. I.* Locum nuptiarum Vohburch aſſignat *Chronicon Salisburgenſe pag.* 355. *ibidem.*

1248 Otto II, ultimus ſuæ Stirpis Meraniæ Dux, occiſus eſt ab Hagero *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI. Chron. Salisb. pag.* 360. *Hieron. Pez Tom. I.* de quo ita *Chronicon Mellicenſe pag.* 240. *Hieron. Pez Tom. I.* (" Obiit „ Otto junior Dux Meraniæ, & Comes Palatinus Burgundiæ, ſine „ liberis, interfectus a ſuis in Caſtro Niſtnſtrangen, ultimus ſuæ „ ſtirpis, paterna fundatione in Lanckheim ſepultus.)

Poſt Ottonis II. mortem, Terras Meraniorum Andecenſium eas ad Meinhardum III. Goritianum perveniſſe, quæ Oeno & Atheſi vicinæ, hodie Tyrolis magna ſunt portio, adnotarunt AVENTINUS *Lib. VII. Annal. Boicor. pag.* 693. & BURGLEHNER. Sed mihi videtur antea Albertus Comes Tyrolis, Meraniorum poſſeſſiones illas, quæ ad Oenum & Atheſim ſitæ erant, potiori ſaltem ex parte, adeptus fuiſſe; Cum anno 1253. ſua auctoritate Oeniponte Diploma ediderit, de quo inferius ad eum annum. Attamen Iſtriæ, & Marchiæ Vinidorum partem facile credo ab Andechſiis ad Goritianos devolutam. Ottoni IIdo uxorem fuiſſe Blancam, Theopoldi Campaniæ Comitis filiam, ex qua genuit Aliſam, ſeu Eliſabetham, Hugonis Burgun-

diæ Comitis, deinde Philippi Sabaudi conjugem: refert laudatus BURGLEHNER.

Meinhardns III. Comes Goritiæ a Friderico II. Cæſare Styriæ Capitaneus circa hujus anni finem, primum, an iterum? rennnciarur: id colligitur ex iis quæ mox dicemus, & ex CHRONICO SALISBURGENSI *ad hunc annum.*

1249 (" Meinhardus Comes Goritiæ Styriam intrans, pro Capitaneo „ ibi recipitur.) Ita CHRONICON SALISBURGENSE *Hieron. Pez Tom. I. pag.* 360. *ad annum* 1248. *&* 1249. *Meinhardum Capitaneum memorat*: adſtipulante ANONYMO LEOBIENSI & OTTOCARO HORNECK, & PERNOLDO *in Chronico Friderici Ducis. Anonymus Leobienſis pag.* 819. *Hieron. Pez Tom. I. ſed an.* 1246. *proleptice ponit. Hier. Pez Tom. III. Ottocarus Horneck in Chron. Rythmico pag.* 24. *Cap. XI. Pernoldus in Chron. Friderici Ducis Auſtriæ apud Cl. P. Hanthaler, poſt Faſtos Campilienſes, ad annum* 1249. *Meinhardi Capitanei meminit.* Fridericus II. Cæſar confirmat contractum, factum pro ſe a Meinhardo III. Comite Goritiæ, ut Capitaneo Styriæ, cum Hermanno Comite ab Ortenburg. *P. Rubeis pag.* 700.

1250 Albertus I. Com. Goritiæ moritur: De uxore Hippolyta de Collalto, ac de filio eorum Meinhardo V. vide *Tentam. Geneal. Cap. III. N. XIX. & N. XXI.* Philippus, Bernardi Ducis Carinthiæ filius, electus Epiſcopus Salisburgenſis, Styriam (cui Meinhardus præerat) armata manu ingreſſus, quorundam Procerum terras rapinis & incendiis vexat. *Chronicon Salisburgenſe ad annum* 1250. *Hier. Pez Tom. I. pag.* 360.

1251 Poſt mortem Friderici II. Cæſaris, Meinhardus III. Com. Gorit. ſacramenti fide ſolutus, ex perturbata Styria, Præfectura ultro poſita, exceſſit, domumque rediit *Anonymus Leobienſis Hieron. Pez Tom. I. pag.* 820. Obiit vero Fridericus Cæſar 1250. die XIII. Decembris in ulteriore Italia. *R. P. Calles Annales Auſtriæ Tom. II. pag.* 366. Igitur ante anni 1251. initium Styriam non reliquit Meinhardus.

Die XXII. Maji mundo valedixit Bertholdus Andechſius Patriarcha. *P. Rubeis pag.* 720. *ex Necrologio Aquilejenſi.* Electus eſt ſucceſſor Gregorius de Monte longo, ratamque eodem anno penultima Decembris electionem habuit Innocentius IV. P. M. *P. Rubeis pag.* 737. *&c.*

1252 Novus Patriarcha Gregorius Aquilejam ingreditur die XIII. Januarii *Chron. Forojul. in Appendice Rubeis pag.* 20. *ipſo initio.* De hoc Præſule ſequentia ANONYMUS, in ejus vita, adnotavit: *Scriptor Anonymus Vitarum Patriarch. Aquil. Muratorii Script. Ital. Tom. XVI. p.* 14. (" Qui deinde multas guerras pro libertate Eccleſiæ ſuæ cum Co„ mitibus Goritiæ perpeſſus eſt.) de his ſingillatim agetur.

Comes Goritiæ Meinh. III, & Albert., ultim. C. Tyrolis, conducta ma-

magna militum manu Carinthiam ingreſſi obſedere Caſtrum Greiffenberg. Philippus electus Salisburgenſis, coactis copiis, obſidentes adoritur, fundit, ac vincit. *Ottoc. Horneck Cap. XLV. pag.* 58. *&c.* Albertus Comes Tyrolis, & Com. ab Eſchenlorch, aliique capti, atque in Caſtrum Werfen abducti ſunt; donec magna pecunia, datisque obſidibus, Meinhardi III. Com. Goritiæ filiis Meinhardo, & Alberto, Albertus Tyrolius redimeretur, quippe Meinhardi III. ſocer. *Chron. Salzburg. ad annum* 1252, *& idem anno* 1255. *obſidum datorum meminit pag.* 364. *Hieron. Pez Tom. I.*) *Anonymus Leobienſis ad annum* 1255. *pag.* 823. *Hieron. Pez Tom. I. meminit belli cum Alberto Goritienſi a Philippo geſti; ſed Albertum Tyrolenſem confundere videtur cum Goritienſi.*

Idem Meinhardus IIItius certis conditionibus bona ſua in Nakel donat Comiti Hermanno de Ortenburg. *Datum XI. Kal. Januarii anni* 1253. Id eſt XXII. Decembris. In Tabulario Græcenſi vidit Cl. ROSENTHALIUS.

1253 Egno Epiſcopus Tridentinus, natus Comes de Eppan, Feuda hoc anno confert Alberto Comiti Tyrolis, uxori ejus Jutæ, & filiabus Adelheid, atque Eliſabeth. *Burglehner Lib. XV. Cap. III.*

Idem Albertus Comes Tyrolis, Oenipontana in urbe (quæ Meraniorum Ducum antea fuerat) Tabulis editis, providet Monaſterio Wilthinenſi de juribus ſuis, occaſione famuli Wilthinenſis, conjugem ducentis. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Hoc demum anno die S. Mariæ Magdalenæ (XXII. Julii) vivere deſiit Albertus iſte poſtremus e ſua ſtirpe Comes Tyrolis, atque etiam Juta uxor ejusdem iſto, vel ſequente anno, ante X. Novembris naturæ debitum ſolvit. *Vide deducta Tentam. Genealog. Cap. III. N. XIX. ex Arenpeckii Chronico Auſtriaco pag.* 1233. *Hieron. Pez Tom. I. & ex Chron. Salisb. ibidem pag.* 359, *& certius ex Bulla Innocentii IV. P. M.*

Terras Alberti Tyrolenſis obtinuere duo ejusdem Generi, Meinhardus III. Goritius (jam liber, relicto obſide, apud Philippum Salisburgenſem, fratre Alberto I.) Adelheidis Maritus, & Gebhardus Comes de Hierſchperg, Eliſabethæ Conjux. Equidem partitionem hereditatis in annum ſequentem rejicit *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* ſed de *ſolenni* diviſione loqui videtur, quæ inclinante anno ſequente facta eſt. Nam Meinhardum aliquam Tyrolenſis Terræ partem, alteram Gebhardum, hoc jam anno nactum eſſe, videtur conficere & illud, quod anno ſequente referemus, & item iſtud, quod *Chronica Auguſtenſis ad annum* 1253. *Freheri Tom. I. pag.* 529. & *Excerpta Hanſiziana ex Bautſchnero*, referunt ad annum 1253. Nempe a Meinhardo Comite conceſſum eſſe tranſitum *per Tridentinam Vallem* Hen-

Henrico, Ottonis Bavariæ Ducis filio, in Hungariam moventi: cui Meinhardus Goritianus, & Ezelinus Tarviſinus auxilio fuere.

1254 Conradus IV. Rex, Friderici II. Imperatoris filius, Eliſabethæ Bavaræ maritus, relicto Conrado, ſeu Conradino filio, moritur in Vigilia Aſcenſionis (die XX. Maji) in Fungia, Apuliæ oppido. *Chronica Auguſtenſis Freheri Tom. I. pag.* 530. *Vitus Arenpeckius in Chronico Auſtriæ pag.* 1233. *Hier. Pez Tom. I.*

Gebhardum Comitem de Hirſchperg, ante ſolennem diviſionem (X. Novembris factam) partem aliquam Tyrolenſis hereditatis poſſediſſe in Valle Oeni (uti partem alteram poſſedit Meinhardus III. Goritienſis) probant Tabulæ ab eodem Oeniponte editæ, quæ ita inſcribuntur: (" Nos Dei gratia Comes Gebhardus, & Dominus „ Tyrolis - - - - - Datum anno Domini 1254. menſe Septembri „ in Vigilia exaltationis ſanctæ Crucis (die XIII. Septembris) die „ Dominico, in Civitate Inſprugck ſuper ſolario Pileatoris. *Purglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Denique die X. Novembris Meraniæ editæ ſunt Tabulæ ſolemnis repartitionis hereditatis Tyrolenſis, inter Meinhardum III. Goritienſem, cum Adelheide uxore: & Gebhardum Comitem de Hirſchperg cum Eliſabetha, his præcipuis conditionibus, ex apographo *Burglehneri Lib. XIII. Cap. V.* deſumptis: Hirſchpergius & Eliſabetha uxor habento Vallem Oeni integram uſque ad pontem Preiner dictum ex una, & ex altera parte ad Holzpruck; reliqua, & quidquid Tyrolenſium in Epiſcopatu Brixinenſi, ac Tridentino, quæque Carinthiam verſus ſita ſunt, Meinhardo Comiti Goritiæ & Uxori Adelheidi cedunto: Advocatia Brixinenſis Gebhardi Hirſchbergii eſto; attamen conferendi feudi jura, ei advocatiæ adnexa, ſub judice pendento: neuter alterius parti inhiato: Feuda extra Territorium Tridentinum, & Brixinenſe ſita, neuter interea conferto, dum de iis plane conveniat; exceptis feudis in Carinthia, & Forojulio, quæ Meinhardus jure hereditario continuo obtineto: Conveniunto ambo de hereditate Jutæ, Matris Adelheidis, & Eliſabethæ: Neutra pars alteram ab ſucceſſione in hereditatem iſtam Tyrolenſem excludito, citra culpam admodum gravem &c. Denique mutuo ſibi commodo, & auxilio ſunto.

1255 Albertum Comitem Goritiæ, expeditionem priorem Ottocari Regis Bohemiæ in Boruſſos ſuperiore anno ſuſceptam, ſecutum eſſe, perhibent *e Bautſchnero excerpta Hanſiziana.* Nihil de Alberto *Calleſii Annales Auſtriæ Tom. II. p.* 386. Sane hæc potius ad Albertum II, atque ad alteram Ottocari Regis, in Boruſſos expeditionem, anno 1267. ſuſceptam, referibenda eſſe omnino arbitror; uti patebit ex dicendis ad illum annum. Præterea obiit Albertus I. probabiliter anno 1250. Albertus

tus II. vero obſes detinebatur apud Salisburgenſes uſque ad annum 1263.

1256 Bernhardus Dux Carinthiæ deceſſit. *Ottocarus Horneck Cap. XLVI. pag. 60. Continuator Martini Poloni ad annum* 1256. *pag.* 1422. *Eccardi Tom. I. Vide etiam Pesler ſeries Ducum Carinthiæ pag.* 68. *&c.* Ejus familiam docemur e Diplomate ab ipſo Bernhardo Duce edito anno 1248. *Rubeis pag.* 722. quo varia donat Monaſterio Fontis S. Mariæ, ordinis Ciſtercienſis, quod ipſum adſcripſit Monaſterio Sanctæ Mariæ de Victoria in Carinthia; verba neceſſaria ſunt hæc: (" Pro reme„ dio animæ noſtræ, nec non Jutæ uxoris noſtræ, ac Ulrici, Ber„ nardi, Philippi filiorum noſtrorum, & Margarethæ filiæ noſtræ - - - - - -) Bernhardus filius ante patrem obiit. *Peslerus ut ſupra.*

Quæ XXIX. Aprilis conferri ſibi poſtulavit Meinhardus III. ab Egnone Epiſcopo Tridentino Feuda, ea mox accepit, vice & nomine uxoris Adelheidis, pro ſe & filiis Meinhardo IV, & Alberto II, eorumque heredibus. *Datum Trient. die II. Maji* 1256. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Gebhardus Hirſchpergius hoc anno exeunte æſtate non ſe ſcripſit Comitem Tyrolis. Extant Litteræ donationis, quibus *Comes Gebhardus de Hirſchperg* pro anima ſua, & uxoris ſuæ Eliſabeth, *quæ fuit* (forte jam mortua) filia Alberti Comitis Tyrolis, donat fratribus Domus Teutonicæ Bozani duodecim libras ſalis in perpetuum &c. Datum 1256. XII. Kal. Septembris (XXI. Auguſti) in Matray. *Burglehner Lib. III. Cap. III.* Sed in alio Documento, quo privilegia concedit Domui Teutonicæ Bozani, dato in Matray XII. Kal. Decembris (XX. Novembris) Gebhardus ſcribitur *Dominus Vallis Oeni. Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Adaleyta, filia Meinhardi III., Friderico Comiti de Ortenburg Connubio jungitur. *Vide Tentam. Genealog. Cap. III. N. XVII.* Hoc anno Ulricus Carinthiæ Dux (quod confirmat mortem Bernhardi) recipit in ſuam protectionem Com. Henricum, & Com. Fridericum de Ortenburg; iſti contra, obſequio ſe obſtringunt Duci, contra quoscunque præſtando, exceptis: Comite Ulrico de Sternberg, Comite Ulrico de Heunburg, Comite Henrico de Pfannenberg, Wulfingo de Stubenberg: excepto item Comite Meinhardo III. de Gœrz, ſi idem intra biennium filium ſuum ſorori Comitum de Ortenburg matrimonio copulandum curaverit. *Repert. Auſtr. Part. III. fol.* 959.

1257 Ex *Bautſchnero in excerptis Hanſizianis* notatur: Meinhardum Comitem Goritiæ cum Alberto fratre in Comitiis Imperii tres candidatos Imperii Electoribus propoſuiſſe: Bernardum (corrige Ulricum) Ducem Carinthiæ, Rudolfum Habſpurgicum, & Albertum Seniorem ſuum germanum; ſed tunc electum eſſe Richardum Comitem Cornubiæ. Vereor ne hæc, alioqui corrigenda de Alberto, ad annum 1273. referenda ſint, de quo vide inferius dicenda.

1258 Meinhardus III. Goritiæ, & Tyrolis Comes vitam finiit XXII. Julii, ſepultus primum in Caſtro Tyrol, deinde in Monaſterium Stamſenſe translatus. Comprobavimus iſta *Tentaminis Genealogici Cap. III N. XIV.* Atque *Numero XV. & XVI.* de uxore, & filiis ejus Meinhardo IV. & Alberto II, deque filiabus Adalheida, & Bertha actum eſt.

Mortuo patre, Meinhardus, & Albertus Fratres regimen Tyrolis, & Goritiæ obtinent. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Albertus tamen etiamnum abſens pro obſide detinebatur apud Archiepiſcopum Salisburgenſem; uti colligitur ex dicendis ad annum 1259, & 1263.

Bellum a Goritienſibus in Gregorium Aquilejenſem Patriarcham hoc anno inſtauratum eſſe BAUTSCHNERIANA *excerpta* docent. Adelheida Vidua Meinhardi III, ut Comitiſſa Tyrolis, Tabulas conventionis edidit inter ſe, & Henricum Curienſem Epiſcopum: de feudis, aliisque controverſiis; in his nominat ipſa filiam ſuam A. (Adelheidam) Comitiſſam: nec non M. (Meinhardum) & A (Albertum) filios ſuos. Tabulas vidit Cl. ROSENTHALIUS.

1259 Ab Egnone Epiſcopo Tridentino tanquam Duce & Marchione, cum ſeptem vexillis cendali Rubei, Meinhardus IV, Comes Goritiæ, & Tyrolis, pro ſe, & fratre ſuo Alberto abſente (nempe obſide, ut ſupra dictum 1258.) & pro heredibus utriusque ſexus inveſtitur („ de omnibus illis feudis, quæ quondam Dominus Comes „ Adelpretus Tyrolenſis tempore mortis ſuæ habebat, ac de Advo„ catia Epiſcopatus & Eccleſiæ Tridentinæ &c.) Actum Tridenti, die (XIX. Februarii) decimo exeunte Februario, quæ fuit dies Mercurii, Indictione II. Præſentibus multis, qui nominantur. *Ughellus Ital. ſacr. Tom. V. pag.* 605. *Rubeis pag.* 732. Die ſexta Octobris, ſeu in octava S. Michaelis Meinhardus IV. uxorem duxit Eliſabetham ſororem Ludovici, & Henrici Ducum Bavariæ, Ottonis filiam, Viduam Conradi IV. Regis, nuptiis Monachii celebratis. *Chronicon Auguſtanum Freheri Tom. I. pag.* 533. *Anonymi Chron. Bavar. apud Hier. Pez Tom. II. pag.* 77. & 78. De his nuptiis, atque de tabulis donationis huic Eliſabethæ, jam ut Conjugi Meinhardi IV. a marito factæ, die IX. Octobris eodem hoc anno: datis Caſtris Montany, Liechtenberg, Traff, & Laudegg, cum octoginta marcis argenti; Vide dicta *Tentam. Geneal. Cap. V. N. II.*

1260 Tabulæ concordiæ confectæ ſunt inter Patriarcham Gregorium & Comitem Meinhardum IV, quibus Comes abdicat Aquilejenſia pignora, & feuda illa, quæ Pater ipſius Comes Meinhardus III. pretio quatuor millium marcarum Aquilejenſium, ab Eccleſia Aquilejenſi obtinuerat, Patriarcha vero confert Comiti omnia Aquilejenſia feu-

feuda, ab eadem Eccleſia oriunda, exceptis Tyrolenſibus. *Repertorii Auſtriaci Part. II. fol. 735.*

1261 Adelheita Vidua Meinhardi III. vendit Patriarchæ Gregorio pretio CCC. librarum Parmenſium, Belgradum, Lucenicum, & Budiz. Actum in Caſtro Formiano anno 1261. indictione IV. XV. Auguſti *Collectio Documentorum MSta P. Antonii Steyerer S. J. Tom. IV. num.* 15.

1262 (" Comes Meinhardus, & Comes Albrechtus (licet abſens) de „ Görz, & Tyrol, fratres, liberos pronunciant Comites de Orten- „ burg ab initis pactis nuptialibus (quorum anno 1256. mentionem fecimus) " inter Patrem ſuum Comitem Meinhardum de Gœrz, & „ Comitem Hermannum de Ortenburg: quæ pacta erant inter Co- „ mitem Albrechtum, & Comitiſſam Offmein, memorati Comitis „ Hermanni filiam; quia eæ nuptiæ propter cognationem celebrari „ non poterant. Datum Tyrol. anno 1262. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol. 555.*

Meinhardum Comitem a Tergeſtina Republica *Capitaneum* ſeu *Poteſtatem* electum eſſe, ab anno 1262, ad 1270, ex MSto Statutorum Tergeſtinæ Urbis recitat R. PATER FRATER IRENÆUS DE CRUCE *Carmelita excalceatus. Hiſtoria ſacra e profana della Città di Trieſte Lib. XIII. Cap. V. Edit. Venet.* 1725. *fol.*

(" Ulricus Dux Carinthiæ fundationem Hoſpitalis S. Antonii „ in Pocksruck, ab Ottone Duce Meraniæ ſocero ſuo factam, con- „ firmat; conſentientibus uxore ſua Agnete, & filio Henrico; dein „ decimam Hoſpitali contiguam, quam abſtulerat, eidem reſtituit, „ tandem Hoſpitale, homines, & bona ejus ab omni officialium ſuo- „ rum jurisdictione eximit. *R. P. Steyerer Collect. Docum. Tom. III. pag.* 922. *ex Tabulario Monaſterii Victorienſis in Carinthia.*

1263 Albertum II. Comitem, Meinhardi IV. fratrem, hoc demum anno libertatem obtinuiſſe, ita nos docet *Chronicon Salisburgenſe ad annum* 1263. *Hieron. Pez Tom. I pag.* 353. (" Gebhardus de Volvyen obſi- „ dem magnum, ſcilicet Comitem Goritiæ, qui fidei ſuæ commiſ- „ ſus erat, a Choro, & Miniſterialibus (Salisburgenſibus) præter „ omne conſilium & ſcientiam eorundem pro DCC. Marcis argen- „ ti relaxavit, quas in uſus proprios convertit.)

Hæc Alberti II. liberatio comprobatur ex litteris publicis, quas idem Albertus II, proprio jam nomine, edendas curavit anno proximo ſequente, & reliquis.

1264 Albertus II. Comes Goritiæ (jam ſui juris) confirmat conventionem, factam a Meinhardo IV. fratre ſuo cum Gregorio Patriarcha anno 1260. Actum Piacenti (*Pinguento*) in Iſtria 1264. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 423. & *fol* 734. Iſtria a Meraniis vel illico, vel per Albertum Tyrolenſem ad Goritianos devoluta videtur, ut ſupra innuimus.

1266 Meinhardus IV. Com. Gorit. & Tyrol. convenit cum Cunrado Epiſcopo Friſingenſi, per Fridericum ejusdem Eccleſiæ Præpoſitum, in quem ambæ partes compromiſerant, re ita confecta; ut Meinhardus Caſtrum Haberberch in Intica ſitum, cum prædio adjacente, Epiſcopo reſtitueret. Bina Documenta hac de re adfert *Meichelpeckius in Hiſtoria Friſingenſi Tom. II. Part. II. pag.* 48. *N. LXXVII. & pag.* 50. *N. LXXVIII.* ambo data (" apud Tyrol. anno Domini milleſimo „ CC. ſexageſimo ſexto. Septimo Idus Februarii,) ſeu ſeptima Februarii.

In priore horum documento etiam Alberti Comitis Goritiæ, fratris Meinhardi, fit mentio. Binis quoque vicibus idem Meinhardus hoc anno teſtis occurrit: Primum in Diplomate venditionis, a Conrado Rege Hieruſalem, & Siciliæ: dato IX. Kal. Novembris (XXIV. Octobris) anno Chriſti MCCLXVI.) memoratur apud *Aventinum Annal. Bojor Lib. IV. pag.* 491. *Edit. Lat.* 1554. *Ingolſtadii.*

Deinde in Litteris Conradi Friſingenſis Epiſcopi, quibus locus Fürſtenfeld Monaſterio ejus nominis traditur. (" Actum Mona„ chii die S. Petri Apoſtoli anno 1266. hujus rei teſtes ſunt - - - - „ Meinhardus Comes Goritiæ, Gebhardus Comes de Hirſchperg - - - - *Hundius Metrop. Salisb. Tom. II. pag.* 227.

Idem Meinhardus, orto diſſidio cum Egnone Tridentino Epiſcopo, pulſo eodem, Tridentum occupat, poſitis illic duobus Præfectis, Ferrandello, & Martinello. Ea cauſa, juſſu Pontificis Clementis IV, Meinhardo communione ſacrorum interdicitur per Philippum Archiepiſcopum Ravennatem, Legatum Apoſtolicum. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Nihil de his Ughellus neque in Philippo Ravennate, neque in Egone ſeu Egnone Tridentino. Conradus II. Rex Hieruſalem, & Siciliæ (vulgo Conradinus, Conradi Regis filius) aſſignat pro dote Matri ſuæ Eliſabethæ Goritienſi Comitiſſæ MM. Marcharum argenti, Oeniponti, ad Feſtum S. Georgii, ſolvenda; quem in ſinem oppignorat eidem munitiones, & poſſeſſiones duas Ambergen, Schangen, Pitengen, Möringen, & totum Heibiſch cum omnibus pertinentiis. Actum Oeniponti anno 1266. Indict. IX. VI. Novembris: Teſtibus Leone, avunculo Conradini, & Epiſcopo Raſtiſponenſi, Ludovico Duce Bavariæ, Alberto Goritiæ, & Tyrolis Comite - - - - - - - - - - Jacobo, & Ditmaro Trautſon, Actonno Zollner &c. Initium eſt: *Nos Chunradus* &c. *notum fore volumus. Collectanea P. Antonii Steyerer Tom. VI. num.* 21. *Similem Conradini aſſignationem die XV. Novembris Oeniponte factam de bonis circa Kueffſtein, adnotavit Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Hoc item anno Alberto II. Comiti Goritiæ, & Tyrolis in manus convenit Conjux Euphemia, ſeu Offmein, Conradi, Glogoviæ in Sileſia Ducis, filia pa-

pacta nuptialia extant facta die XIII. Maji, Lutmaricz, in Bohemia Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. ſub initium.*

Denique hoc anno Meinhardum Uxori Eliſabethæ Morgengebæ nomine tradidiſſe Michlſpurg, & Reiſen, perhibet *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* adſcribuntur teſtes (" Gebhardus Comes de Hirſperg, „ Bertholdus Comes de Eſchenlorch, Domini de Wangen, Liech- „ tenberg, Seefeldt, Kemmalen, Tarrant, Henricus de Mais, Ru- „ bain, Prunnberg, & Albertus de Firmian.

1267 Egno Tridentinus conciliatur Meinhardo, ſacris reſtituto, & civibus Tridentinis, qui Epiſcopo ſatisfaciunt, datis Litteris 1267, quas laudatus BURGLEHNER commemorat.

Meinhardus & Albertus Comites, Leontii in Tyroli die VIII. Februarii, Indictione X. 1267. partitionem terrarum inſtituunt, qua Tyrolenſia Meinhardo, Alberto Goritienſia ceſſere, communi utrisque titulo Comitis Tyrolis, & Goritiæ, vel Goritiæ, & Tyrolis. Teſtes adfuerunt (" B. Brixinenſis Epiſcopus, Ludovicus, & „ Henricus Bavariæ Duces, Ulricus Dux Carinthiæ - - - - - - - „ Jacobus, & Ditmarus Trautſon &c. *P. Steyerer Collect. MS. Tom. VI. num.* 39. Interea novæ lites inter Gregorium Patriarcham, & Albertum II. Comitem Goritiæ ad arma deductæ ſunt. Juſtinopolim antea obſidebat Gregorius, ſi DANDULO credimus; inde in Forum Julium reducem, Die XIX. Junii mane apud Villam novam ſub Roſacio Albertus Comes Patriarcham cepit, Goritiamque parum honorifice, ut quidam volunt, deduxit. Subinde die XXVII. Auguſti idem Patriarcha intercedentibus Uladeslao Archiepiſcopo Salisburgenſi, & Ottocaro Rege Bohemiæ, ac Veneti Ducis duobus Legatis, certis conditionibus libertatem obtinuit *Chronicon Forojulienſe Juliani apud Rubeis in Appendice pag.* 21.)(*Bellonus in Vita Gregorii Patriarchæ pag.* 46. *Muratorii Tom. XVI.*) *Chronicon Salisburgenſe pag.* 370. *Hieronymi Pez Tom. I.*)(*Dandulus in Rainerio Duce, Parte XLI Muratorii Tom. XII. pag.* 375. *Mulo præpoſtere impoſitum fuiſſe Patriarcham, in margine codicis Ambroſiani notatum eſt.*

Hanc probatorum Hiſtoricorum narrationem porro conſtabilit Charta delati arbitrii ſeu compromiſſi, Comitum, Meinhardi de Tyrol, atque Alberti de Goritia ex una, & Gregorii Patriarchæ Aquilejæ ex altera Parte, in Uladislaum Salisburgenſem, ac in Ottocarum Regem Bohemiæ, atque in Epiſcopos Pragenſem, & Olomucenſem: ut ipſi de finiendis inter Patriarcham & Comites controverſiis pronuncient. Ea Charta *anno* 1267. *die V. exeunte Auguſto* inſcripta eſt; quod tempus pulchre congruit & capto die XIX. Junii Patriarchæ, & eidem XXVII. Auguſti, vi hujus arbitrii, e cuſtodia dimiſſo. IN REPERT. AUSTR. *Part. II. fol.* 741. Charta hæc adnotata eſt, & autographum extat in Tabulario Græcenſi. Albertum II, re

cum Patriarcha Gregorio exeunte Auguſto menſe compoſita, in Bohemiam ad Ottocarum Regem profectum fuiſſe, & forte Boruſſicæ expeditioni interfuiſſe (quam iterum, ſed brevem ſuſcepit Ottocarus: ſiquidem ſuperius, ex BAUTSCHNERI *excerptis*, ad annum 1255. de priore expeditione facta eſt mentio) colligimus ex eo, quod idem Albertus Comes Goritiæ die IV. Decembris Indictione XI. (ab autumno incepta) in arce Bodiebrad, in Bohemia, teſtis ſubſcripſerat Diplomati Ulrici Ducis Carinthiæ, quo hic Ottocarum Regem Bohemiæ omnium ſuarum Terrarum heredem inſtituit, ſi ipſe Ulricus Dux absque prole deceſſerit. *Diplomatis hujus meminit Peslerus in ſerie Ducum Carinthiæ pag. 76. & 77. ex Thomæ Joann. Peſſinæ de Czecherod Martis Moravici Lib. III. Cap. VII.*

Die XXVII. Decembris, Conradus II. Dei gratia Hieruſalem, & Siciliæ Rex, Dux Sueviæ, Meinhardo Comiti Goritiæ & Tyrolis, & ejus conjugi Eliſabethæ, Matri ſuæ, oppignorat caſtrum Pitengau, & Amergau, cum omnibus pertinentiis, pro quingentis Marcis argenti (" Actum apud Veronam anno 1267. VI. Kal. Januarii. (XXVII. Dec.) *Collectanea MSta P. Steyerer. Tom. VI. num.* 35.

1268 Albertus Concordienſis Epiſcopus, Gregorii Patriarchæ Vicedominus, tricas neſcio quas cum Alberto Comite Goritiæ, jam e Bohemia reverſo, fovens, ab eodem Comite ſtructis inſidiis, in easdem ad montem Medeæ incidit, die III. Julii, & cum quibusdam aliis obtruncatur. Die XXVII. Julii vindicaturus necem Gregorius, Utino cum armatis egreditur, Goritiamque ſubinde contendit; Sed Comes abrupto Sontii ponte, die XII. Auguſti Patriarchæ copias prohibet, ne fluvium transmitterent. Inſtaurata eſt paulo poſt concordia a Gregorio Antiſtite, ne tantorum Principum (in quos anno præcedente compromiſerant) judicium parvi facere videretur. Recepit ſe itaque in Civitatem Auſtriæ Patriarcha.

1269 Ibidem die VIII. Septembris 1269. Gregorius Patriarcha extremum ſpiravit: juxta corpus S. Paulini ſepultus. *Bellonus Vitæ Patriarch. Aquil. pag. 46. Muratorii ſcript. Ital. Tom. XVI. Anonymus in Vitis Patriarch. Aquil. pag. 14. Muratorii Tom. XVI. Julianus in Chronico Forojulienſi pag. 21. Append. Patris Rubeis. P. Rubeis monument. Aquil. pag. 754. & 757. 758.*

Mortuo Gregorio Patriarcha electus quidem eſt die XXIII. Septembris Philippus, Ulrici Carinthiæ Ducis (qui præſens hanc electionem promovit) frater: electus idem antea Archiepiſcopus Salisburgenſis, ſed non approbatus Romæ. Extat Epiſtola Ulrici Ducis Carinthiæ, Capitanei Forojulii, ad Philippum fratrem ſuum *Electum Patriarcham*, data in Civitate Auſtriæ, die XXIV. Septembris, ubi memoratur Philippi Electio unanimi ſuffragio facta die XXIII. Septembris, & ſub cujus Epiſtolæ finem fit mentio: (" gra-
„ vaminum & offenſarum, quas homines comitis Goritiæ Eccleſiæ
„ Ve-

„ Veſtræ, atque toti terræ Forojulii inferunt nequiter, & irreve-
„ renter, veſtra querimonia, prout expedit, exponatis. *Bellonus in Vitis patriarch. Aquil. pag.* 47. *Muratori Tom. XVI. Julianus in Chronico Forojulienſi pag.* 21. *&* 22. *Epiſtolam Ulrici adfert P. Rubeis, & reliquæ commemorat pag.* 758. *&* 759. Hac occaſione datas eſſe illas Litteras exiſtimo, quibus adminiſtratores Regionum Comitis Alberti, & Comitis Meinhardi inducias paciſcuntur, cum Eccleſia Aquilejenſi uſque ad feſtum Gregorii, nempe anni ſequentis 1270. *Repertorii Auſtriaci Part. II. fol.* 735.

In Tyroli die XXVII. Novembris nova concordia conſtituta eſt inter Egonem Tridentinum, & Meinhardum, ac Albertum fratres Comites. En excerpta ex apographo litterarum, quas BURGLEHNER adnotavit: („ Anno Domini MCCLXVIIII. Indict. XIII. (ab
„ autumno inchoata) die Mercurii quarto exeunte Novembri in Bo-
„ zano, ſupra Palatium Epiſcopatus in Capella S. Andreæ Apoſtoli,
„ in præſentia Dominorum Ulrici Archidiaconi de Trident - - -
„ - - - - Dietonis de Firmiano - - - - - - - - - - -, & aliorum
„ rogatorum, ibique, pactum, & concordium tale eſt, inter Do-
„ minum Egonem Dei gratia venerabilem Epiſcopum Tridenti ex
„ una parte, & inter Dominum Meinhardum Dei gratia illuſtrem
„ Comitem Tyrolenſem, & Goritiæ: ac Eccleſiarum Aquilej. Tri-
„ dent. & Brixin. Advocatum pro ſe, & fratre ſuo Domino Comi-
„ te Alberto abſente, ab altera: quod Dominus Epiſcopus prædi-
„ ctus habeat, & habere debeat omnes Redditus Epiſcopatus pro
„ ſe ſpecialiter hoc excepto, quod de mutis (*Pretio, de prædiis per-*
„ *mutatis*) Rationibus, Moneta, & Canipa (*Cella Vinaria*) in Tri-
„ dento primo Capitaneis, & Cuſtodibus Civitatis Tridenti, &
„ Caſtrum eidem parti neceſſariorum de ſtipendio conſueto provi-
„ deatur, & quod ſuperfluum erit de prædictis mutis, Rationibus,
„ moneta, & canipa, æqualiter dividatur: ſcilicet medietatem ipſi
„ Domino Epiſcopo, aliam medietatem Dominis Comitibus: item
„ omnes aquiſitiones, de judiciis, collectis, & aliis qualitercun-
„ que aquiſitis per totum Epiſcopatum Tridenti: æqualiter, ut di-
„ ctum eſt, dividantur &c. - - - - - - - - - quæ omnia promi-
„ ſerunt viciſſim hinc ad proximam Epiphaniam Domini & inde
„ per duos annos, bona fide, ſine fraude, firma & rata habere,
„ & tenere, nulloque jure contravenire.) promittit porro Mein-
hardus pro ſe, & fratre, tutelam Epiſcopi, & Eccleſiæ Tridentinæ, contra quoscunque. *Burglehner Lib. XV. Cap. III.*

Ulricus Dux Carinthiæ in Civitate fori Julii, ſub hujus anni finem, vel ſequentis initium, penſum naturæ perſolvit. Frater ejus Philippus pro Carinthia decertavit, adverſus Ottocarum Bohemiæ Regem, cui & pactis anni 1276, & teſtamento Carinthiam Ulricus tran-

tranſcripſit. *Pesler pag.* 74. *R. P. Calles Annales Auſtr. Tom. II. Lib. VII. pag.* 467.

1270 Philippus Dux, electus quidem Patriarcha Aquilejæ, ſed a Gregorio X. Papa rejectus, a plerisque Forojulienſibus Capitaneus, ſeu Belli Dux eligitur; Civitas Auſtriæ tamen a Philippo, ut nonnulli alii, averſa, cum Ottocaro Rege fœdus pangit. Philippus in Feſto S. Gervaſii, die XIX. Junii, copias educit, terras Domini Artvici de Caſtello (qui fautor erat Alberti Com. Goritiæ) ferro, & igne devaſtat. *Chronicon Juliani Append. Rubeis pag.* 21. *&c. Bellonus in Vit. Patriarch. Aquil. pag.* 45. *Muratorii Tom. XVI. Rubeis pag.* 761. 762. His peractis idem Philippus Dux Civitatem Auſtriæ, proditione Joannis, & Udalrici fratrum de Portis, & opera Federici Pinzani, ſui Præfecti, occupavit, ac diripuit, civibus partem exactis, partem in vincula conjectis. Rex Ottocarus fœderatæ Urbi extemplo ſuccurrit, exercitu, quo recens per Ulricum Liechtenſteinium Carnioliam ſubegerat, in Forumjulium ſubmiſſo. Is civitatem Auſtriæ, bonis pactis ſe dedentem, priſtinæ Civium libertati reſtituit. *Bellonus loco citato. De Ottocari expeditione in Carinthiam & Carnioliam vide R. P. Calles Annales Auſtriæ Tom. II. Lib. VII. pag.* 469.

1271 Philippus Ottocaro Regi, fortiori, Carinthiam cedere cogitur, cui Rex Telonium & Jus forenſe in urbe Auſtriæ Cremſio, cum caſtro Bœſenbeug, aſſignavit. *Ottocarus Horneck pag.* 103. *Item de ceſſione Carinthiæ, Chronicon Salisburgenſe anno* 1271. *Hier. Pez Tom. I. pag.* 372. Ita Philippus Patriarchatu, & Carinthiæ Ducatu fruſtratus, ſe ſe tamen Carinthiæ Ducis, & Capitanei Aquilejenſis titulo apellari voluit. Extat hujus anni Documentum REPERTORII AUSTRIACI *Parte II. fol.* 735. hac Epitome adnotatum: Acceptatio prolongationis ad octo dies Compromiſſi facti in Regem Hungariæ Stephanum, Ducemque Bavariæ Henricum, aliosque, de prætenſionibus, ex una parte Patriarchatus & Capituli, atque Ducis Philippi de Carinthia, Capitanei Patriarchatus Aquilejenſis: ex altera parte Comitum Meinhardi, & Alberti de Goritia, atque aliorum anno 1271.

Hoc anno, in arce Tyrol, IV. Maji plene compoſitum eſt negotium diviſionis provinciarum inter Meinhardum IVtum & fratrem ejus Albertum IIdum, facta nova partitione paternæ maternæque hereditatis his conditionibus: Tyrolis eſto Meinhardi: Goritienſis Comitatus, cum Valle Puſtrina Alberti: ceterorum, quæ in Tridentino agro occupata ſunt, quæque deinceps eorum ſtirpi accedent, omnia dimidiantor; Et quoniam Tyrolis minori pretio æſtimata eſt, quam Goritia, Meinhardo præterea trecentæ Marcæ Bernenſium numorum, e Teloniis reſervantor. Si alterutra Gentis ſtirps ſine prolibus defloruerit, altera omnium heres eſto. Ceteras conditiones, brevitatis cauſa, hic omittimus. Documentum integrum refert

fert. *Burglehner lib. XIII. Cap. V. Bautſchnerus quoque diviſionis hujus meminit, ſed ad annum* 1272.

1272 Meinhardus Comes Tyrolis, & Goritiæ, atque Uxor ejus Eliſabetha petierunt ab Abbatibus Luciſcellenſi, & Raitenhaslachenſi: ut fundationem Stamſenſis Monaſterii ab ipſis vel deſignati, vel conſtrui cœpti, acceptent, & ſuo Ciſtercienſi ordini uniant. Utriusque Principis Litteras e Chronico MSto Monaſterii Stamſenſis adnotavit *in Collect. MStis P. Steyerer Tom. II. pag.* 686. BAUTSCHNERIANA *excerpta* ad hunc annum diviſionis hereditatis faciunt mentionem inter Meinhardum & Albertum, qua Alberto *Marchia Vinidorum* ceſſerit; ſed uno anno aberrant, niſi hæc nova diviſionis appendix fuit. ANONYMUS LEOBIENSIS *p.* 835. *Hieron. Pez ſcript. Auſtriæ Tom. I.* (*Similia habet Continuator Martini Poloni Eccardi Tom. II. p.* 1425. *Ex his hauſere Cuſpinianus, & Roo aliique.*) ad hunc annum meminit: Meinhardum Tyrolenſem tres Principibus Germanis pro Imperio Candidatos propoſuiſſe: Rudolfum Habſpurgicum Bernhardum, Ducem Carinthiæ, & Albertum ſeniorem Comitem Tyrolis, & Goritiæ ſuum Genitorem. Illud facile crediderim: a Meinhardo commendatum Principibus fuiſſe Rudolfum, ſed *Bernhardus* Dux Carinthiæ hoc anno, & jam diu hoc nomine nullus fuit. *Albertus* neque Pater Meinhardi fuit, neque verus Meinhardi IVti pater *Meinhardus IIItius* inter vivos erat. Fratrem ſuum, *Albertum* tunc *ſeniorem*, commendare poterat Meinhardus IV. non alium e ſua ſtirpe *Albertum*.

1273 Clauſtrum in Stams affectum oblatumque eſt ſacro Ciſtercienſium ordini a Meinhardo, & Eliſabetha. *Chron. Stamſenſe Hier Pez Tom. II. pag.* 457. *Vitus Arempeckius in Chron. Auſtriæ pag.* 1233. *Hier. Pez Tom I.*

Circa initium Octobris Romanorum Rex electus eſt Rudolfus Habſpurgi Comes, præcipua opera Wernheri Archiepiſcopi Moguntini, & arbitrio Ludovici II. Palatini Rheni. *Ottocarus Horneck Cap. CV. pag.* 118. *R. P. Calles Annales Auſtriæ, Tom. II. pag.* 491

Nona Octobris die ſancti Dionyſii Eliſabetha Meinhardi Tyrolenſis Uxor obdormivit in Domino, ſepulta in Stams. *Chron. Stams. & Vitus Arempeckius locis antea citatis.*

In Curia Rothenbergenſi Rudolfus Rex, Carinthiæ Ducatus Feudum, confert Philippo, Ulrici Ducis fratri, confugienti ad ſe vel ex Carinthia, ſi illic Capitaneus fuit, vel ex oppido Auſtriæ Cremſio, quo retruſus erat ab Ottocaro Rege. Hoc anno id Feudum acceptum collocandum eſt, ſi *Continuatori* MARTINI POLONI credimus. *Continuator Martini Poloni pag.* 1425. *ad hunc annum* 1273. *Eccardi Tom. II. Chronicon Auſtrale ad annum* 1275. *Freheri Tom. I. pag.* 466. *prohibet Philippum Capitaneum Carinthiæ ab Rege Ottocoro conſtitutum. Credo intra titulum rem ſtetiſſe, ſiquidem vera eſt.* Mallem hæc tribuere Comitiis in anni ſequentis XI. Novembris Norimbergam indictis.

Aquilejenſi Eccleſiæ tandem hoc anno die XXI. Decembris a Gregorio Xmo datus eſt Patriarcha Raymundus Turrianus, Mediolanenſis, Epiſcopus Cumanus, qui ſequente anno in Forumjulium venit. *Rubeis pag.* 763.

1274 Meinhardus Comes Tyrolenſis conſilio, & auxilio Rudolfo R. ſemper fidelis, eundem Rudolfum Regem Pontifici Romano Gregorio Xmo commendat. *P. Steyerer Col. MSta Document. Tom. II. pag.* 55.

Vicem reddidit Rudolfus Rex Meinhardo, eidemque Feuda contulit Gemindæ, de bonis Alberti Comitis de Wangen, paulo ante, ut videtur, defuncti. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Idem Rex Allodium Stams, Imperio obnoxium, Monaſterio Stamſenſi donat: *Collect. Documentorum MSta P. Steyerer Tom. II.* hæc petente haud dubie Meinhardo. Raymundus Patriarcha in Forumjulium Profectus die XVIII. Auguſti cum Alberto Comite Goritiæ præſente, in Civitate Auſtriæ, de concordia tractat; dum inter cetera Patriarcha Oppidum Cormons ſibi ſerio depoſcit; Albertus Comes clam ſe ſubduxit. Ita perdurante diſcordia rurſum armis agi cœptum eſt: cum interea etiam Veneti Iſtriam bello impeterent. *Autor Anonymus Vitar. Patriarch. Aquil. Muratorii Tom. XVI. pag.* 15. *Julianus in Chronico in Appendice Rubeis pag.* 22. Die IIda Octobris de Induciis convenit inter Patriarcham, & Comitem Albertum, ſervandis ab ea die, usque ad octavas proximas B. Martini. Tabulas exhibet *Rubeis pag.* 767.

1275 Circa diem XXIX. Maji, qua die pacta nuptialia in Summerekke conſtituta ſunt, Albertus Comes conjugem alteram ducit Offmiam ſeu Euphemiam de Hardeck ſororem Comitis Friderici de Ortenburg, & Agnetis Comitiſſæ de Pfannenberg, uxoris Heinrici de Pfannenberg, qui cum Ulrico Heunburgio Vades Offmiæ egerunt. Vide TENTAM. GENEAL. *Cap. IV. N. II.* Hæc occaſio fuerit inſtauratæ Pacis inter Raymundum Patriarcham, & Albertum Comitem. *Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 766. *&c. e Chronico Juliani.*

Monaſterium Stamſenſe poſt annum 1273. abſolutum, hoc anno Litteris fundationis, aut novæ, aut auctæ, conſtabilivit Meinhardus Comes Tyrolis, datis *anno Domini MCCLXXV. Indictione II. IV. Idus Martii.* Id eſt die XII. Martii; Indictio corrigenda videtur: addendo unitatem. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V, & P. Steyerer in Collectione MSta Tom. III. fol.* 37. *integras Tabulas proferunt.*

Exortis inter Meinhardum Tyrolium, & Henricum Epiſcopum Tridentinum diffidiis, antequam eadem acerbius recrudeſcerent, Rudolfus Rex, iis componendis, in Comitiis Auguſtanis, Diploma edidit, quo jubet Meinhardum omnes proventus ad Epiſcopatum pertinentes Epiſcopo reſtituere, ea conditione, ut Comes Caſtra aliquot, usque ad inſtans Feſtum S. Michaelis, retineat &c. Porro Epi-

Epiſcopus ſententiam Excommunicationis relaxet: *Actum, & datum apud Auguſtam anno Domini* 1275. *Indictione III. XV. Kal. Junii.* Id eſt XVIII. Maji. *Ughellus Tom. V. Ital. ſacr. pag.* 608. *Lunig Cod. Germ. Diplom. Tom. II. pag.* 862. *N. XII.*

Diſcedens, ineunte æſtate, ab Auguſta Urbe, ac Tyrolenſibus curis liber Meinhardus, Rudolfi Regis Imperio, Carinthiam Styriamque militari cum manu intravit, multoque nobilium, qui Rudolfi opem implorabant, quique Ottocaro Regi infenſi erant, accurſu, Civitates, & Populum ad Regis voluntatem celeriter inclinavit. *Anonymus Leobienſis Lib. II. ad annum* 1275. *pag* 845. *Hieron. Pez Tom. I. Continuator Martini Poloni pag.* 1426. *& ſeq. Eccardi Tom. II.* ſed hoc anno cœptum negotium, ſequente perfectum fuiſſe videtur. Adelheid, olim Meinhardi IIItii Goritienſis Uxor, Alberti Tyrolenſis filia, Mater Meinhardi IVti, & Alberti IIdi hoc anno obiit, & ſepulta eſt cum ſua ſorore Eliſabetha, in Parthenone Stainach, ſupra Meran, ad Atheſim ſito, quod ambæ fundaverant. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Philippus titulo, an aliqua poſſeſſione? *Dux Carinthiæ*, cum Meinhardo inter teſtes occurrit in Comitiis Auguſtanis in duplici Rudolfi Diplomate ita: *Philippus Dux Karinthiæ: Meinhardus Comes Tyrolenſis.* Prius Diploma agit de jure eligendi Imperatorem, controverſo inter Regem Bohemiæ, & Ducem Bavariæ. Datum Auguſtæ anno Regni IIdo. *Collectio Inſtrumentum Imperialium Goldaſti Tom. I. pag.* 311. *&c. & Hundius Gewoldi Tom. I. Metrop. Salisb. pag.* 54. Alterum: *Datum Auguſtæ XV. Kal. Julii* (die XVII. Junii) continet confirmationem privilegiorum Monaſterii Eberſpergenſis. *Hundius Gewoldi Tom. II. Metrop. Salisb. pag.* 192.

1276 Meinhardus Comes in Styria & Carinthia bene cœpta pro Rudolfo Rege continuat, pluresque Provinciales Rudolfi partibus adhærent. *Ottocarus Horneck in Chronico pag.* 130. *&c. Vide R. P. Calles Annales Auſtriæ Tom. II. pag.* 516. *&c. &* 519. *&c.*

Inde in Tyrolim reverſus eſt Meinhardus, ubi XXV. Maji novæ, & plenioris concordiæ, cum Henrico Tridentino initæ, Tabulæ confectæ ſunt, collato arbitrio in Rudolfum Regem, cujus vices egere Rudolfus, Regis Cancellarius, & Henricus Comes de Fürſtenberg. Conſtitutum eſt: ut ambo litigantes intra menſem, per ſe, vel Procuratores ſuos coram Rege compareant, concordiam firmaturo. *Tabulas refert Ughellus Ital. ſacr. Tom. V. pag.* 609. *&c.*

Itaque Ulmam ad Cæſarem ſe contulere Henricus Tridentinus, & Meinhardus Comes. Extat apud *Ughellum Ital. ſacr. Tom. V. pag.* 614. *&c.* Diploma Rudolfi Imperatoris, & Arbitri, datum Ulmæ in Vigilia B. Mariæ Magdalenæ (XXI. Julii) conſentientibus Henrico Epiſcopo, & Comite Meinhardo: ubi inter cetera Meinhardo

confirmatur jus in Bozano, & ejus diſtrictu, uti poſſedit Albertus Comes Tyrolenſis, ipſius Avus, & poſtea Meinhardus Pater.

Ulma digreſſus Meinhardus Styriam repetiit, atque inde Viennam ad Rudolfum ſub Autumnum venit. *Horneck pag.* 132. *P. Calles Annales Auſtriæ Tom. II. pag.* 521.

Denique hoc anno XXVI. Novembris confectum eſt celebre illud Laudum concordiæ, inter Rudolfum, & Ottocarum, quo Ottocarus ceſſit Imperio Auſtriam Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiam, & ut habent quædam exemplaria Goritiam. *Laudum Concordiæ editum in Mantiſſa Leibniciani Codicis Diplomatici juris Gentium pag.* 100. *Item apud Lunig Reichs-Archiv Parte ſpecial. Contin. I. de Imperatore Num. CCXXX. pag.* 557. Sed vox *Goritia* non comparet in hoc *Laudo* relato a P. ANTONIO STEYERER S. J. *In Commentariis pro Alberto II. Auſtriaco pag.* 147. qui tamen Tabularium Viennenſe inſpexit, ubi autographum ſervatur. Sane nihil juris Ottocaro ulla ratione in Goritiam fuit.

Sub anni finem Meinhardus in Tyrolim redux, innovatis litibus Henricum Tridentinum cepit, duriusque habuit. Mox e cuſtodia elapſus Henricus Bononiam fugit: rurſumque Meinhardo ſacris interdictum eſt, obnunciante ſententiam Academia Paduana. Hæc refert BURGLEHNER ad hunc annum; *L. XIII. C. V.* ſed quædam videntur in ſequentem rejicienda. Circa hoc tempus nuptias Viennæ celebratas eſſe Alberti, filii Rudolfi Regis, cum Eliſabetha Meinhardi Tyrolenſis filia, conſtituimus in TENTAMINE GENEAI. *Cap. V. N. VII.*

1277 Rudolfus Rex Alberto Comiti Goritiæ pignori dat arcem Michau cum oppido Zerndtle, quod eo ſpectabat. *Repert. Auſtriaci Part. II. fol.* 464.

Meinhardus Comes in Tyroli cum Bozenſibus tractat contra Tridentinum Epiſcopum. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Verum Brunoni Brixinenſi Epiſcopo faviſſe videtur Meinhardus. Poſteaquam enim Raimprechtus de Voitſperg, & filius ejus Engelinus, propter damna Brixinenſibus illata, ſe ſubmiſere Brunoni Epiſcopo, Tabulæ confectæ ſunt hoc anno, etiam *ſigillo Illuſtris Viri Meinhardi Comitis Tyrolenſis* roboratæ.

Nova deinde concordia, conciliante Rudolfo Rege, (qui ea de re Diploma edidit: *Datum Wienne III. Non. Novembris. Indictione IVta anno Domini* 1277. *regni vero noſtri anno Vto*) conſtituta eſt inter Henricum Tridentinum, & Meinhardum Comitem. *Ughellus Tom. V. pag.* 618. *Diploma vero Rudolfi Regis extat apud Lunigium Cod. Germ. Diplom. Tom. II. pag.* 874.

Dum Rudolfus Rex in Auſtria, & Bavaria rebus ſuis proſpiciebat, Meinhardum Gubernatoris poteſtate in Styriam, & Carinthiam mi-

miſit, ubi omnia ſua dexteritate antea rite compoſuit. Teſtatur id præter *Continuatorem* : *Martini Poloni pag.* 1427. *ad annum* 1277. *Eccardi Tom. II. Item Gerardum Roo Annal. Auſtr. Lib. I. pag.* 23. *Edit.* 1709. *in* 4*to.* Charta, qua Meinhardus Tyrolis, & Goritiæ Comes omnibus judicibus per Carinthiam, & Carnioliam mandat; ut Monaſterium Ciſtercienſium Victorienſe, in Carinthia, juribus ſuis, & privilegiis, ſine ulla vexatione, gaudere ſinant. *R. P. Steyerer Collectio Documentorum MSta Tom. III. pag.* 923. *ex Tabulario Monaſterii Victorienſis.* Nulla fit mentio Philippi Ducis.

Huc referenda videntur quæ *Anonymus Leobienſis Lib. II. pag.* 853. *Hieron. Pez Tom. I.* narrat, ad hunc annum: petiiſſe Meinhardum a Rege Rudolfo: ut de aquiſitis terris ſibi, & heredibus ſuis, aliquas daret. Regem repoſuiſſe: ſine conſenſu Principum id fieri non poſſe.

1278 Hoc anno litis, bellive aliquid Alberto Comiti Goritiæ, contra Venetos fuiſſe, propter Vicum & Caſtrum S. Laurentii, atque vrbem Juſtinopolim in Iſtria, memorant *Excerpta* ex BAUTSCHNERI *MSta Hiſtoria.* Sub initium, vel ſub finem hujus anni hæc geſta videntur, nam adulta æſtate Albertus in Auſtriam ſuos duxit, uti nunc dicemus.

Ad decretoriam illam pugnam, qua ad confinia Auſtriæ, & Hungariæ in Marckfeld die XXVI. Auguſti (feria VI. poſt Bartholomæi feſtum, ut habent ipſius Rudolfi Litteræ) victus cæſusque eſt Ottocarus Rex; ſuppetias adduxere Rudolfo Meinhardus Tyrolenſis equites trecentos: Albertus IIdus Goritienſis centum quinquaginta, *Gerardus de Roo Lib. I. pag.* 26. *Edit.* 1709. *in* 4*to. Vide R. P. Calles Annal. Auſtriæ Tom. II. pag.* 553. laudaturque præcipue Meinhardi fortitudo. *Ottocarus Horneck pag.* 151.

1279 Diſſidium anno ſuperiore ortum inter Venetos, & Albertum Comitem Goritiæ, hoc anno XI. Februarii ſopitum fuiſſe, BAUTSCHNERIANA *Excerpta* perhibent.

Toties diſcordes Henricus Tridentinus Præſul, & Meinhardus Tyrolis Comes, delecto arbitro Feltrino Epiſcopo, utcunque conciliantur. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Cremſii in Auſtria hoc anno obiit Philippus, Ulrici Ducis Carinthiæ frater, electus olim Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Patriarcha Aquilejenſis, Dux Carinthiæ appellatus. Videtur is Cremſenſi habitatione, & redditibus illic olim ab Ottocaro aſſignatis, contentus vixiſſe, neque, niſi in alterum annum, antea Carinthiam reipſa poſſediſſe; quia Carinthiam, ab Ottocaro Rege receptam, regebat Meinhardus Tyrolius, vice Rudolfi Imperatoris, ſaltem circa annum 1277. (*Vide illic dicta*) *Anonymus Leobienſis pag.* 855. *Hieron. Pez Tom. I. ad annum* 1279. *Chronica Salisburgenſis ibidem pag.* 428.

1280 Bernenſium copiæ, bello in Patavinos deſtinatæ, Arcem Tridentinam occupant, eamque amico ſuo Meinhardo Comiti tradunt, ut facilius Paduanis hoc oppoſito veluti muro obſiſteret. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

1281 Raymundus Patriarcha, & Albertus Comes Goritiæ, de litibus inter ſe & ſubditos, arbitros legunt Meinhardum Com. Tyrolis, & Gerardum de Camino. *Datum in Civitate Auſtriæ die XIII. exeunte Martio* (XIX. Martii) *anno* 1281. Autographum eſt in Tabulario Græcenſi. Vidit PERILLUSTRIS ROSENTHALIUS.

Wilmarus Abbas Wilthinenſis cedit omnia jura in Oenipontem Meinhardo, qui Monaſterio & Abbati quædam Telonia remittit. *Factum apud Inſpruck anno Domini* 1281. *quinto die menſis Junii inſtantis. Burglehner loco citato.*

Eodem anno Meinhardus a Comite Henrico de Eſchenlorch, dicto de Hertenberg, emit omnia ejus bona in ſuperiore valle Oeni. *Burglehner loco citato.*

Item idem Meinhardus Comes Goritiæ & Tyrolis promittit Rudolfo Regi Romanorum: ſe liberas ceſſurum Marcas mille ducentas, in Carniolia oppignoratas, ſi nuptiæ inter Albertum, ipſius Meinhardi filium, & filiam Comitis Alberti de Hohenberg, ob alterutrius mortem, non proceſſerint. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. V. N. VI. ubi ex hoc Documento deduximus ante annum* 1281. *non fuiſſe ratum, minus conſummatum Matrimonium inter Albertum filium Meinhardi, & Agnetem filiam Alberti Comitis de Hohenberg.*

1283 Albertus IIItius, Alberti IIdi Comitis Goritiæ filius, ſponſalia contraxit cum deligenda aliqua Ulrici Comitis de Heünburg filia; die XX. Februarii. *Vide* TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. XI.*

Comes Meinhardus IV. Tyrolenſis Monialibus in Steinach ad Meran, pro anima ſua donat 10. vecturas ſalis Hallenſis annuas. *Actum, & datum Tyrol* 1283. *Burglehner Lib. III. Cap. III.*

Idem emortuis Comitibus de Mosburg, eorum feuda Tyrolenſia a Conrado Friſingenſi Epiſcopo obtinuit. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Raymundus Patriarcha repetit Juſtinopolim, & alia loca Iſtriæ a Venetis, primum verbis, deinde armis. Eidem Patriarchæ belli ſocios ſeſe jungunt, ineunte Martio, Albertus II. Comes Goritiæ, Tergeſtini, & Muglienſes Tergeſtinis confines. Die XI. Junii in Civitate Auſtriæ a Patriarcha & fœderatis delecti ſunt omnium ordinum XXIV. Viri, rerum bello & pace conſtituendarum, qui decrevere: de quavis domo XX. ſolidos Veronenſes ad belli ſumptum contribuendos. *Chron. Forojul. Append. Rubeis pag.* 24. *Idem Muratorii Tom. XXIV. pag.* 1198.

1284

1284 Tergeſtum a Venetis obſeſſum eſſe, atque Patriarchæ copias repulſas: pugnatum illic ſtrenue, Nepotem Comitis Goritiæ (neſcio quem, qualemve) occubuiſſe; ſubinde Venetos varia Iſtriæ loca occupaſſe perhibent Veneti Scriptores. *M. Antonius Sabellicus Hiſtor. Venet. Ducum. Dec. I. Lib. X. pag.* 239. *Edit. Venetæ* 1718. *in* 4*to. Petrus Marcellus in Vita Danduli Ducis: Vite de Prencipi di Venegia pag.* 62. *Edit. Venetæ* 1557. *Item Andreas Naugerius Storia Veneta pag.* 1005. *Muratorii Tom. XXIII. Sed tempora deinceps confundunt hi & alii ſcriptores in hoc bello Raymundi Patriarchæ. Nobis Chronicon Forojulienſe, a P. Rubeis editum, ſequi placuit in iis, quæ ſequentur.*

Gebhardus Comes ab Hirſchberg, Muraviæ in Bavaria, Meinhardo IVto, filio Meinhardi IIItii olim affinis ſui, omnia jura, & poſſeſſiones in Valle Oeni, & Montanis (quæ obtinuit in diviſione hereditatis Tyrolenſis anno 1254.) ceſſit, & vendidit pro 4000. Marcis Argenti. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V. pag.* 213, & 214. *ex Originario Diplomate, quod in Tabulario Oenipontano Latinum adeſſe dicit. Datum in Murau, in Vigilia Aſcenſionis Domini (XVII. Maji littera Dominicali A.) anno Chriſti* 1284. *Indictione XII.* Eadem bona Rudolfus Rex fiduciario jure ſubinde Meinhardo contulit. *Burglehner ibidem pag.* 223.

Die Vta Septembris Monaſterium in Stams ſolenni ritu conſecratum eſt a ſeptem Epiſcopis ſub ſancto nomine *Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & Sti Joannis Baptiſtæ:* eademque die duodecim corpora e progenie Tyrolenſium Comitum, apud Tyrolim refoſſa, atque Stamſium devecta, in Choro ex utroque latere compoſita ſunt. *Chronicon Stamſenſe Hieron. Pez Tom. II. pag.* 457. *Vitus Arenpeckius Chron. Auſtriæ pag.* 1233. *Hier. Pez Tom. I. De errore Chronici Stamſenſis vulgati vide dicta Tentaminis Genealogici Capite IIItio N. XXI.*

1285 Die undecima Martii in Civitate Auſtriæ promulgantur induciæ, pactæ inter Patriarcham, ſociosque, & Venetorum Rempublicam. *Chronicon Forojulienſe Juliani pag.* 25. Die XXIV. Martii Albertus Dux Saxoniæ conſenſum dat ſcriptis tabulis: ut Meinhardus Comes Tyrolis, & Goritiæ Princeps fiat, & eidem detur Archiducatus (*ita Repertorium*) Carinthiæ, ſi renuncient Duces Auſtriæ, quibus is collatus erat. *Datum Norimberga IV. Kalend. Aprilis* 1285. *Repertorii Auſtriaci Parte Ima fol.* 8, & *Parte IIItia fol.* 16. Confirmat hoc Documentum ea, quæ *R. P. Steyerer Commentar. Albert. II. pag.* 82. docuit e Rudolfi Regis Diplomate, nempe: a Rudolfo antea Feudum Carinthiæ collatum eſſe filiis Alberto, & Rudolfo. Cum vero Albertus ipſe eo titulo non ſit uſus; opinor poſſeſſionem ipſam Carinthiæ non adiiſſe Rudolfi filios, ſed a Meinhardo Tyrolio, interea vice Imperatoris, gubernatam fuiſſe Carinthiam. *Vide Cl. Pesleri ſe-*

riem

riem Ducum Carinthiæ, pag. 87. &c. Ad hunc quoque annum modo laudatus R. P. STEYERER refert pacta Nuptialia, conſtituta a Meinhardo Tyrolis, & Goritiæ Comite &c. inter filiam Agnetem, & Fridericum Landgravium Thuringiæ, generum: Promittit Meinhardus in dotem filiæ 4000. Marcarum argenti, pro emundis bonis; Fridericus vero pro Morgenatu Civitatem Iſinberch, & Caſtrum Lochſtetta: teſtis eſt Albertus Dux Auſtriæ, & Styriæ. *Datum Viennæ in Caſtro, anno Domini* 1285. *Kal. Junii, Indictione XIII.* Diploma incipit: (" Nos Meinhardus, Tyrolis, & Goritiæ Comes, „ Aquilejenſis, Tridentinenſis, & Brixinenſis Eccleſiæ Advocatus, „ univerſis ad quos præſens ſcriptum pervenerit, declaramus, quod „ cum &c. STEYERER *in Collectione MSta Documentorum Tom. VI. pag.* 77.

In Feſto omnium Sanctorum Dominus Joannes de Zucula, cum Franciſco de Orzon facti ſunt milites per Albertum Comitem Goritiæ apud Civitatem in prato juxta Stinirvellam, nolente eos facere milites Raymundo Patriarcha. *Chronicon Forojulienſe Juliani in Appendice Rubeis pag.* 23. Eodem porro anno Albertus IIdus Goritiæ Comes Fradnicenſe Cœnobium in Carniolia ditavit, uti referunt *Excerpta* BAUTSCNERIANA.

1286 Teſtis hoc anno occurrit *Meinhardus IVtus*, nondum Dux Carinthiæ, ſed *Comes Tyrolis & Goritiæ* in confirmatione, a Rudolfo Rom. Rege, Privilegii, ab Alberto Duce Auſtriæ, & Styriæ, Monaſterio S. Crucis Auſtriæ Inferioris conceſſi: (" Hujus rei teſtes ſunt - - - Fri- „ dericus Landgravius Thuringiæ, & Nobilis Meinhardus Comes „ Tyrolis, & alii quamplures fide digni - - - *Datum Auguſtæ nono* „ *Kalendas Februarii* (die XXIV. Januarii) *Indictione XIIII. anno Do-* „ *mini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto, Regni vero noſtri anno XIII. Hergott pag.* 232. *Tom. I. Monument. Auguſtæ Domus Auſtriacæ in Pancharta Rudolfi IV. Archiducis Auſtriæ, qua Monaſterio illi Privilegia a Friderico IIdo Imperatore, Rudolfo I. Rom. Rege, & Alberto Duce Auſtriæ conceſſa, confirmat, ac roborat.*

Die Ima Februarii Rudolfus Romanorum Rex Diplomate, dato *Auguſtæ ſub ſigillo Majeſtatis*, Meinhardum IVtum Comitem Tyrolis, & Goritiæ, Principem renunciat, & confert ei Ducatum Carinthiæ, ſicut eundem poſſedit Dux Bernardus, & Dux Ulricus temporibus Ducum Auſtriæ Leopoldi, & Friderici: ea conditione, ut, extincta Meinhardi ſtirpe, Carinthia ad Auſtriacos redeat. Hujus Documenti Epitomen TENTAM. GENEAL. *Cap. V. N. I.* Correcta die, ex *P. Anton. Steyerer Alberti Append. ad Cap. I. pag.* 82. *&c.* & *Repertorio Auſtriaco Parte I. fol.* 9. *retulimus. Idem confirmant Arenpeckius p.* 1233. *in Chron. Auſtr. Hier. Pez Tom. I. & in Chronico Bajoario pag.* 273. *Bernardi Pez Anecdot. Tom. III.*

III. Parte III. & Chron. Stamſenſe pag. 457. quoad annum 1286. Sed die Nativitatis Domini (anni nempe 1285.) Meinhardum, Ducem primo deſignatum, memorant.

Albertus Idus, & filius ejus Primogenitus Henricus Idus, Comes Goritiæ, abdicant jus Advocatiæ ſuper pagos, ſpectantes ad ſacras Virgines, Aquilejæ degentes, pro annua penſione de quolibet prædio Ruſtico. *Repert. Auſtriac. Part. II. pag.* 733.

Idem Albertus Comes ad finiendas quasdam lites arbitrum eligit Dominum Gerardum de Camin: quod ſua etiam ex parte facit Patriarcha Raymundus. *Repertorii Parte II. fol.* 741.

Legatus quoque Andreæ Ducis Sclavoniæ (poſtea Regis Hungariæ) ad Albertum II. venit, tractaturus de filia Alberti ipſius Clara, Andreæ Duci certis conditionibus deſponſanda. *Datum Tuini die VI. intrante Junio* 1286. *indictione XIV. Repertorii Parte II. fol.* 585. *Vide dicta Tentam. Genealog. Cap. IV. N. III. e Tabulario Græcenſi.*

De hoc eodem Alberto Comite *P. Rubeis pag.* 735. monet: in *Libro MSto Variorum*, Tabularii Civitatis Auſtriæ, inveniri Documentum hujus anni, pleno Alberti titulo inſcriptum: *Albertus Comes Goritiæ, & Tyrolis, Aquilejenſis, Tridentinæ & Brixinenſis Eccleſiæ Advocatus.*

Meinhardus Dux Carinthiæ ad Pentecoſten Ducatum ſuum adire conſtituit. *Ottocarus Horneck in Chronico pag.* 183. Ipſis Kalendis Setembribus in Campo Solienſi ritu veteri, ſuper ſaxea menſa, cathedraque Dux Carinthiæ inauguratur Meinhardus. Albertus Comes Goritiæ, ejus frater, cum tergiverſaretur, ut Palatinus Comes Carinthiæ, a fratre feuda accipere, eaque conferri filio ſuo Henrico poſtularet; perſuaſus tamen ab Hugone Comite de Duvvain (de Duino) aliisque amicis, metuensque, ne Meinhardus Dux ſuorummet filiorum cuidam Palatinatum, ac feuda illa conferret, aquievit tandem, & inter duodecim minora vexilla præcedens Ducem, ab eo feudum accepit, & peregit ea, quæ Palatini Comitis erant. *Anonymus Leobienſis pag.* 858. *ad annum* 1287, *ſed vitioſe ſcriptum. Hieron. Pez Tom. I. Chronicon Weichenſtephanenſe pag.* 405. *Hieron. Pez Tom. II. & ibidem Haſelpachius in Chronico Auſtriaco pag.* 801. & 802. *Æneas Sylvius de ſtatu Europæ ſub Friderico IIItio Cap. XIV. de Carinthia pag.* 406. *Freheri Tom. II. Vide etiam Tentaminis Genealogici Cap. V. N. II.*

1287 Meinhardus Dux a Matthæo & Alberone Comitibus Wangenſibus, litibus antea compoſitis, pene omnia eorum bona coëmit, pretio DCL. librarum Bernenſium: Eodemque anno Dominis de Andrian quædam feuda impertiit. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

1288 Meinhardus Dux pro ſe tantum a Raymundo Patriarcha Venzonum accepit, quod Patriarcha a Wilhelmo de Venzono MCCCC.

Marcis emerat. Actum die Jovis XIX. intrante Februario 1288. *Julianus in Chronico pag.* 24. *in Appendice Rubeis.*

Veneti inſtaurato contra Patriarcham, & ſocios, bello, Marino Moroſini belli Duce Mugliam, Iſtriæ oppidum, occupant. *Andreæ Naugerii Storia Veneziana pag.* 1005. *Muratorii Tom. XXIII.*

Meinhardus Dux a Comite Raiprechto de Pflaum partem Comitatus Pflaum ſupra Nons ſitam cum conſenſu Capituli Tridentini emit numeratis CCCLXXVII. Pernenſium Libris. Idem Dux Domui Teutonicæ in Stœrzingen immunitatem concedit a Telonio Vini & Salis in certa menſura. *Datum in Reiffenſtein exeunte menſe Julio indictione octava.* Indictio eronea eſt; niſi res geſta ad alium annum pertinet. *Purglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Albertus Comes (procul dubio pecunia egens ad Bellum Venetum) Meinhardo fratri cedit unius anni fructus Teloniorum ad Lueg, Stœrzingen, Inſpruck, Ruckſchein, Bozen, Toll, & Nauders, pro 100. Marcis Pernenſium. Datum Triendt die Sti Clementis (23. Novembris) anno Domini 1288. *Burglehner ibidem.* Hæc Telonia, aut dimidium eorum, obtinuit Albertus in diviſione hereditatis anno 1271. quem vide.

1289 Raymundus Patriarcha Iſtriam verſus exercitum promovet: ad Montem Falconem ſiſtit, atque illuc ad eum conveniunt Alberti Comitis copiæ, ipſo Comite Duce, XXV. Aprilis, die Feſto Sti Marci. Adfuere etiam ſuppetiæ a Meinhardo Duce ſubmiſſæ; porro edicto imperatum erat: e Forojulio omnes, ab anno ætatis duodevicesimo ad ſeptuageſimum, ad diem condictam in armis adeſſent. Ita confectus eſt exercitus peditum quinquagies millium, equitum quinquies. Albertus Comes in Caſtris milites creat Henricum de Prampergo, & Nicolai Balducki filium. Interea Veneti Tergeſtum arctius obſident, ſtructa etiam nova veluti Urbe communitorum caſtrorum, quam *Romanam* (*Romagna*) vel, ut vult OTTOCARUS HORNECK *ſempre Vinegia* appellaverunt. Strenue ſe defendentibus Tergeſtinis, Patriarcha, ſociique exeunte Aprili, exercitum Tergeſto admovent, & balliſtis eminus caſtra Venetorum impugnant. Mox miſſis internunciis induciæ interponuntur, colloquiaque miſcentur cum Venetis. Hac occaſione Albertus Comes Goritiæ (ut ſuſpicio, aut res erat) a Venetis, viginti millibus florenorum aureorum illectus, cum ſuis abſceſſit. Quapropter & Patriarcha cum ſuis, deſtitutus, Tergeſto VI. Maji receſſit. Reſipuit illico Albertus, & XIII. Maji in Civitate Auſtriæ inter Patriarcham reliquosque ſocios colloquium eſt habitum, decretumque, ut totis denuo viribus Tergeſto ſuccurreretur. Henricus, Primogenitus Alberti Comitis filius, defectionem Patris ægre ferens, interea a Meinhardo Patruo novas

ſup-

ſupetias, jamque paratas, celeriter adduxit. Igitur ſocialis exercitus cœpit die VII. Junii, magno cum ſtrepitu Tergeſtum reverti, quo, die XVII. Junii, Caſtra hoſtica nondum aſſiliente perterriti, ne. ſcio quo pavore, Veneti, relictis omnibus, in naves ſeſe conjiciunt, novamque hanc Urbem ſuam Victoribus integram cedunt. Ingenti præda potiti Victores, præcipue Tergeſtini, Patriarchæ juſſu occupatam hanc Caſtrenſem Urbem ſolo æquant. *Ottocarus Horneck in Chronico a pag.* 302. *ad* 312. *fuſe hoc bellum exponit, & illam novam Urbem aliis* Romagna *dictam, refert:* Sempre Vinegia. *Chronicon Epitomatum Juliani pag.* 39. *frater Bartholomæus Ferrarienſis ordinis Prædic. in Poly-Hiſtoria Cap. I. pag.* 71. *Muratorii Tom. XXIV. Anonymi Vit. Patriarch. pag.* 15. *Muratorii Tom. XVI.*

Albertum Comitem, a Venetis adulterina moneta ſolutum, ubi fraus illico ſuboluit, infenſum Venetis, rurſum ſe Patriarchæ adjunxiſſe *Ottocarus Horneck, loco citato*, perhibet. Ut ut id ſit, Albertum Comitem ſub initium Junii cum Patriarcha Raymundo pacem, & concordiam perpetuam iniiſſe, conteſtantur *Julianus in Chron. Forojul. pag.* 26. *& Bellonus in Vita Raymundi: Muratorii Tom. XVI. pag.* 49.

1290 Orta iterum diſcordia inter Patriarcham Raymundum, & Albertum Comitem Goritiæ, Iſte XV. Martii combuſto Triceſimo, per Forum Julium prædas agit per ſuos: Cervignani ipſe Comes manet usque ad XXIV. Aprilis. Deinde XII. Maji cepit Dominum Fridericum ſeu Udalricum de Mimilano in quodam templo prope Cormons. *Juliani Chronicon Forojulienſe pag.* 25.

Interea a die X. Aprilis hujus anni ſecta Flagellantium, alioqui nota, in Civitate Auſtriæ, aut primum, aut iterum ſeſe prodere cœpit, *Chronicon Juliani Forojulienſe apud Muratorium Tom. XXIV. pag.* 1199. *Flagellantes jam anno* 1260. *Peruſæ innotuere, multis teſtibus, quos vide in Nota ad locum citatum Chronici Juliani.* Sane Flagellantes jam anno 1267. in Carinthia, & Carniolia viſos eſſe, oſtendit *R. P. Calles Annal. Auſtr. Tom. II. pag.* 454. Quare hanc ſectam altera jam vice in Forumjulium migraſſe exiſtimo hoc anno; etſi Julianus *primum* veniſſe in Forumjulium ſcribat. Ut ut ſit, occaſione tamen Flagellantium diſcordiæ inter Patriarcham Raymundum, & Comitem Albertum compoſitæ ſunt; poſteaquam etiam in Feſto Sti Andreæ Aſquinus Decanus Aquilejenſis in Civitatem Auſtriæ Flagellantium agmen adduxit, plurimosque ad pœnitentiam commovit. *Julianus in Chronico Appendice Rubeis pag.* 25.

Interea Meinhardus Dux Carinthiæ, Henrico Clavigero ſuo in Griez, de uno Jugero in Inſula Eyſacher dicta, feudum conceſſit. *Datum coram his teſtibus. Ottone, Alberto, Ludovico, & Henrico filiis noſtris Kariſſimis anno Domini Milleſimo CCLXXXX. XV. exeunte Aprili (die*

XVI. Aprilis) *Indictione III. apud Burckſtall.* Vidit litteras has Cl. ROSCHMANNUS, ut notant ejus *Collect. Diplom. MSta.* In Tyroli idem Meinhardus Dux per Conradum de Schrofenſtein Tridentinæ Sedi reſtituit (inita concordia cum Philippo novo Epiſcopo) Tridentum, Reiff, Arcem Thenn, Stinnig, Orſona, oppidum Bozen, Valles Nons, Zulz, Judicaria, & Randenna. *Burglehner Lib. XIII. Cap V.*

1291 Ob hæc pie conſtituta Meinhardus juſſu Nicolai IVti Pontificis per Abbates Sti Rufini, & Stæ Mariæ de Falonia Sacrorum communioni reſtitutus eſt. Extat apud *Ughellum Italiæ ſacræ Tom. V. pag.* 619 & *Lunigium Cod. German. Diplom. Tom. II. pag.* 875. *Epiſtola Nicolai data VII. Kalend. Julii* (die XXV. Junii) *Pontificatus anno quarto.* qui annus indicat annum 1291. etſi LÜNIGIUS poſuerit 1290. nam Nicolaus IVtus 1288. die 22. Februarii Pontificatum adiit.

Rudolfus Imus Cæſar die XV. Julii ad meliorem vitam abiit. *Annales Steronis ad annum* 1291. *pag.* 574. *Freheri Tom. I.*

Variæ incurſiones hoc anno a Venetis fiunt in Patriarchæ, & Goritienſium terras, etiam Paduanis, & Gerardo Comite de Camin, Venetorum partes amplexis. *Andreas Naugerius Storia Veneziana pag* 1007. *Muratorii Tom. XXIII.*

Denique pax conſtituta, ac die XI. Novembris promulgata eſt inter Patriarcham, & R. P. Venetam Duce Gradenigo (Dandulus enim Joannes, prius mortus fuerat anno 1289.) his pactis: Veneti, quæ ultimo hoc bello cepere, Mugliam, Burgum, & Caſtrum Muquan reddunto: quæ antea occupaverant ſervanto; captivi utrinque libertati reſtituuntor: Patriarcha annuos Ducatos 10068. a Venetis, Iſtriæ titulo, accipito, dum a Papa ſententia de Iſtria feratur: Portus utrinque liberi ſunto. *Juliani Chronicon Forojulienſe pag.* 26. *Andreæ Naugerii Storia Veneziana pag.* 1007. *Danduli Chronicon pag.* 403. *Muratorii Tom. XII. Anonymus Autor Vit. Patriarch. Aquil. pag.* 15. *Muratorii Tom. XVI.*

Meinhardus Dux Carinthiæ ab Arnoldo de Tarrant emit Stainach pretio CCXXVI. Marcarum Bernenſium. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

1292 Albertus II. Comes Goritiæ cum Conrado Archiepiſcopo Salisburgenſi componit litem de prætenſo utriusque partis jure, ad quasdam Arces in ſuperiore Carinthia. *Repertorii Parte II. fol.* 423.

Eidem Alberto Comiti ſe ex pacto contra quoſcunque hoſtes adſtituros promitunt Comes Joannes de Veglia & Modruſch, ejusque fratres. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 426.

Albertus Dux Auſtriæ jam ab anno 1290. teſte *Chronico Salisburgenſi pag.* 390. *ad annum* 1290. *Hieron. Pez Tom. I.* bello implicitus eſt

eſt adverſus ſeditioſos Styriæ Dynaſtas, quibus acceſſere Conradus Salisburgenſis, & Ulricus Comes de Heimburg. Albertus Dux Oenipontem ad Meinhardum Ducem venit in Vigilia Paſchæ, (V. Aprilis) eoque cum aliis Proceribus incitavit Meinhardum, ut filium ſuum juniorem Ludovicum cum copiis in Carinthiam mitteret, qui graſſantem illic Ulricum Heimburgium, & erepta Bambergenſibus arce Griven ferociorem, compeſceret. Venit in Urbem Sti Viti Ludovicus; ſed illic proditione quorundam, irruente de nocte Heimburgio cum ſociis, captus eſt a Rudolfo Conradi Archiepiſcopi Prætore, primumque Friſacum, deinde in Tackenburg: demum a Conrado ipſo in Werffen abductus eſt. *Ottocari Horneck Chronicon pag.* 524. *&c. item pagina* 558. *ubi ſit mentio anni* 1292. *Vide Cl. P. Hanſizii Tom. II. Germ. ſac. in Conrado IV. Salisb. pag.* 533.

Interea Bavariæ Duces Urbe Sti Viti fruſtra obſeſſa diſceſſere. Meinhardus vero, ad caſtigandos proditores, Ottonem filium Primogenitum in Carinthiam ablegavit, ubi punitis reis, contra Haimburgium parum effectum eſt. *Horneck pag.* 528. *Cap.* 558. *&* 559.

Fabulam opinor eſſe, pugnam illam ad Stum Vitum, in qua Otto captus, ac decem menſibus detentus, frater ejus Albertus occiſus ſit, uti refert *Burglehner Lib. XIII. Cap. V. ex Hundii Metrop. Salisb. Tom. I. pag.* 13. Nam non modo de his ſilet Hornecкus, ſed contraria omnia adfert. Præterea Albertus, Meinhardi filius, XXIV. Aprilis obiit, teſte *Chronico Stamſenſi Hieron. Pez Tom. II. pag.* 457. *conſentit Vitus Arenpeckius pag.* 1233. *Hieron. Pez Tom. I.* Quod tempus non congrueret illi pugnæ ad ſanctum Vitum, quæ potius adultæ Æſtati conveniet ſpectata rerum ſerie.

Albertus Auſtriacus, & Meinhardus Tyrolenſis hoc anno, ut habet Continuator Martini Poloni, *pag.* 1292. *Eccardi Tom. I.* ab Adolfo Rege Rom. in Aprili electo, feuda ſuſcepere, offenſi tamen nimio pretio, quod pro inveſtitu a Adolfus petebat.

1293 Eliſabetha, Meinhardi filia, Alberti Auſtrii uxor, ſumma contentione negotium pacis promovebat, ut captivum fratrem Ludovicum liberaret. Itaque menſe Martio primum convenere Principes Welſii, Auſtriæ oppido, Albertus Auſtrius, Otto Meinhardi filius (itaque non captivus X. menſibus) Duces Bavariæ, Conradus Salisburgenſis, ejusque Prætor Rudolfus; at re infecta tum diſceſſum, ſed colloquium Linzii die XXVII. Maji inſtauratum eſt, cui Meinhardus ipſe Carinthius interfuit. Tandemque delecti Arbitri Ludovicus Palatinus Rheni, & Henricus Epiſcopus Ratisbonenſis. *Ottocarus Horneck in Chronico pag.* 531. *&c. Vide Patris Hanſizii Tom. II. Germ. ſac. pag.*

434. *&c.* Concordiæ initiæ condititiones, quas apud HORNECKUM non invenit HANSIZIUS, ſufficit nobis *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 64. Captivi utrinque dimittuntor: Friderico Stubenbergio libertas, arces, & omnia bona redduntor: Damna & expenſas belli nemo alteri compenſato: Ulricus Haimburgius Archiepiſcopo Salisburgenſi Litteras, de captivitate Ludovici ſcriptas, reſtituito, dictoque ſacramento abſolvitor: ambæ partes usque ad diem Sti Jacobi mutuas concordiæ litteras conficiunto. Denique ad hunc annum Adolfi Regis Chartam (in qua Alberti, Ducis Meinhardi filii, jam demortui, viduæque Agnetis de Hohenberg fit mentio) datam menſe Septembri anno regni ſecundo retulimus in TENTAMINE GENEALOG. *Cap. V. N. VI ad finem.*

1294 Meinhardum Ducem a Cœleſtino V. Papa Eccleſiaſtica proſcriptione abſolutum eſſe meminit *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* quod exeunte æſtate hujus anni factum arbitror; cum Cœleſtinus ſederit a VII. Julii ad XIII. Decembris hujus anni 1494.

Enimvero Meinhardum non omnia executum eſſe, quæ Papa mandarat, produnt ea quæ in *Chronico Mellicenſi ad annum* 1294. *Hieron. Pez Tom. I. pag.* 244. ita legimus (,, Concilium Salzburgæ habetur, ,, ibique Dux Carinthiæ Meinhardus cum omnibus fautoribus ſuis ,, auctoritate Apoſtolica excommunicatur pro detentione quorundam, ,, Epiſcopatuum Tridentini, & Brixinenſis.

1295 Reſipuiſſe Meinhardum hoc anno, & ſolemni formula fidejuſſionem, de reddendis Eccleſiæ bonis feciſſe die duodecima Februarii, ex inſpecto, ut videtur, Documento adnotavit *Celeb. P. Hanſizius Germ. ſac. Tom. II. pag.* 435. *Documentum idem etiam produxit Ughellus Ital. ſac. Tom. V. pag.* 620. *Item Lunig Cod. German. Diplom. Tom. II. pag.* 872. Alia tamen Nobilium caſtra a Meinhardo impugnata colligo ex tabulis, Germanice ſcriptis, apud *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* quibus jurati teſtes ita referunt: anno 1295. Nobilem, ac Potentem Dominum Meinhardum Ducem Carinthiæ, & Comitem Tyrolis Arcem Waineggen cepiſſe, ac diruiſſe, atque Weineggenſes captivos abduxiſſe in Gries: eandem ſortem Meinhardum comminatum eſſe Arci Brandis; ſed conſilio Petri Trautſon, ultro ad Meinhardum veniſſe Hiliprandum de Brandis, atque claves arcium Lauenburg, & Brandis, Duci obtuliſſe, a quo gratiam & claves, feudumque perpetuum harum arcium recepit Hiliprandus.

His peractis Græcium Styriæ conceſſit Meinhardus, nuptiisque interfuit, ibidem celebratis, ab Hermanno, Ottonis Brandeburgenſis filio, & Anna, nepte ſua, filia Alberti Imi Ducis Auſtriæ *Ottocari Horneck Chronicon a pag.* 584, *ad* 587. Inde inſpecta Carniolia, & Marchia Vinidorum, cum in Tyrolim Meinhardus tende-

ret,

ret, morbo correptus, Greiffenbergæ in Carinthia ſiſtere coactus eſt, ibidemque teſtamento condito tres filios Ottonem, Ludovicum, & Henricum ſimul heredes ſcribit: Tridentinæ Sedi, aliisque ſua reſtitui jubet, & cadaver ſuum in Stams reponi; ibidem piam mortem opetiit, inter primas & ſecundas veſperas Feſti Omnium Sanctorum. *Idem pag. 593. Vide dicta Tentaminis Genealogici Cap. V. N. II.* De hac morte ita *Continuator Martini Poloni ad annum* 1295. *Eccardi Tom. I. pag.* 1430. („ Anno 1295. Dux Meinhardus obiit: filiis „ maximum Theſaurum reliquit, mortuus excommunicatus; poſt „ mortem Abbas Stamſenſis abſolutionem impetravit.)

Albertus II. Comes Goritiæ Feria ſexta poſt Feſtum Beati Nicolai (die IX. Decembris) Feudum de quibusdam bonis concedit Chunczoni Civi de Lünuz. *Datum in Velaco* 1295. *Collectanea Genealogica Roſenthaliana, ex Autographo.*

1296 Euphemia, Alberti IIdi Goritiani Uxor, aſſignat filiæ ſuæ Claræ Euphemiæ 1200. Denarios Aquilejenſes de bonis ſuis Hardegg, & Plajen. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 425. Otto, Ludovicus, & Henricus Duces cum Landolfo Brixinenſi Epiſcopo concordiam ineunt, & ab eodem obtinent liberum ingreſſum in arces Brixinenſes: item facultatem muniendi Seben, ſeu Sabionam, & Prauneggen. *Datum in Monaſterio Ave ad Bozen* 1296. *Burglehner Lib. XVI. Cap. III.*

Iidem Duces fratres, quod Alberto Auſtriaco Affini ſuo contra Adolfum Regem aſſiſterent, ab hoc banno Imperii percelluntur, appellanturque tantum in litteris ad eos miſſis *Nobiles de Tyrol.* Hujus proſcriptionis cauſa præterea fuit Urbs Rottenberg, quam Duces prædicti Rudolfo Palatino cedere detrectabant. Rudolfus Palatinus in terras Ducum irrumpit, quædam diruit, vel ſpoliat: duas Arces in ſolo Tyrolenſium ædificat, extremaque omnia Ottoni, & fratribus minatur. Sed paulo poſt Auguſtano Epiſcopo Balpharto, infeſta ſigna in Bavariam inferente, Tyrolim Rudolfus deſeruit. *Hæc omnia narrat Burglehner Lib. XII. Cap. V.*

Tergeſtinis hoc anno adverſus infeſtos Venetos rurſum ſuccuriſſe Albertum II. Goritienſem, ex Bautschneri *Hiſtoria Manuſcripta* adnotatum invenio.

1297 Duo celebres concordiæ tractatus hoc anno ſe offerunt. Prior, quo Conradus Salisburgenſis conciliatur Alberto Duci Auſtriæ, intima deinde amicitia jungendus. Tabulæ extant Græcii, quibus Conradus Archiepiſcopus ſpondet: nemini ſe opem laturum, ne quidem Regi Romanorum, qui hoſtis fuerit Alberti Ducis Auſtriæ, aut Affinium ejus Ottonis, Ludovici, & Henrici Carinthiæ Ducum.

Da-

Datum Vienna 1297 *die Sancti Ruperti in Autumno.* Id eſt die XXIV. Septembris. *Hanſizius Germ. ſac. Tom. II. pag.* 438.

Altera concordia, poſt data, decurſu hujus anni, mutua bellorum damna, conſtabilita eſt die 1ma Decembris inter Raymundum Patriarcham, & Henricum Ildum Goritienſem, Alberti Primogenitum, in loco Pradatinis, prope villam Paterni, ſupra Utinum, ubi Patriarcha eundem Comitem Henricum Militaribus armis ſolenniter induit. *Juliani Chronicon in Appendice Rubeis pag.* 27.

Hoc circiter anno idem Henricus Comes Uxorem duxit Beatricem de Camin: Gerardi filiam, cum dote XVII. millium marcarum monetæ parvæ Veronenſis, qua de re, deque prolibus ex eadem ſuſceptis, vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. V.* Pacta ſponſalia fuere die IIda Maji.

1298 Exauctorato a quibusdam Principibus Adolfo Cæſare die XXIV. Junii, evocatoque Alberto Auſtriaco ad ſuſcipiendum Imperium, cum copias Albertus contra Adolfum duxiſſet, eundemque die IIda Julii pugna victum, haud procul Wormatia, interemiſſet, depoſito deinde ſponte Imperio, Albertus ab omnibus Rex ſalutatur, ac die Sti Bartholomæi coronatur. *Hiſtoria Auſtralis, item Annales Colmarienſes, item H. Stero, aliique ad hunc annum.* In hoc bello ſtrenuam operam Alberto navaſſe copias Ducum Carinthiæ, Ducesque iſtos ab Alberto coronato Rege, Banno imperiali illico liberatos fuiſſe teſtantur. *Anonymus Leobienſis hoc anno pag.* 875. & 876. *Hieron. Pez Tom. I. Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Comitiis quoque Norimbergæ ab Alberto, hoc, vel ſequente anno celebratis, interfuere Duces fratres Otto, Ludovicus, Henricus. *Chronicon Salisburgenſe pag.* 396. *Hieron. Pez Tom. I. ad annum* 1298. *Alia Chronica anno* 1299. *Comitia Norimbergenſia locant, etſi anno primo Regni Alberti, circa Feſtum Martini celebrata ſcribant; cum tamen ſaltem a Feſto Bartholomæi* 1299. *inceperit annus ſecundus Regni Alberti.* Iidem, Deo gratias habituri, pia quædam beneficia fundavere in Bavarico Monaſterio Ordinis Sti Benedicti *Benedict-Beyren* appellato. *Datum in Burgo noſtro Inſpruck, juxta Muros Civitatis:* anno 1298. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

1299 Nova diſſidia inter Patriarcham, & Comitem Albertum exorta ſunt die XXI. Januarii. Goritiani Milites mane occupaverunt Caſtrum Tulmini. *Juliani Chronicon Appendice Rubeis pag.* 28.

Raymundus Patriarcha inter turbas ex hoc mundo ad quietem abiit XXIII. Februarii. *Rubeis pag.* 781. & 782. Cui ſuffectus eſt a Bonifacio VIII. Pontifice Petrus de Gerra in Feſto Sti Joannis Baptiſtæ. *Idem pagina* 804.

In.

Interea, vacante ſede, Aquilejenſes Capitaneum ſibi delegere XIX. Martii Henricum IIdum Comitem, Alberti II. viventis Primogenitum, omni virtutum laude inſignem. Capitaneum hunc quædam communitates, & Caſtellani recipere detrectabant; ſed Henricus a Gerardo de Camin, affine ſuo, adjutus, Forojulium infeſtare cœpit. Compoſita eſt ea diſcordia in Vigilia Aſſumptionis B.V. Mariæ die XIV. Auguſti. *Julianus in Chronico apud Rubeis in Appendice pag.* 28. *Rubeis in Commentariis Aquil. pag.* 802.

Procuratores Patriarchæ abſentis, item urbium Utini, Civitatis Auſtriæ, & Clemonæ, pollicentur Comiti Goritiæ Henrico, ſe ſoluturos quingentos Denarios Aquilejenſes usque ad Feſtum Sti Martini. *Documentum hac de re indicatur in Repertorio Auſtriaco Parte II. fol.* 615.

Albertus IIdus Comes Wilthinenſi Monaſterio in Tyroli immunitatem concedit a Telonio certi dimenſi olei, & Vini. *Actum & datum in Stœrzingen anno Domini* 1299. *in die Sti Bartholomæi Apoſtoli die XXIV. Auguſti. Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

In Litteris Alberti IIdi *Datis die XV. Novembris* mentio fit Eliſabethæ Henrici Haſſiæ Landgravii filiæ, conjugis Alberti IIItii junioris. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. XII.*

Otto, Ludovicus, & Henricus Duces Carinthiæ ab Alberto Rege Feudum accipiunt Ducatus Carinthiæ, & Comitatus Tyrolis. *Datum Spiræ anno* 1299. *Repertorium Auſtriacum Parte I. fol.* 10.

1300 Controverſiæ in Forojulio ſuperiore anno compoſitæ, adveniente Patriarcha inſtauratæ, in apertum bellum erupere. En cauſam: Nicolaus, Petri Patriarchæ Nepos, dedit Gerardo de Camin Saciletum; id Petrus dare volebat Gerardo de Caſtellis, inimico Caminatis. Ventum eſt ad arma: Gerardo Caminati Henricus Goritiæ Comes, & plerique Dynaſtæ, adſtiterunt. A Patriarchæ partibus ſtabant Communitates, & pauci procerum. Patriarcha ſe imparem hoſtibus cernens, Meinhardum Ortenburgicum Forojulii Capitaneum renunciat, atque in ſubſidium vocat. Hic XXI. Septembris obſedit Villaltam, atque Civitati Auſtriæ ſuppetias tulit, cui hoſtes excidium minabantur. Poſt mutua belli damna de pace actum eſt Conciliatore Alberto IIdo Comite Goritiæ, ut ex Epiſtolis Patriarchæ colligit *Cl P. Rubeis p.* 805. *& ex Hiſtoria Manuſcripta Marci Antonii Nicoletti Litteras integras profert.* Conſtitutam denique pacem die VII. Novembris ſeu quarto die ante Feſtum S. Martini, præcones in Civitate Auſtriæ publicaverunt. *Julianus in Chronico pag.* 28. 29. *Append. Rubeis.*

Dominus Paulus, Banus Croatiæ, & filius ipſius Maladenus, ſeu Mladenus, ac frater ejusdem Pauli Dominus Georgius, Comites urbium in Dalmatia, promittunt: eum ex ipſis, qui prior filiam intra ſex annos e conjugio ſuſceperit, eandem ſe daturum uxorem Comiti Meinhardo, Comitis Henrici de Gœrz filio: conſenſu Comitum Alberti de Gœrz, Patris & Filii. Viciſſim ſi Henricus filiam obtineat, ea nubat prædictorum trium Comitum alicui filio. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 592. *Vide dicta Tentaminis Genealogici Capite IV. N. VI. Actum Salone XI. Auguſti anno* 1300. In Tabulario Aulico Græcenſi vidit Perill. ROSENTHALIUS.

1301 Petrus Patriarcha obiit in Caſtro Utinenſi die XIX. Februarii. Eidem electione Canonicorum ſubrogatus eſt Paganus de Turre, Decanus Aquilejenſis; etſi obſtreperent Epiſcopus Concordienſis, aliique nonnulli, qui Ottonem de Ortenburg, Præpoſitum Aquilejenſem elegere. *P. Rubeis pag.* 811. Utramque electionem rejecit Bonifacius VIII. vacante itaque ſede Canonici Aquilejenſes, & Caſtellani Forojulienſes V. Junii rurſum Henricum Goritianum Capitaneum Generalem ſibi deligunt. *Julianus in Chronico apud Rubeis pag.* 28. *&c.* Conditiones, quibus hæc electio ſuſcepta eſt, exhibent Tabulæ ipſius Henrici Comitis allatæ a *P. Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 808. *&c.* Inter ceteras erant: ut Henricus pro annuo ſalario ultra Mille libras Veronenſes parvas non exigeret ab Eccleſia Aquilejenſi: deinde ut Capitanei munus illico poneret, cum novus Patriarcha Forumjulium intraverit: denique ut bona Capituli Aquilejenſis totis viribus defenderet.

Henrico ſe oppoſuit Meinhardus Ortenburgicus, iterum a Civitatenſibus aliisque Henrico infenſis, belli Dux renunciatus. Horum copiæ die XIII. Junii Villam de Fagedis exuſtam ſolo æquarunt: multumque vaſtitatis Forojulio ab utraque parte illatum eſt. Tandem pernicioſum hoc bellum in Feſto Exaltationis Stæ Crucis XIV. Septembris, opera Meinhardi Comitis, filii Domini Alberti (nobis primi) Comitis Goritiæ, induciis ſopitum eſt, conſtitutis usque ad Feſtum Circumciſionis proxime futurum. *Julianus in Chronico in Appendice Rubeis pag.* 29. *& apud Muratorium Tom. XXIV. pag.* 1207. *&* 1208. *ad annum* 1301.

1302 Bonifacius VIII. Pontifex die XXX. Martii Patriarchatum Aquilejæ contulit Ottobono Epiſcopo Patavino; Pagano autem, pluribus antea ſuffragiis Patriarchæ electo, Epiſcopatum Patavinum aſſignavit. *Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 811.

Otto, Ludovicus, & Henricus Duces Carinthiæ ab Ottobono Patriarcha, Roma in Forumjulium delato, autoritate Bonifacii Papæ communioni Eccleſiæ reſtituti ſunt: quod damna Tridentinæ Ec-

Ecclesiæ a Patre Meinhardo, ipsisque illata, sarcire decrevissent. Bulla Bonifacii VIII. data *est anno* 1302. *VII. Kalendas Septembris* (*XXVI. Augusti*) *anno Pontificatus VIII. Rubeis pag.* 812. *ex Raynaldi Annal. Eccles.*

Otto Dux ut fratrum natu maximus, Tyrolensia Feuda suo, & fratrum nomine variis contulit: similique nomine a Brixinensi Episcopo Feuda accepit, teste *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Idem Otto Dux speciatim confirmat, & auget Privilegia Syticensi Monasterio in Carniolia, a Patre suo Meinhardo data. *Actum, & datum in Griez anno Domini M. CCC. II. die XVI. Novembris indictione quinta decima,* (*ab Autumno inchoata.*) *Rubeis pag.* 738. *Integras Tabulas refert.*

Albertus IIdus senior Comes Goritiæ novo rescripto corroborat jura Commendæ Preceniensis, Ordinis Equitum Teutonicorum. Ita *Excerpta Bautschneriana.* Filius, cum Patre Alberto II. seniore, Albertus IIItius, filiarum suarum unam Sponsam pollicetur: *Charta data anno* 1302. *die XXI. Augusti in Stain*, per mutua pacta Heunburgiorum Ulrici, & Friderici ejus Filii, & Ulrici Baronis de Sunekke, Hermanno, Ulrici Comitis de Heunburg filio, adjecta conditione mulctæ Mille Marcarum argenti puri, qui pactis non steterit. *Repertorii Parte II. fol.* 590. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. IV. N. XIII.*

1303 Confirmatam, instauratamve Pacem inter Ottobonum Patriarcham & Venetos memorat Dandulus mense Januario *in Chronico pag.* 409. *Muratorii Tom. XII.*

In controversia, die ultima Junii ventilata, super territorium Turris novæ in Istria, inter Episcopum Parentinum, & Comitem Goritiæ (Albertum IIdum) ex una, & commune Parentinum ex altera parte, testis subscripsit Naticherus, Episcopus Æmonensis. *Ughelli Editor Venetus Tom. X. in Addendis & corrigendis pag.* 198. *ad annum* 1303.

Ottobono Patriarchæ gravia his temporibus existebant dissidia cum Comite Goritiæ, & cum D. Rizardo de Camin, Comiteque Hohenbergico, qui ditionem Aquilejensem invaserant. Principum igitur auxilia imploravit Ottobonus; Wenzeslaum seniorem Regem Bohemiæ hos inter fuisse, innuit *Cl. P. Rubeis pag.* 813. & 814. & comprobat Epistola Wenceslai Junioris annno 1304. referenda.

Albertus senior Comes Goritiæ, partitur Terras suas inter filios Henricum, & Albertum. Assignatur Henrico natu majori quidquid trans Crenzberg in Forojulio, Istria, in Carst, in Marchia

chia, & in Carniolia ipſe Pater poſſederat, una cum domo Eberſtein. Alberto vero adſcribitur, quidquid cis Crenzberg a Cluſa in Haslach usque in Carinthiam, & quidquid in Carinthia ſui juris erat. Deinde titulum Comitis Goritienſis, & Eccleſiarum trium Advocati nempe Aquilejenſis, Tridentinæ, & Brixinenſis, utrique vult eſſe communem. Denique mandat, ut in caſu orbitatis unius filiorum, ad alterum omnia perveniant. *Actum ze Luenz* (die XXV. Octobris) *feria IV. ante Kalendas Novembris, anno* 1303. *Collectanea Manuſcripta P. Antonii Steyerer S. J. Parte VI. fol.* 20.

1304 Albertus Imus, Rom. Rex Diviſionem Terrarum Goritienſium, ab Alberto Ildo Comite Goritiæ filiis factam, confirmat. *Anno* 1304. *X. Kalendas Februarii* (die XXIII. Januarii) *anno Regni ſui ſexto.* Eo in Diplomate Comitem Albertum *Affinem* ſuum Rex Albertus appellat. *Collectio Manuſcripta Documentorum P. Steyerer Tom. VI. fol.* 21.

Idem Albertus Rex Rom. Viennæ die XXVIII. Januarii confirmat aſſignationem dotis, ab Alberto II. Com. Goritiæ factam uxori ſuæ Euphemiæ, Hermanni Ortenburgici filiæ. Vide *Tentam. Geneal. Cap. IV. N. II.*

Recte conſtitutis Reipublicæ negotiis, Leontii, circa initium Septembris, mortali vitæ valedixit Albertus Ildus Comes Goritiæ, cujus exuviæ ſubinde Roſacenſi in templo honorifice conditæ ſunt, die VII. Septembris, in Vigilia Nativitatis B. V. Mariæ. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. II.*

Henricus Ildus & Albertus IIItius fratres, defuncto Patre, mox amice conveniunt, ut per quinquennium ſolus natu major Henricus Dominium exerceat, bonaque omnia adminiſtret. *P. Steyerer Collectanea Manuſcripta Tom. VI. fol.* 22. Ex his, & quæ ſequentur, liquet: nullum, ſuperſtitem Patri, fuiſſe *Meinhardum* Alberti Ildi filium; uti dictum eſt TENTAM. GENEAL. *Cap. III. N. XXI.*

1305 Albertus Imus Cæſar Ottoni, Ludovico, & Henrico fratribus, Ducibus Carinchiæ Feudi nomine concedit Telonii jus *in dem Luft, an der Tell, und zu Bozen* exceptis ab hoc onere Principibus. *P. Steyerer Collectanea Manuſcripta Tom. I. fol.* 340.

Wenzeslaus junior Rex Bohemiæ, Mortuo hoc anno Patre Wenceslao (cujus opem imploraverat Ottobonus Patriarcha) Litteras benevolentiæ plenas ad eundem Patriarcham dedit *die XIII. Julii: anno Regnorum noſtrorum Bohemici & Polonici primo, Hungarici quarto. Rubeis pag.* 813. *Epiſtolam integram affert.* Mentio hic fit Wenceslai Patris, Ottobono favere parati.

Confœderati Patriarchæ hoſtes Henricus Comes Goritiæ, Meinhardus Comes de Ortenburg, & iſtorum Affinis Dominus Rizardus

de

de Camino, Itemque Azo Marchio Eſtenſis, Caſtrum Spilimberg expugnant die IV. Auguſti, cui expeditioni etiam copiæ Henrici Ducis Carinthiæ acceſſerant. Sed Dux iſte Patriarchæ conciliatus cum eodem fœdus pangit die XXV. Septembris. *Julianus in Chronico Appendice Rubeis pag.* 30. *Anonymus Leobienſis ad annum* 1301. *his quædam ſimilia narrat, ſed confuſe, ac dubie. Hieron. Pez Tom. I. pag.* 879.

Interea die XXII. Septembris, in Feſto Sti Mauritii, mortuus eſt Ludovicus Dux Carinthiæ, Meinhardi IV filius tertio loco genitus; ſepultus in Stams. *Oſtendimus hæc Tentaminis Genealogici Cap. V. N. VII. ex Juliani Chronico pag.* 30. *& Chronico Stamſenſi Hieron. Pez Tom. II. pag.* 457.

1306 Henricus Dux Carinthiæ Pragæ, poſt Februarium, uxorem duxit Annam Wenceslai IIItii Bohemiæ Regis ſororem natu majorem. Ea de re extant Pacta Nuptialia facta *Landishuti anno* 1306. *XXVIII. Februarii Indictione IV. P. Steyerer Collectanea Manuſcripta Documentorum Tom. VI. pag.* 22. *Vide etiam Tentaminis Genealogici Cap. V. N. IX. & XII.* His promittit Wenzeslaus Rex Dotis nomine Decem Millia Marcarum argenti: Dux Henricus vero pro Nuptiali dono Quindecim Millia Marcarum, & alia Sex Millia Morgengebæ titulo. Securitatis cauſa Dux aſſignavit Caſtra *Hallis, Taur, Traperch, & Friperch* cũ proventibus. Pecuniam vero exſolvi volunt in Denariis Groſſis Pragenſibus, quorum quinquaginta ſex unam marcam argenti conficiunt.

Wenceslao IIItio Rege, circa initium Auguſti interfecto, Henricus Dux Carinthiæ a parte procerum Bohemiæ Rex agnoſcitur circa XIX. Auguſti: Pars altera Rudolfum Alberti Cæſaris filium Regem depoſcit. Albertus Cæſar, uſus jure Imperii, & pactorum nuptialium, & electionis, Rudolfum filium armis in Bohemiam illico inducit, eique Eliſabetham, Wenceslai IIItii viduam, connubio jungit. Henricus Bohemia excedere cogitur. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. V. N. IX. X. XI. & XVII. Anonymus Leobienſis ad annum* 1306. *pag.* 888. *Arenpeckius in Chronico Auſtriaco pag.* 1233. *Hier. Pez Tom. I.*

Sub finem hujus anni die Sti Thomæ Indictione IV. *Otto, & Henricus, Duces Carinthiæ Comites Tyrolis, & Goritiæ &c.* Honorabili viro Domino Berchtoldo dicto Maiſer Præpoſito, & Conventui Monaſterii ad Bozen, annuas decem vecturas ſalis donant. *Burglehner Lib. III. Cap. III.* Itaque hoc anno Henricus, *Regis* titulo, ſaltem *in conſortio Ottonis fratris natu majoris*, non eſt uſus. Vide etiam dicta Tentaminis Genealogici *Cap. V. N. XI.*

Interea in Forojulio diſſidia inter Ottobonum Patriarcham, & Henricum Comitem Goritiæ indies magis invaluere. Comes per

Nicolaum, filium Henrici quondam de Budrio, die X. Februarii Caſtrum Budrio, cujus Caſtri Dominus Udalricus cum fratribus, Patriarchæ partes ſequebatur, expugnavit; tum multæ utrinque clades datæ, & acceptæ. Tandem vi recuperato Caſtro Budrio, in quo Nicolaus cum fratribus, & multi Goritiani capti, Patriarcha Ottobonus die V. exeunte Majo (id eſt XXVI. Maji) de induciis convenit cum omnibus adverſariis uſque ad Feſtum Sti Martini, ſub pœna MM. marcharum obſervandis. *Julianus in Chronico pag.* 31. & 32. Tabulas harum induciarum in Archivo Cæſareo Viennenſi extare indicavit. *Cl. P. Steyerer: Collectanea Manuſcripta Documentorum Tom. VI. pag.* 1162.

1307 Henricus Comes Nobili de Michlsburg, Pædagogo (ita accipio vocabulum *Lehrknecht*) filioli ſui Meinhardi, fiduciario jure confert pagum Caprin hoc anno, confirmavitque anno 1309. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 322. *ex apographo.* Goritiæ die XI. Junii hereditatem de integro partiuntur Henricus, & Albertus fratres, ita, ut ad Albertum pertinerent ultra Crenzberg verſus Carinthiam, Virge, Ehaltz, Defrick, Heünenfels, Varbenſtein, Clauſa in Vrägan, Talixenſtein, & Mosburch, Kerris in Peneck, Lynz, & Rodenſtain: Henricus vero poſſideret, Eberſtain, & Stain in Jaunthall, Oppidum Lientz, Traburch, Bruckam, Caſtrum & cluſam ad Lientz, Walhſerch, Rähen, Sant-Michelspurch: præter hæc Goritiam & quidquid ibi cis Crenzberg eſt in Yſtria, Forojulio, in Karſt, in Marchia, & Carniolia. Inter teſtes primo loco eſt Rudolfus de Scherffenberch.

Altera ab iisdem fratribus Terrarum diviſio eodem hoc anno ſuſcepta eſt Leontii die XII. Decembris: in qua Henrico Metlick, & reliqua Goritienſis juris in Carniolia, Carinthia, Stein, & Eberſtain, Traburch cum omnibus Territoriis, Leſach, Chotzau, Sant-Stephan Chirchaym, & ſupra memorata contribuuntur. Sancitur præterea, ut Albertus quidem habeat reditus Advocatiæ (*die Vogt pfenninge*) Milſtadii, aliaque eo pertinentia; Ambo tamen fratres Milſtadii ſint Domini, Advocati, & Judices. *Utramque diviſionem refert P. Steyerer in Collect. MSta Documentorum Tom. VI. pag. XXVI. & XXVII. Et Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 725.

Rudolfus Auſtriacus, Bohemiæ Rex, III. vel IV. Julii deceſſit. Auguſto menſe rurſum Henricus Carinthus a Bohemis electus evocatur. Subinde cum Vidua Rudolfi Eliſabetha filiolum peperiſſet, Albertus Cæſar pro nepote pupillo Bohemiam armatus intrat: Carinthiam per Ulricum de Walſee, Capitaneum Styriæ: Carnioliam per Henricum, Goritiæ Comitem, occupandas curat: aſſiſtentibus Goritiano Comitibus de Ortenburg, & Sclavicis Optimatibus, potiſ-

tiſſimum, Babanikiis. Albertus Cæſar parum effecit, Pragamque ingreſſus Henricus Carinthius, pro Rege recipitur. *Anonymus Leobienſis pag.* 890. *Hieron. Pez Tom. I. & ibidem Chronicon Salisburgenſe pag.* 403. *Tentam. Geneal. Cap. V. N. XI.*

In Tyroli Otto, Henrici Regis frater, a Bartholomæo Tridentino Epiſcopo feuda accepit. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

In Forojulio, armis turbato (abſente in Carniolia Henrico Goritiano) ſerio de pace egit Patriarcha cum Rizardo de Camin, traditque Saciletum, in cuſtodiam per quatuor annos, Utinenſibus, ac Civitatenſibus; his aliisque conditionibus Pax coaluit, Litteris ea de re exeunte Julio conſcriptis. *Rubeis pag.* 815. *eas litteras refert.*

1308 Bohemi Henrico Regi ſuo vel fidem jurant, vel id deſignant, ad futuram Coronationem; quæ tamen ſuſcepta non fuit. *Vide Tentam. Geneal. Cap. V. N. XI.* Ad confirmandam Bohemorum fidem erga Henricum, Otto Dux Bavariæ, & Eberhardus Comes de Würtenberg Bohemiam adiere: unde audita Alberti Cæſaris nece abiere. *Ottocarus Horneck pag.* 815. *&c.* A proprio enim nepote Joanne, ſociisque conjuratis die I. Maji confoſſus eſt Albertus, in Helvetos, & Bohemos bellum meditans. *Albertus Argentinenſis, & Henricus Stero ad hunc annum.*

Fridericus Pulcher, Alberti Cæſaris filius, Bohemos primum armis tentat, a quorum parte (teſte *Burglehnero Lib. XIII. Cap. V.* Rex Bohemiæ nominatus eſt. Henrico opem laturus Otto frater, Dux Carinthiæ, Conradum de Auffenſtein in Hungariam miſit: ut Hungaros concitaret, ad invadendam Styriam, præcipue Babanichos Comites: itemque ut nuptias conciliaret inter filiam Ottonis Ducis, & filium Comitis Henrici, fratris Comitis Ybani, ſeu Joannis de Babanich. Verum Auffenſteinium Ulricus de Walſee fruſtratus eſt, itaque repulit Hungaros, ut Auffenſteinius his ſuſpectus eſſet. Walſeanus Victor Græcium rediit die XV. Junii. *Horneck pag.* 817. & 819. *De Comitibus Babanich vide Tentam. Genealog. Cap. IV. N. ultimo.*

Henricus Rex Bohemiæ cum Friderico Duce Auſtriaco ad pacis conditiones deſcendit, quas ita ad annum 1308 exhibet *P. Steyerer Collect. MSta Docum. Tom. V. pag.* 554. *Item Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 420. Imo Fridericus Dux abdicat jus in Bohemiam & Moraviam: Rex vero Duci ſpondet 45000. marcas groſſorum Pragenſium, datis pignoris loco Urbibus, & Caſtris. IIdo Rudolfi, Regis Bohemiæ, Viduæ Eliſabethæ omnia bona, & jura relinquantur: IIItio captivi utrinque liberi ſint- IVto reſtituantur hoc bello ablata partibus ſine Lytro. Similis concordati, reſtitutæque Henrico, atque Ottoni Carinthiæ, & Carnioliæ, meminit quoque *Ano-*

nymus

nymus Leobienſis pag. 897. *Tom. I. Hieron. Pez.* Sed ad annum 1309. quem vide. Henricus, & Albertus Goritienſes cum Conrado Archiepiſcopo Salisburgenſi in quadriennium Fœdus hoc anno pepigere in Urbe Sti Viti, ratione poſſeſſionum in ſuperiore Carinthia. *Repert. Auſtr. Part. II. fol.* 423. *Marcus Hanſizius Tom. II. Germ. ſacr. pag.* 441. *ex Horneck & Chron. Salisburgenſi.* Idem Albertus, & Henricus fratres Goritienſes cum Ottone Duce Carinthiæ tranſigunt, delectis arbitris, de hereditate Gebhardi Comitis de Hirſchberg. *Actum Stœrzingæ anno* 1308. *die VI. Julii in domo Teutonicorum.* P. STEYERER *Collect. MSta Docum. Tom. VI. N.* 28.

Litteræ extant, quibus Albertus IIItius fratri ſuo Henrico bonum quoddam partitionis ſuæ hereditariæ paternæ vendidit. *Datum die X. exeunte Septembri* (id eſt XXI. Septembris) *anno* 1308. Ipſæ Litteræ nomen duntaxat Alberti præferunt, ſed in Sigillo, quod ſolum ſcutum Goritienſe cum impoſita Galea exhibet, diſtincte legitur hæc inſcriptio: *S. Johan. Albert. Comitis Goritiæ junioris* Vidit Cl. ROSENTHALIUS in Tabulario Græcenſi.

In Forojulio hoc anno, præter minuta Caſtellanorum cum Patriarcha diſſidia, quies utcunque obtinuit. *Julianus in Chronico Append. Rubeis pag.* 32.

In electione Regis Romanorum, quæ ſucceſſit XXVII. Novembris, atque in Henricum Comitem Luzenburgenſem deſiit, Henricus Bohemiæ Rex a duobus Candidatis Rudolfo Palatino Rheni, & Henrico Luzenburgico de ſuffragio interpellatus, neutri addicere voluit, ne alterum offenderet. *Anonymus Leobienſis pag.* 894. *Hier. Pez Tom. I.*

1309 Convenerant anno præterlapſo Henricus Rex Bohem. & Fridericus Dux Auſtriæ: ſimilem concordiam inter Fridericum hunc, filium ſuum, & Ottonem Carinthium fratrem ſuum, tentavit Eliſabetha Imperatrix Vidua; effecit ipſa denique, ut anno 1309, die XVI. Martii, Villaci in Carinthia convenirent Principes: Conradus Salisburgenſis, Fridericus D. Auſtriæ, Otto Dux Carinthiæ, Henricus Gurcenſis, & Joannes de Pyslakenvverd Brixinenſis, Epiſcopi: Fridericus Comes de Heunburg, Otto & Meinhardus CC. de Ortenburg, multique nobiles Tyrolenſes, atque Albertus Comes de Gœrz. Attamen nihil effectum eſſe, qui hæc narrat, HORNECKUS *in Chron. pag.* 529. *&c.* adnotavit, idque ea cauſa; quod Fridericus ſuis viribus, Otto potentiæ fratris ſui Henrici R. Bohemiæ, præfideret. ANONYM. LEOBIENS. *ad annum* 1309. Villaci, Eliſabetha urgente, Conventum celebratum refert ab hiſce Principibus; ſed exitum alium, eumque felicem ponit, ſtabilitæ concordiæ, & reſtitutæ Ottoni Carinthiæ, & Carnioliæ, quarum partem Henricus Go-

ri-

ritius pro Auſtriacis occupaverat. Forte ſerius per Legatos & mediatores negotium confectum eſt.

1309 Meminit *Dandulus in Chronico pag.* 410. *Muratorii Tom. XII.* a menſe Martio hujus anni, per menſes ſex, a Venetis pulchro exercitu pugnatum eſſe contra Patriarcham Aquilejæ, & Comitem Goritiæ; tandemque pacem celebratam fuiſſe. Sed Comes Goritiæ paulo ſerius Patriarchæ conciliatus eſt; neque de Venetis *Forojulienſe Chronicon* mentionem facit: niſi fortaſſe in Iſtria ab his turbatum eſt. Verum in Forojulio proceres rurſum in Patriarcham Ottobonum conſpirant. Hic die XIV. Maji in Italiam abiit auxilia quæſiturus, conſtitutis interea procuratoribus. Varia interea bello per Forumjulium geſta, per Rizardum de Camino, Capitaneum Tarviſinorum, & Henricum Comitem Goritiæ, aliosque: varia concordiæ pacta inita. Patriarcha redux die XII. Octobris cum Rizardo Utini concordiam iniit. Die XIII. Novembris Rizardus Caminas Utinum venit, multis Nobilibus ſtipatus, poſtulavitque a Patriarcha, ut Capitaneus Generalis in Forojulio conſtitueretur. Tergiverſante Patriarcha, die XVI. Novembris, Rizardus cum armatis clam Utinum ingreſſus, fortiter repulſus eſt. Tum Patriarcha illuſtrem Comitem Henricum Goritiæ, Capitaneum Generalem Forojulii renunciavit, qui illico plurima loca ipſo menſe Novembri ſeditioſis eripuit. Hæc omnia fuſe Julianus exequitur, *in Chronico Forojulienſi pag.* 33. *&c. in Appendice Rubeis*, qui hoc anno Locuſtarum vim immanem Iſtriæ ac Tulmino incubuiſſe refert.

1310 Albertus, & Henricus fratres, Comites Goritiæ, cautionis litteras tradunt Comiti Ottoni de Ortenburg, ratione ſui vadimonii, præſtiti Comitibus Friderico, & Hermanno de Heünburg, de trecentis Marcis Argenti, ponderis Viennenſis, quas Comes Albertus filiæ ſuæ Eliſabethæ, prædicti Comitis Hermanni Uxori, pro dote pactas nondum perſolverat. *Repertorii Auſtriaci Parte III. fol.* 963.

Oeniponte die XXV. Maji obiit Otto, Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ ſepultus in Stams. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. V. N. IV.*

Decurrente vere, & æſtate, Henricus Goritius, ut Capitaneus Forojulii, & fœderatus Patriarchæ, hoſtes ejusdem profligare pergebat: Montem Falconem diruit, Villaltam, Cavriacum, &, exuſta Neboyſa, Cucaneam cepit, aliaque Rizardi de Camino, & Varnerii de Cucanea, oppida, pagosque aut occupavit, aut deſtruxit. Adfuit Henrico cum ſuppetiis Joannes Babanich, Banus Croatiæ, ipſeque Patriarcha ad exercitum die XX. Maji venerat; quando oblatum ab Henrico Comite hoſtibus prælium iidem declinavere. *Julianus in Chronico pag.* 34. *hæc pluribus narrat.*

Henricus VII. Cæſar prætendebat, Bohemiæ, vero Rege deſtitutæ, ab Imperio eſſe providendum. Itaque Henricum Regem, cedere detrectantem, armis impetiit, qui aliquamdiu ſtrenue ſe defendit. Interea Cæſar filio ſuo Joanni conjugem dedit Eliſabetham Juniorem, Wenceslai IIItii olim Regis ſororem. Ambo ſponſi cum exercitu die Vta Decembris Pragam advenere. Recepto itaque Joanne novo Rege Bohemiæ, Henricus inops Bohemiæ valedixit die XIII. Decembris, per Bavariam in Tyrolim rediturus. *Vide Tentam. Geneal. Cap. V. N. XI. Chronicon Salisburgenſe pag.* 407. *Hieron. Pez Tom. I.* Titulum Regis Bohemiæ, & Poloniæ, ipſumque Ducatum Carinthiæ ſemper retinuit Henricus. *Anonymus Leobienſis Hieron. Pez Tom. I. pag.* 898. *Continuator Martini Poloni, Eccardi Tom. I. pag.* 1437. *Item Diplomata hujus Henrici.*

1311 Idem Henricus Rex, in Bavaria hoſpes, Landishuti, apud Stephanum Ducem, ipſa die novi anni Kiemſenſi Monaſterio privilegium dedit. Signatum: *Anno Chriſti nati* 1311. *Regni noſtri IV.* Nempe a ſecundo Regni ſui initio, anni 1307. Rediit Henricus eodem anno in Tyrolim, & Meraniæ Privilegia confirmavit, olim a Bertholdo Marchione Iſtriæ, & Duce Meraniæ Wilthinenſi Monaſterio data, ubi ſe ſcribit *Bohemiæ & Poloniæ Regem* &c. *Datum in Meranio, anno Domini milleſimo trecenteſimo undecimo, feria tertia proxima ante aſcenſionem Domini* (die XV. Maji) *Regnorum noſtrorum anno quarto. Utrumque Documento ex Burglehnero Lib. XIII. Cap. V.*

Pecunia egens Henricus Rex, eam a Civibus Oenipontanis mutuam accipit, atque ipſis Annæ Uxoris quædam bona, recepto pretio, elocat. *Idem ibidem.*

Novam concordiam inter Henricum Regem Bohemiæ, & Fridericum Ducem Auſtriæ conſtabilivit Eliſabetha, Alberti Cæſaris vidua, fratri, & filio conſultura. *Datum Salisburgi in die Stæ Margarethæ* (id eſt die XX. Julii) *anno* 1311. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 310. *&c.*

In Forojulio Rizardus de Camino, cum fautoribus ſuis, ab Henrico Goritiano in arctum redactus, cum Ottobono Patriarcha de pace tractare cogitur. Silet quidem hac de re Julianus *in Chronico*; ſed Documentum hujus tractatus indicatur in Repertorio Austriaco *Parte II. fol.* 742. De pace re ipſa conſtituta non conſtat; etſi res anni ſequentis Rizardum quieviſſe indicent.

1312 Albertus Comes Goritiæ, filiæ ſuæ Catharinæ loco, conſentit in certam venditionem, qua ab Ulrico de Taufers, genero Alberti, quinque bona emit Nicolaus de Welſperg. *Ex MSto Andreæ Zibock excerpſit Cl. Roſchmannus.* Abbas & Conventus Monaſterii in Stams da-

datis litteris ſpondent ſe celebraturos anniverſarium diem, fundatum ab Henrico Rege Bohemiæ pro defunctis Parentibus, fratribus & ſorore, his memorabilibus verbis: („ Ipſi repromittimus quod „ progenitorum ſuorum Meinhardi, & Eliſabeth, ac fratrum ſuo„ rum Ottonis, Alberti, & Ludovici, & Agnetis ſororis ſuæ an„ niverſarium celebrabimus &c. Datum MCCCXII. die Sti Galli) id eſt die XVI. Octobris. *Ex Collectionibus MStis Genealogicis Roſenthalianis.*

1313 Tarviſinis præerat Guezilus, occiſo anno ſuperiore ejus fratre Rizardo de Camino. *Cortuſii de Novitat. Paduæ Libro I. Cap. XVII. pag.* 16. *&* 17. *Grævii Tom. VI. Parte I.* Henrico Cæſari in Italia degenti refractarios iidem ſe præbuere Tarviſini; hos ut compeſceret Cæſar, Henrico Comiti Goritiæ bello contra eos experiri mandavit. *Anonymus Leobienſis Hieron. Pez Tom. I. ad hunc annum.* Tarviſinorum ſocii Paduani erant, quibus tum Canis Grandis de ſcala inſidiabatur, qui Veronam, & Vicentiam ut Vicarius Imperii obtinebat. Paduani, exuſtis locis aliquibus, menſe Junio redierunt Montagnanam, & timore Henrici Comitis de Goritia (qui Tarviſio minabatur, ſe venturum in auxilium Domini Canis) Paduam ſunt reverſi. Menſe Auguſto primum fugavit hoſtes Goritianus ad Montagnanam: mox eosdem Tarviſinos & Paduanos profligavit, agrumque Tarviſinum evaſtavit. Ne latius proferret Victoriam, lues impediit, quare die XXVIII. Julii ſolutus exercitus finem expeditioni fecit. Tarviſini fidem quidem juraverunt Henrico Cæſari, ſed clam, contra Goritianum, & Canem, cum Paduanis fœdus inſtaurarunt. *Cortuſii ſupra citati Lib. I. Cap. XIX. pag.* 18. *&* 19. *Albertinus Muſſatus Hiſtoria Auguſta Rerum Italicarum pag.* 549. *Muratorii Tom. X.*

Die III. Septembris Anna Henrici Regis Bohemiæ Uxor, filia Wenzeslai IIdi obiit Labaci, primum in Bozen, deinde ad Stamſenſe Monaſterium deducta. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Caput Vtum N. XII.*

Annam conſecuta eſt Eliſabetha filia Meinhardi IVti, Alberti Imi Cæſaris conjux XXVIII. Octobris, ſepulta in Künigsfeld, Monaſterio ſororum Stæ Claræ. Erat hæc fœcunda Mater Auguſtæ Domus Habſpurgo-Auſtriacæ, pacisque conciliandæ ſtudioſiſſima. *Chronicon Stamſenſe pag.* 457. *Hieron. Pez Tom. I. Ibidem Arenpeckius pag.* 1233. *Item Tom. II. pag.* 500. *Necrologium Minoritarum Viennenſium.*

Ottobonus Patriarcha adverſus Henricum Goritianum fœdus pangit cum ejusdem inimicis Paduanis, ac Tarviſinis, ea cauſa: quod Comes occupata, ſuperiore bello, Aquilejenſis Eccleſiæ complura loca ſibi ſervaret. His intellectis Henricus, correptis armis menſe Octobri, Tulminum capit; Caſtrum de Pyris diruit, agris,

præſertim Utinenſium, vaſtitatem infert: Eo demum redigit Patriarcham, ut menſe Novembri duras pacis conditiones inire cogeretur, nempe: Henricus Comes per quinquennium Capitaneus eſto: Jus Tutelæ, omnesque reditus Patriarchatus habeto: Patriarchæ duo millia marcarum, nihilque præterea dator. Hæc omnes, Sacramento Comiti dicto, ſitmarunt, qui Comes Caſtellanorum filios, ut obſides, Goritiam duxit. *Julianus in Chronico pag.* 34. *&* 35.

Henrico Cæſare in Italia mortuo XXV. Septembris, Henricum Goritienſem ſe pro Vicario Imperii geſſiſſe [Nicolaus Burgundus *Hiſtoriæ Bavaricæ Lib. II. pag.* 61. *De morte Henrici Auguſti Albertinus muſſatus Lib. XVI. Rubrica VIII. pag.* 996. *Muratorii Tom. X. Item Henricus Stero, & alii* memorant. Alii ab ipſo Henrico Imperatore Vicarium Tarviſiii conſtitutum putabant; ſed a Friderico pulchro, electo Rege Romanorum, Henricum Goritienſem Tarviſii Vicarium Imperii renunciatum eſſe, certius eſt ex Documento Repertorii Austriaci.

1314 Ottobonus Patriarcha, extortas ab Henrico Goritiano pacis ignominioſæ conditiones non ferens, poſt varias diſceptationes, cum Comite ſequentia pacta, die XIX. Septembris, in pratis inter Ramanzachum, & Grillonum, apud Turrim, inivit: a proximo Feſto purificationis B. V. Mariæ Dominus Comes retineat Caſtra, quæ poſſidet: Dominus Patriarcha vero habeat omnes reditus & proventus, atque Garritum (id eſt, jus protectionis) Dominus Comes Capitaneus eſto ad dies vitæ, cui Patriarcha centum marcas quot menſibus perſolvat. His peractis Comes Henricus eodem die iter inſtituit, cum magno Equitum apparatu, ad Fridericum Ducem Auſtriæ, ut eundem ad Coronam Romanam obtinendam adjuvaret. *Julianus in Chronico Append. Rubeis pag.* 35.

Die XVIII. Octobris in Feſto Sti Lucæ Romanorum Rex a quatuor Electoribus renunciatus eſt Fridericus Dux Auſtriæ, Ludovici Bavari æmulus. Qua de re ita Litteræ ipſæ Electorum, datæ ad futurum Pontificem, notatæ his verbis, in Repertorio Austriaco (,, Futuro Pontifici Rex Bohemiæ Henricus, & Rudol-
,, fus Comes Palatinus Rheni, qui Henrici Archiepiſcopi Colo-
,, nienſis, & Rudolfi Ducis Saxoniæ vices gerit, ſignificant: ab
,, ipſis die ſubſignata Fridericum Ducem Auſtriæ electum eſſe,
,, eundemque acceptaſſe electionem; reliquos Electores cenſuris
,, obnoxios eſſe, & inhabiles. Datum Francofurti die Sti Lucæ
,, anno 1314. *Repert. Auſtr. Parte I. fol.* 13. Eandem diem Sti Lucæ adnotavit *Albertus Argentinenſis pag.* 119. *Urſtiſii Parte II.* Deferendos itaque ſentio, qui Electionis Friderici diem XIX. Octobris ponunt. Fridericus Auſtriacus Bonnam ad Coronationem tendens, exercitum interea Henrico Bohemiæ Regi, & Comiti Goritiæ commi-

miſit; ſed hi fugere coacti, caſtris deſertis, & cum fame conflictantes ægre domum reverſi ſunt. *Albertus Argentinenſis ibidem. Julianus in Chronico pag.* 35. *Burglehner Lib. XIII. Cap V.*

Henricus Comes Goritiæ Marchiæ Tarviſinæ, vice Imperii, præficitur a Friderico Pulchro, electo Rege. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 726. Sed idem narrant *Cortuſii de Novitatibus Paduæ Lib. II. Cap. IV. pag.* 26. *Grævii Tom. VI. Parte I.* factum anno 1318. petitione Tarviſinorum, quos Canis magnus obſidione preſſerat. Videtur prima deſignatio hujus Vicariatus anno 1314. facta; anno vero 1318. Tarviſinorum petitione effectui data fuiſſe.

A Rudolfo Imo Comite Palatino Rheni hoc anno actum eſt, de matrimonio, inter filiam ipſius Matthildem, & Meinhardum VItum, Henrici IIdi Goritienſis filium. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. VI.*

1315 Ottobonus Patriarcha die XIII. Januarii vitam finiit *Rubeis p.* 834. Mox in Comitiis, in Civitate Auſtriæ celebratis, Henricus Goritianus Capitaneus Generalis Forojulii eligitur. Adverſus eum conjurant nonnulli Procerum die XVI. Maji Utini: Udalricus de Cucanea, Capitaneus Utinenſium factus: Artuinus de Prambergo, Capitaneus Clemonæ: Item Nobiles de Villalta de Suſans, de Colloreto, de Mels, & alii. Artuinus Arteniam, & Buyam Henrico Comiti eripuit. Sed hic illico armis ſeditioſos compeſcuit: Clemonenſium & Utinenſium, agri vaſtati: Caſtra de Suſans & Colloreto diruta, Buya, & Moruſium recepta. Victor Henricus Comes die XXIX. Auguſti Pacem dat Utinenſibus, Clemonenſibus, & Caſtellanis, cujus conditiones non adnotantur. Pœnam Capitis ſumſit Henricus Comes de Guilielmo Galengano, reliquis conjuratis, quos bello ceperat, Goritiam ductis. Denique idem Civitatenſes, iterum aliquid tumultuantes, autoritate ſua compoſuit. *Julianus in Chronico, Appendice Rubeis pag.* 36. *& apud Muratorium Tom. XXIV. pag.* 1226.

Die XXIV. Februarii contractus emptionis & venditionis conſtitutus eſt inter Henricum Regem Bohemiæ, & Conradum Comitem de Kyrchperch ſuper Caſtro Taufers. Die XXX. Martii his pactis ſubſcripſerunt Hugo, & Conradus junior, Comites de Kyrchperch. *Collection. Genealog. Roſenthaliana MSt. vide Tentaminis Genealogici Cap. V. N. XVII.*

Henricus Bohemiæ Rex Conrado Kügler, & fratri ejus Eberlin, ad expungenda contracta nomina aſſignat DC. Marcas Monetæ Pernenſis ex Coquina ſalis, aliisque bonis. *Actum Hallæ* 1315. *die Martis ante diem Sti Viti*, id eſt decima Junii. *Burglehner Lib. III. Cap. III.*

Ludovicus Bavarus, Romanorum Rex, compromittit in tres perſonas, circa negotium, quod cum Henrico, Duce Carinthiæ, habet conficiendum. *Datum in Wolfratshauſen, Prid. Kal. Novemb.* (XXXI. Octobris) *Regni ſui anno ſecundo, Chriſti vero* 1315. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 9. *item P. Steyerer Collectio Document. MS. Tom. VI. N.* 25. Nec Arbitri nominantur, nec negotii materia; Ludovicus Henricum non appellat Regem Bohemiæ, quia Joannem ut talem agnovit, a quo Rex electus fuerat.

1316 Henricus Comes Goritiæ, & Dominus Guercerius, ſeu Guezilus, de Camino Veronam prius die XXIX. Octobris, deinde cum Cane grandi, Vicentiam conceſſit, ubi Nuptiæ conciliatæ ſunt inter filium Caminatis, & filiam Alburgi della Scala, Vividam vel Viridam dictam. His peractis Comites domum rediere. *Supplementum ad Hiſtor. Cortuſior. pag.* 7. *Grævii Tom. VI. Parte I.*

Fridericus & Hermannus Comites de Heunburg obligant ſe dilectæ ſorori ſuæ Eliſabethæ, uxori ejusdem Hermanni, filiæ Alberti Comitis de Gœrz, de perſolvendis uſque ad proximam Pentecoſten reliquis debitis ſecundum pacta antidotalitia. Teſtes: nobilis Comes Henricus de Gœrz, Comes Ulricus de Pfannenberch, & alii. *Datum Spittal infra Ortenburch anno* 1316. *die S. Gregorii in quadrageſima, ſeu XII. Martii. Collect. MS. Geneal. Roſenthal.*

Joannes XXII. Pontifex Patriarcham Aquilejæ die ultima Decembris renunciat Caſtonum Turrianum, Affinem Henrici Goritienſis, rejecto Gilone, electo Patriarcha. *Rubeis pag.* 841. & 42. *ex Epiſtolis Caſtoni.*

Henricus Comes, cum filio ſuo Meinhardo, promittunt ſe portum Naonis ceſſuros Friderico Auſtrio, & fratribus ejus, ſi eum locum redemerint 1874. Marcis Argenti puri, ac vadimonium ſtiterint. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 727.

Comes Joannes Babanich Friderico Romanorum Regi fidelitatem, & ſervitutem promittit, contra quoscunque, exceptis Mladino Duce Croatiæ, Henrico Comite Goritiæ, Stephano Babanich Bano, & Ladislao Babanich, Comitibus, & fratribus ſuis. *Repertorium Auſtriacum Parte I, duplex Documentum folio* 1202 & 1207. *item Collectio Documentorum MSta P. Steyerer Tom. V. pag.* 147.

1317 Cum Patriarcha Caſtono Pacem, ac Fœdus, cum deceſſore Ottobono factum, conſtabilivit Henricus Comes, variaque Caſtella Aquilejenſi Eccleſiæ reſtituit; attamen Raymundo Turriano, Patrarchæ fratri, Caſtellum Turris reſtituere, uti receperat, detrectavit. *Rubeis pag.* 842. *&c. ex Litteris Patriarchæ ad Beatricem, Henrici Goritiani uxorem.* Hujus conventionis meminit quoque REPERTORIUM

RIUM AUSTRIACUM his verbis: („ Confirmatio concordiæ, factæ a „ Patriarcha Caſtone, cum Henrico Comite Goritiæ, in qua Hen„ rici Comitis filio (Meinhardo) Patriarcha aliquam pecuniæ ſum„ mam, ſe ſoluturum promittit, poſtquam Caſtella, & urbes Fo„ rojulii reſtituta fuerint. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 749.

Adverſum Paduanos Cani Scaligero, petenti, trecentos equites ſuppetias adduxit Henricus Goritianus, de quo ita CORTUSIORUM SUPPLEMENTUM: („ Exivit Dominus Canis Grandis de Verona Chri„ ſti nomine invocato die Martis XX. Decembris 1317. - - - - - „ exivit etiam eodem die in hora veſpertina Dominus Ugutio „ della Fagiola: Comes Goritiæ cum trecentis elmis, quem ad ſe „ vocaverat Dominus Canis. Hi cepere Montem Silicem, Mon„ tagnanam, aliaque loca. *Cortuſiorum Supplementum pag.* 12. *&c. Græ„ vii Tom. VI. Parte I.*

1318 Caſtonus Patriarcha Florentiæ die XX. Auguſti extinctus eſt, cum equo, cui inſidebat, collapſus. Patriarchæ electionem ſtitit, ſibique reſervavit Joannes XXII. edita conſtitutione die IV. Septembris. *Rubeis ex Chronico Juliani & Aquilejenſi pag.* 844. Comites, Henricus & Meinhardus de Goritia, cautionis litteras dant, de pignore, quod ipſis dedit frater, & Patruelis ipſorum Comes Albertus Goritienſis. *Datum die Martis poſt diem Stæ Gertrudis:* id eſt XV. Novembris: *Anno* 1318. *Collectanea Manuſcripta Genealogica Roſenthaliana.*

Henricum Carinthium, Regem Bohemiæ, totis viribus adſtitiſſe Regi Friderico Auſtriaco, & idcirco pecunia egentem officinam monetariam Meraniæ Civibus quibusdam ibidem ad triennium elocaſſe, teſtatur *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

De Tarviſinorum rebus (qui hoc anno Guezeli Caminatis, Vicarii ſui Dominio per ſeditionem ſe liberarunt) placuit uti verbis CORTUSIORUM, quæ ita habent, relata antea obſidione Tarviſii, ſuſcepta a Cane Veronenſi, ad diem primam Octobris: („ Intrinſeci „ Tarviſini, ſcilicet Rambaldus Comes, Guezilus Avocatus, fratres „ Artuici prædicti, Altinerius de Azonibus, & alii Nobiles de Tar„ viſio, propter oppreſſionem, quam ſuſtinebant a Domino Cane, „ qui extra civitatem omnia pacifice poſſidebat, conſuluerunt recur„ rere ad majorem, & ſuos ſolemnes Ambaſſiatores miſerunt ad „ Ducem Auſtriæ, ſe dicentem Romanorum Regem (Fridericum) „ qui offerens auxilium ſtatim in Tarviſio Comitem Goritiæ con„ ſtituit ſuum Vicarium, qui cum ſuis Theutonicis magnifice ver„ ſus Tarviſium equitavit. Hoc viſo Dominus Canis cogitavit ha„ bere pacem cum Comite de Goritia. Unde ſtatim inſimul con„ venerunt, paxque convenit. Dominus Guezilus de Camino de „ obſidione Conigliani receſſit, & gens Comitis ivit in Caſtrum.

Co-

1319 „ Comes vero cum magno gaudio fuit receptus, & civitas ab obſi-
„ dione extitit liberata in MCCCXIX. menſe Junii. *Cortuſii fratres Lib. II. Cap. IV. pag.* 27. *Grævii Tom. VI. Part. I. ſimilia habet ſupplementum Cortuſiorum a pag.* 7. *ad* 12. *De Tarviſiorum ſeditione Albertinus Muſſatus Hiſtor. Auguſtæ Lib. X. Rubr. I. pag.* 484. *&c.*

De rebus in Italia geſtis ita porro CORTUSII: („ Dominus Jaco-
„ bus (Major de Carraria, æmulus Canis) ſecreto miſit Tarviſium ſuos
„ legatos, offerens Baſſianum, Cittadellam, & florenos - - - Co-
„ miti de Goritia, ut Paduæ ſubveniret. Ipſe vero ſagax hoc re-
„ tulit Domino Cani, habitoque tractatu recepit a Domino Cane
„ Aſolum, & Montembellunam, Caſtra Tarviſini diſtrictus:
„ pro ſe vero tenuit Caſtrum de Noale. His Caſtris redditis Co-
„ mes Goritiæ fingens ſe Domini Canis amicum, litteras miſit,
„ continentes: Nos Comes Goritiæ a Duce Auſtriæ recepimus in
„ mandatis, quod receptis Caſtris noſtris a Domino Cane, fideli
„ ſacri Imperii, debemus ei præſtare auxilium, & favorem, quare
„ vos, & veſtra mittimus diffidando. His verbis auditis die ſexto
„ Octobris, Dominus Jacobus comburi juſſit Vigontiam, Peragam,
„ & multas alias Villas, timens adventum Comitis de Goritia. Ait
„ tamen: tot, & talia munera promittemus, quod Comes omnino
„ venire in noſtrum auxilium non deſiſtet. Secrete procurabat au-
„ xilio Comitis Goritiæ ſe defendere, ſuadentibus Paduanis, qui a
„ Comite habuit hoc reſponſum: quod eum habere poterat defenſo-
„ rem ſi Paduam eidem conſignabat, recipienti nomine Ducis Auſtriæ,
„ Regis Romanorum, qui aſſerebat pro certo Dominum Canem
„ de Campo fugare - - - - quæ omnia Conſilio Paduæ placuerunt.
„ Electus itaque fuit Syndicus Aleardus de Buſiliis, qui dedit Do-
„ minium Paduæ Comiti de Goritia, recipienti nomine Ducis Au-
„ ſtriæ. Qui ſtatim alacriter aeceptavit, & juravit, ſe eximere Ca-
„ ſtra prædicta, & Paduanorum diſtrictum de manibus cujuslibet
„ illiciti detentoris. Fuerunt hæc MCCCXIX. die IV. Novembris.
„ Goritiæ Comes ſimulans ſe amicum Domini Canis de Verona,
„ miſit ad Caſtrum Baſſanelli Centum milites Theotonicos, quo-
„ quorum centurioni ſecrete mandavit, ut viſo vexillo rubro, ſu-
„ pra mœnia Civitatis, ſciret pro certo ipſum fore in concordia cum
„ Paduanis.) Ea res aut Cani prodita, aut ipſi ſuſpicionem mo-
vens, effecit, ut Canis, viſo rubro vexillo, milites Goritienſes
exarmaret, qui alioqui ad capiendum ipſum Canem adveniſſe dice-
bantur. *Iidem Cortuſii Lib. II. Cap. VIII. IX. & X. a pag.* 29. *ad* 31. *Fuſe hæc narrat Albertinus Muſſatus Lib. VIII. & IX. a pag.* 681. *ad* 700. *Muratorii Tom. X.*

Pa-

Paganus Turrianus, antea Paduæ Epiſcopus, Guelficæ factionis, a Joanne XXII. Papa, Patriarcha conſtituitur. *Rubeis pag.* 846. Sub eo civitas Pola in Iſtria, & Inquilini de Valle, ſe ultro Venetis ſubjecere. Patriarcha exercitum quidem congregavit, ut hæc loca reciperet: ſed viribus impar ceſſit, pactis ſuper ea re initis. *Dandulus in Chronico pag.* 415. *Muratorii Tom. XII.*

Interea Henricus Carinthius Oenipontano Ptochotrophio, ab ſe fundato, annuas XII. vecturas ſalis conceſſit. *Datum Oeniponte* 1319. *Indictione II. die S. Jacobi* ſeu die XV. Julii. *Buglehner Lib. III. Cap. III.* Ejusdem Henrici Regis, ac Ducis, Aulæ Præfectus, itidem Henricus, & Sigefridus de Rotenburg, Wernherus de Toblac, & Henricus de Auffenſtein, cautionis litteras tradunt prædicto Regi Henrico, & Alberto IIItio Comiti de de Gœrz, pro Domino Herdegen de Pettau; ſi is uxori ſuæ Claræ, natæ de Gœrz, intra annum non aſſignaverit CCCC. Argenti Marcas, ſecundum tenorem ſubſcriptionis ſuæ. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 589. Similes litteras cautionis die XX. Auguſti dedit Otto de Liechtenſtein. *Vide Tentam. Geneal. Cap. IV. N. XIV.*

1320 Sub finem anni præcedentis, & ſub initium hujus 1320. cum Henricus Comes Goritiæ Tutator, & Dux a Paduanis eligeretur, eisdemque cum mille equitibus auxilium adferre properaret; advenere interea Legati Regis Bohemiæ Henrici Carinthii, & Ulricus de Walſee, Capitaneus Styriæ, tractatumque fuit de pace, in Urbe Tarviſina. Pactæ ſunt induciæ cum Cane: Jacobus Carrarienſis Principatu Paduæ cedit: Canis cum exercitu Vicentiam redit: Goritiæ Comes, (qui interea, de pace ſtabilienda, ad Regem Fridericum Auſtrium, & Henricum Carinthium profectus erat) miſſis mandatis copias ſuas dimittit: denique Ulricus de Walſee pro Vicario Imperii, & Friderici Cæſaris, Paduæ die III. Januarii recipitur. *Cortuſii Cap. X. & XI. pag.* 33. *&* 34. *Supplementum Cortuſiorum pag.* 18.

Catharinam Alberti IIItii Comitis Goritiæ filiam Ulrico Walſee deſponſatam eſſe, pactis initis die IVta Februarii, & XXIVta Aprilis: diximus Tentam. Geneal. *Cap. IV. Num. XIV.*

Fridericus Cæſar litteris datis tam ad Paduanos, quam ad Canem, Vicarium Veronenſem, inducias proferri jubet uſque ad octavam Paſchæ. Sed Canis, his inſuper habitis, Caſtella Aſcoli, & Montisbellunæ, quæ Goritiano dederat, per Guezilum de Camino, & Chechinum della ſcala, Nepotem ſuum, armata manu recepit, Paduamque obſedit. Imploravere illico menſe Martio Paduani opem Friderici Auſtriaci, & Henricorum Carinthii, & Goritiani, atque Ulrici de Walſee; ſed Friderico in bello Bavarico Henrici duo operam dabant. Interea Canis, cum exulibus Paduanis, in eam

Urbem irrumpit, aſt cum clade repellitur die IIItia Junii. Subinde ab extrema deducti Paduani, attamen Cani ſe tradere detrectantes, ab advolante Henrico Goritiano, & Ulrico de Walſee, octingentorum equitum ſubſidium intra urbem recepere die XXV. Auguſti. Poſtridie eruptione facta, Canem in fugam avertunt, ejus Caſtellum ad Paduam ſolo æquant, atque Eſtenſem regionem populationibus devaſtant; ſed Montem Silicem fruſtra oppugnant *Cortuſii a Cap. XI. ad XIX. a pag. 31. ad 38.*

Fridericus Cæſar, conſenſu Leopoldi, & Henrici fratrum, Vicariatum Tarviſii, antea collatum Henrico Goritiano, *certis pactis* ampliaſſe videtur. Nam in REPERTORIO AUSTRIACO hæc verba lego: („ Dux Leopoldus, & Henricus de Auſtria conſentiunt contractui „ quem ipſorum frater Rex Fridericus fecit cum Comite Goritiæ „ Henrico, propter Tarviſium. Datum 1320.) *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 83. Titulum *Vicarii Generalis*, in Marchia Tarviſina, Fridericus videtur Henrico Comiti confirmaſſe, vel primo dediſſe; quippe qui anno 1322. eo titulo inſignis certo compareat, ut ad eum annum dicetur.

Adelheid, ſecunda Uxor Henrici Regis Bohemiæ, filia Henrici Brunsvvicenſis, die XVIII. Auguſti moritur, condita in Stams. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. V. N. XIII.*

Henricus IIdus Comes Goritiæ datis litteris die VIII. Octobris teſtatur: ſe a Friderico inſtructore fratris ſui Comitis Alberti filii, accepiſſe viginti Marcas Schillingorum. Verba Germanica ſunt, *von Friezlein, unſers pruder ſun graven Albrecht Maitzogen &c.* de hoc vocabulo vide HIER. PEZ *Gloſſar. ad Ottocarum Horneck.*

1321 Fractus anno ſuperiore Canis grandis, compulſus eſt ad ſolidam ineundam pacem inter ſe, & Paduanos, Comitemque Goritiæ. Ea pax procurante Walſeano, exeunte Januario, vel Februario ineunte, coaluit, his conditionibus: Pax perpetua eſto, cum plena amneſtia injuriarum: Caſtellum Citadellæ Canis reſtituito Domino de Walſee, & Paduanis: Bona Paduanorum, Vicentino, & Veronenſi in agro ſita, idem Canis reddito: Captivi utrinque liberi ſunto: Monſilice, Turris paſſus de Eſte, Montagnana, & Caſtrobaldo Cani permittuntor: Viæ, & Portus utrinque aperti ſunto: de Paduanis exulibus Fridericus Rex decidito. Hæc pacta jure jurando firmata ſunt, dictata violatoribus Pœna X. Millium Marcarum. Secretis præterea pactis convenit: ut Comes Goritiæ Cani reſtitueret Baſſanum, Aſcolum, & Montem Bellunæ; ſi quid porro dubii emergeret, Fridericus Rex arbitrio diſſolveret. Menſe Julio Paduani, adverſum exules ſuos jure acturi, ad Fridericum Regem Legatos miſere, quos inter Albertinus Muſſatus fuit, Poëta, & Hiſto-

ſtoricus multa laude præſtans. Deniqae Vta Septembris Fridericus Cæſar Henricum Carinthium Vicarium Imperii apud Paduanos conſtituit; ſed is inſra Regiam dignationem ſuam id eſſe ratus, abnuit primum, tum Paduanorum precibus id dedit, ut Conradum de Auffenſtein ſui loco cum ducentis equitibus Paduam mitteret. *Cortuſii fratres Lib. II. Cap. XX. & Lib. III. Cap. I. a pag.* 38. *ad* 39. *Grævii Tom. VI. Parte I.*)(*Anonymus Leobienſis ad annum* 1319. *quædam narrat, quæ huc referenda ſunt.*

Pacis gaudia nuptiali Feſto cumulavit Henricus Goritianus, qui, mortua poſt annum 1317. Beatrice Caminate, alteram hoc anno uxorem delegit, item Beatricem, Stephani Ducis Bavariæ filiam. Præter allata TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. VII.* idem nos docet *Repertorium Auſtriacum Part. III. fol.* 560. ubi recenſentur litteræ Henrici, Comitis Goritiæ, Vicarii Imperii in Tarviſio, de conſtituendo Matrimonio inter ipſum, & Beatricem, Henrici, & Ottonis, Ducum Bavariæ ſororem, cum IIIbus millibus Marcarum dotis, & VI. Millibus Contradotis: conſtitutis Fidejuſſoribus. *Datum Villaci anno* 1321.

1322 Plenum Henrici Goritiani titulum, e Documento publico ita paucis refert: *Cl. P. Rubeis pag.* 847. („ Milleſimo trecenteſimo vigeſi-
„ mo ſecundo de menſe Februarii die ſeptimo - - - - - - -
„ Illuſtris D. Enrichus Comes Goritiæ, Tirollis, Confalonerius
„ Domorum Aquilejenſis Eccleſiæ, de Trento, Brixen; Vicarius
„ Tarviſii ex parte Romanorum Regis, Vicarius Generalis - - -

Eidem Henrico ex Beatrice Bavara, die XX. Februarii, natus eſt Joannes Henricus, qui interdum Joannes tantum appellatur. *Cortuſii Lib. III. Cap. II. pag.* 40. *Tom. VI. Grævii Parte I. ad annum* 1323. *quo Joannem Henricum anniculum vocant. Burglehner Lib. XIII. Cap. VI. diem nativitatis adnotavit.*

Paduæ rurſum tumultuatum eſt, inſtinctu Canis Grandis, qui inter turbas Dominium Paduæ piſcabatur. Miſſæ a Rege Bohemiæ Henrico copiæ, Paduanos utcunque ſedaverunt; dum denique opera Paulini Minoritæ de Pace ſerio tractaretur, quæ anno ſequente 1323. confecta eſt, Exulibus in integrum reſtitutis. Ea pax ab Henrico confirmata eſt. *Cortuſii fratres Lib. III. Cap. II. pag.* 39. *&* 40. *Grævii Tom. VI. Parte I.*

Fridericus Auſtriacus, Rex Rom. a Ludovico æmulo, die XXVIII. Septembris ad Mihldorfium prælio victus, captusque eſt, cui Goritienſes fidelem ſemper operam præſtiterant. *Anonymus Coævus de prælio inter Fridericum & Ludovicum Hieronymi Pez Tom. I. p.* 1003. *Albertus Argentinenſis pag.* 122. *Anonymus Leobienſis pag.* 921. *&c.*

1323 Tarviſii, die XXIV. Aprilis, ſub veſperam, diem extremum claudauſit Henricus Ildus, Comes Goritiæ, bellica virtute clarus. De hoc obitu egimus TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. IV.* Poſthumas hujus Henrici laudes ſequente elogio executus eſt *Joannes de Ravenna, apud Albertinum Muſſatum pag.* 482. *Muratorii Tom. X.* („ Hac „ ætate ita claruit Princeps Magnificus, Goritiæ Comes, qui oram „ quoque Tarviſinam ſuo adjecit Imperio. Cum Aulæ, rerumque „ Procuratores impenſis, quarum profuſiſſimus erat, parcere, at„ que ob id quamplurimis, ſtipe aulica militantibus, ſubducere „ ſtipendia, dimiſſosque facere, ut quorum uſui ſupereſſet opera, „ perſuadere niterentur; auguſtiſſima illa voce, tamquam alio digna „ ſpiritu, avaros, crudelesque ſuggeſtus confutavit: itane tandem, „ ait, exquiſite conſideraſtis, exploratumque tenetis, eorum me „ opera non egere? Reddentibus ultro: egregie ſine his eſſe poſſe. „ Animadvertite, inquit, preſſiusque animo volvite, num æque ſi„ ne me ipſi eſſe queant? &, ſi ego eorum opera non egeo, an „ egeant ope mea?

Mortuo Henrico Ildo, filius ejus Joannes Henricus, unius anni puer, a Tarviſinis, Imperii Vicarius agnoſcitur. *Cortuſii de Novit. Paduæ Lib. III. Cap. II. pag.* 40. *Grævii Tom. VI. Part. I.* qua de re ita *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 693. („ Prolixum Documen„ tum, quo Civitas Tarviſina Joannem Henricum Comitem de „ Gœrz, poſt obitum Patris ſui Comitis Henrici, recipit tanquam „ Vicarium Urbis, & Regionis Tarviſinæ, nomine Cæſareæ Ma„ jeſtatis. Præterea Domino Hugoni de Tubain defertur adminiſtratio Vicariatus, præſtito jurejurando, loco dicti Comitis Joannis Henrici. Denique commune Tarviſinorum decernit, Lega„ tos mittendos ad Comitiſſam Beatricem, qui eidem de conjugis ſui „ Comitis Henrici obitu condoleant. Anno 1323.)

Tutela parvuli Joannis Henrici, delata eſt Henrico Carinthio, Patrueli; Alteri patrueli Alberto IIItio Comiti Goritiæ commiſſum eſt regimen terrarum, hominumque Joannis Henrici. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 560. verba ſunt ſequentia: („ Comes Al„ bertus de Gœrz promittit Henrico Regi Bohemiæ, tamquam Tu„ tori filii Comitis Henrici, ſe curaturum homines, & bona prædi„ cti filii Henrici Comitis, bona fide, & e ſententia ejusdem Tuto„ ris. Anno 1323.)

Joanni Henrico Comiti (recipiente Tutore ejus) promittit Fridericus Ciprianer conſenſurum ſe redemptioni ſuperioritatis, & Præfecturæ Pagorum Cuſſignano Predemo, & Torenzano, quos ipſi Comes Henricus pignori dedit, & feudi titulo contulit. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 436.

Ba-

Babanichii Comites, Goritienſium Amici, nempe Joannes Banus Croatiæ, fratresque ejus, & Conſanguinei, a Carolo Roberto Rege Hungariæ alienati, cum Venetis, & Urbibus Maritimis Dalmatiæ, fœdus ineunt. *Lucius de Regno Dalmatiæ & Croatiæ Lib. IV. Cap. XV. pag.* 216.

1324 De ſponſalibus duplicibus ſequentia adnotavit Doctiſſimus *P. Steyerer: Collectanea Manuſcripta Tom. VI. N.* 40. & 30. („ Procuratorium ad „ contrahenda ſponſalia conceſſum ab Joanne Rege Bohemiæ, inter „ Henricum Ducem Carinthiæ, & Beatricem cognatam ſuam (fi„ liam Amadei Sabaudi) filiam ſororis Henrici VIImi Patris ſui. „ Item ad conrrahenda alia ſponſalia inter unam ex filiabus Ducis „ Carinthiæ Henrici, & filiorum ſuorum aliquem. *Datum in Lu„ cilburck VII. Kalend. Maji* (24. Aprilis) *anno* 1324.) Ibidem habentur: pacta nuptialia Joannis Regis Bohemiæ &c. cum Henrico Duce Carinthiæ &c. ut traderetur huic in Matrimonium Beatrix, nata ex familia Brabantina, & de Luzelburch, neptis, ſeu cognata regis Joannis. Promittit Rex dictus 10000. marcarum argenti, monetæ Pragenſis: item alia 20000. marcarum per modum Dotis, adhuc reſtantis, Annæ defunctæ, Henrici Ducis conjugi, & Regis Joannis ſorori (conjugis ſorori) ſic, ut ad Feſtum Sti Michaelis 5000. marcæ, donec tota ſumma perſolvatur, expectandæ ſint. Secundo promittit ſe daturum filiæ Henrici, quæ filium ſuum ductura eſſet, 10000. marcarum argenti in poſſeſſionibus Moraviæ: Morgengeba autem filiæ ſit 20000. marcarum; neque ab Henrico Carinthio porro prætenſio in Regnum Bohemiæ fiat. Tertio promittit: filio ſuo ſe daturum in anteceſſum Moraviam, cum omnibus juribus, etiam auri, & argenti Fodinis, eo pertinentibus, etiam Provinciam Troppavienſem, Glacenſem, & Budiſchin, cum omnibus juribus. *Actum in Muntzilles anno* 1324. *feria ſecunda poſt Feſt. S. S. Petri & Pauli.* Id eſt die II. Julii. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. V. N. XIII.* ubi etiam meminimus fundati diei Anniverſarii obitus Adelheidis, ſecundæ conjugis Henrici, celebrandi in Wilthinenſi Monaſterio ad diem XXVI. Auguſti. *Datum in Tyrol XV. Januarii anno* 1324. *Indictione VII.* P. STEYERER *ibidem N.* 43.

Henricus Carinthius, cum Ottone Duce Auſtriæ, Forumjulium invadunt, armis etiam vindicaturi, quæ vel ad Pupillum Joannem Henricum, vel ad ſe pertinere credebant. *P. Rubeis pag.* 848. *ex Chronico Juliani.* Inde Paduam movere Duces. Paduani enim interiores de exterioribus querebantur, hos pace, & pactis non ſtare. Itaque incitaverunt Carinthiæ Ducem Henricum, ut ipſe Paduam veniret. Advenit die XXI. Junii, cum Ottone Duce Auſtriæ, & Ulrico de Walſee. Sed cum Germani milites ob vexationes quasdam exoſi

eſſent Paduanis, ac nonnulli occiderentur; caſtigati idcirco ab Henrico Duce Paduani, Canem ſibi potius Dominum optabant. Henricus Dux, & Paduani die XXVI. Julii cum Cane conveniunt de induciis usque ad Nativitatem Chriſti. Denique rediens domum Carinthius, Comitem de Falimberg Capitaneum Paduæ reliquit. Cortusii *de Novitat. Paduæ Lib. III. Cap. IV. pag.* 41. 42. 43.

Comes Wilhelmus de Schaumburg, conſenſu Patris ſui Conradi, ſorori ſuæ, & Socero ac Affini ſuo, utrique Alberto Comiti Goritiæ, ſe ſoluturum ſpondet 2000. marcarum argenti. *Datum apud Sanctum Vitum anno* 1324. *die XX. Novembris.* Ita *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 60. *Vide Tentam. Genealog. Cap. IV. N. XIII.* Nempe Albertus IIItius Eliſabethæ Pater, ſocer erat Wilhelmi Schaumburgii, ejusdemque Affinis Albertus IVtus. Vide *Tabulam Genealogicam III.*

Pro eodem Wilhelmo Schaumburgio, de ſolvendis 2000. marcis argenti vadimonium præſtat Comes Ulricus de Pfannenberg, directum ad Henricum Regem Bohemiæ, & ambos Comites Albertos de Görz. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 652.

1325 Ludovicus Imperator Fridericum Auſtriacum æmulum Imperii libertati reſtituit. Res cœpta eſt in Trausniz die Sti Georgii, ſeu $\frac{2}{3}\frac{4}{7}$ Aprilis; permiſſa eſt denique die V. Septembris certis pactis Friderico communio Imperii. Ita quidem Diplomata, & Autores Synchroni *Diploma concordiæ datum die V. Septembris, referunt Lunig parte ſpeciali ſectione I. pag.* 2. *Item du Mont Tom. I. Parte II. pag.* 80. *& ante hos Cuſpinianus, & Fuggerus. Accedunt varia Diplomata a Friderico deinde ut Imperatore data, quæ vide apud Baumannum Parte III. & in Chronico noſtro. Synchroni Autores Petrus Abbas in Chronico Aulæ Regiæ Cap. XV. pag.* 48. *Freheri ſcript. Bohem. Item Autor Anonymus apud Hieron. Pez Tom. I. pag.* 1003. Id nonnulli negant, propterea, quod priores conditiones duriores multo Ludovicus poſuiſſet: a quibus tamen deceſſit, veritus & Pontificis iras, & Leopoldi Auſtriaci machinas, qui etiam cum Gallorum Rege fœdus percuſſerat, ut fratrem liberaret. *Gerardus de Roo Hiſtoriæ Auſtriacæ pag.* 86 præterea meminit: Henricos duos Carinthium, & Goritianum, plurimum momenti ad hanc concordiam contuliſſe. Sed de Henrico Goritiano erravit; nullus enim Henricus Comes Goritiæ ea ætate tum fuit, qua pacis conciliatorem agere poſſet.

Henricus Catinthius Hoſpitali Brixinenſi in inſula ſuburbana, ſex vecturas ſalis: Monaſterio vero, & Conventui B. V. Mariæ in ſilva Nons, quinque vecturas concedit. *Datum Oeniponte* 23. *Maji anno* 1325. *Indictione octava. Burglehner Lib. III. Cap. III.*

Sy-

Synopſes duorum Diplomatum nos docent: Beatricem quoque Tutelam filii ſui Joannis Henrici, cum Henrico Carinthio, exercuiſſe. Prior ita habet, ab Excellentiss. Com. Attemsio communicata: („ Beatrix Mater & Tutrix Joannis Henrici, Vicarii Imperia„ lis Tarviſii, die V. Auguſti anno 1325. concedit quædam feuda „ Henrico de Orzono, ob fidelia ſervitia ab eodem ſibi, & olim „ marito ſuo, præſtita.) Altera ita habet: („ Beatrix, Joannis „ Henrici mater, & Tutrix ejusdem, Jacobo de Michelsburg cu„ randum committit Caſtrum Aſula, Tarviſini diſtrictus. Anno „ 1325. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 534.

Henricus Rex Bohemiæ &c. promittit Joanni Henrico, pupillo ſuo, Comiti Goritiæ: ſe poſt octo annos ipſi reſtituturum omnes Provincias, & homines, ſeu ſubditos, Goritiæ. *Datum Tarviſii anno* 1325. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 319. Idem Henricus Beatrici viduæ, dotis reliqua, & Morgengebæ, nempe 3000. marcas Schillingorum aſſignat. *Datum ad Griez anno* 1325. *die Lunæ poſt Feſtum omnium Sanctorum:* die IV. Novembris.

Idem Henricus Tutor pro Parochia Goritiæ præſentat Ulricum a Waldenberg. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 500.

Alberto IIItio Comiti de Gœrz Wolkerus de Rotenſtein ſpondet: ſe nunquam deinceps contra Goritiam quidquam acturum: atque id occaſione captivitatis, in quam duxerat Jacobum, Comitis ſcribam. *Idem ibidem fol.* 671.

Comes Wilhelmus de Schauenburg, & uxor ipſius Eliſabetha, nata de Gœrz (Alberti IIItii filia) oppignorant Petro de Liebenberg Caſtellum Trüchſen, anno 1325. *Repertorii Parte III. fol.* 1066.

1326 Henricus Carinthius fundat Carthuſiam in Schnals Diœceſis Curienſis, ſub nomine montis omnium Angelorum, atque ſtatuit: ut prior illius Carthuſiæ ſemper ſit Cappellanus hereditarius Comitum Tyrolis. *Datum in Tyrol anno Domini* 1326. *XXV. Januarii. Iuditione IX. Burglehner Lib. XIII. Cap. V.* Item Henricus, Tutor Joannis Henrici, confirmat, quod Beatrix Comitiſſa Goritiæ, prædicti Joannis Henrici mater, præſentaverit pro Parochia Salcani D. Rizardum Goritienſem anno 1326. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 504.

Albertus Dux Auſtriæ, & Styriæ, litteras dat, de pactis nuptialibus inter Henricum Regem Bohemiæ, & Ducem Carinthiæ, ac Beatricem, Mariæ Comitiſſæ Sabaudiæ filiam, quibus teſtatur: Beatricem Campidunum eſſe deducendam, dandasque illi pro dote 5000. marcas, & toditem repetendas ab Henrico Rege. Deinde meminit: ſi ipſe Albertus ea pacta exequi non poſſet, id in ſe ſuſcepturum eſſe fratrem ipſius, Fridericum Regem Romanorum. *Datum Oeniponte*

poſt

poſt Sti Thomæ an Zinſtag anno 1326. *id eſt die XXIII. Decembris.* P. STEYERER *Collect. MSta Tom. VI. N.* 41. *& integrum Documentum idem edidit in Commentariis pro Hiſtoria Alberti II. Ducis Auſtriæ pag.* 23.

1327 Die XVI. Januarii Ludovicus, & Fridericus Comites ab Oetting promittunt Henrico Regi Bohemiæ: inſtituros ſe apud Ludovicum Regem Romanorum, ut is ſtet contractu cum Henrico R. facto. *Datum Tridenti feria ſexta ante Cathedram Sti Petri. Anno* 1327. *P. Steyerer Collectio Manuſcripta Document. Tom. VI. N.* 43. *&c. & Repertor. Auſtr. Parte III. fol.* 16. De hoc contractu innominato dictum eſt ad an. 1314.

Eodem menſe Januario, Tridenti cum ageret Ludovicus Cæſar, convenere ad eum Gibellini Proceres, quos inter Canis Veronenſis fuit, qui a Ludovico Paduam ſibi tradi poſtulavit. Renuit id Ludovicus aſſerens: Paduam poſſideri per Avunculum ſuum Ducem Carinthiæ nempe Henricum. *Cortuſii Lib. III. Cap. X. Grævii Tom. VI. Parte I. pag.* 49. *&* 50. Hac occaſione, cum terras Henrici Carinthii tranſiret Ludovicus Cæſar, („ ipſi (Henrico), ac ſuis heredibus utrius- „ que ſexus Carinthiam, & Comitatum Tyrolis litteris Regalibus, „ poſtea Imperialibus dicitur confirmaſſe. Ita *Anonymus Leobienſis Lib. V. pag.* 924. *Hieron. Pez Tom. I.*

Die XVI. Octobris Joannes, ſeu Joannes Henricus, filiolus Joannis Regis Bohemiæ Lucenburgici, ex Urbe Pragenſi in Carinthiam deducitur, deinde in Tyrolim, ut ſponſus Margarethæ, filiæ Henrici Carinthii. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. V. N. XVIII. Patris Steyerer Commentarii pro Hiſtor. Alberti II. Auſtr. pag.* 77. *&* 78.

Albertum IIItium Comitem Goritiæ hoc anno mortuum fuiſſe, colligimus e ſequenti Documento: („ Litteræ obedientiæ a Co- „ mite Alberto de Gœrz pro ſuis fratribus, Comite Meinhardo, & „ Comite Henrico de Gœrz, de Comitatibus ac Dominiis Goritien- „ ſibus, Cramaun, Belgrad, Latiſana, & aliis in Forojulio; Nam „ iſta in partitione ipſos contigere. Datum 1327. *Repertorii Auſtriaci „ Part II. fol.* 530.

Albertum IIItium ex Eliſabetha duas filias, Eliſabetham & Catharinam: ex Offmein Utehild de Mætſch tres filios reliquiſſe, Albertum IVtum, Meinhardum VIImum, & Henricum IIItium, & tres filias Catharinam, Claram & Margaretham, oſtendimus TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. a N. XI.*

1328 Henricus Carinthius lacum Altſee donat Cœnobio Wilthinenſi, ſub Abbate Wernero, in compenſationem damnorum, quæ Cœnobitæ illi paſſi ſunt, occaſione nuptiarum, cum duabus conjugibus, de Braun-

Braunſchvveich (Adelheid) & de Sabaudia (Beatrice) in Wilthine celebratarum ab Henrico Rege Bohemiæ. *Datum in Wilthine XXVI. Martii. Anno 1328. Indictione XI. P. Steyerer Collect. MSta Documen. Tom. VI. N. 42. Item Burglehner Lib. III. Cap. III. ubi Abbatis Werneri meminit.* Igitur nuptiæ Henrici cum Beatrice Sabauda aut præcedente anno, aut hujus initio celebratæ ſunt.

Idem Henricus certis pactis Salinas cedit Artheſio Florentino, ac fratri ejus, & quatuor ſociis, a Paſchate anni 1328. usque ad diem nativitatis Domini anni 1330. *Burglehner Lib. III. Cap. III.*

Ludovicus Cæſar die IV. Septembris promittit una cum Friderico Duce Auſtriæ, Rege Rom. Duci Henrico Carinthio: pronunciaturos ſe de compromiſſo, quod factum eſt inter ipſum Henricum, & Canem de Scala, & conſervaturos Henrico Vicariatum Paduæ. *Datum Monachii ſub amborum Regio appenſo ſigillo die IV. Septembris. 1328. Repertorium Auſtriacum Parte II. fol. 591.*

Verum interea Paduani, ab omnibus, etiam ab Henrico Vicario deſtituti, agente Marſilio magno de Carraria, Urbem ſuam Cani tradunt, qui eandem die X. Septembris pacifice intravit, dimiſſo antea Griſſo, fratre Engelmarii de Villanders, cum ſuis militibus Germanis, qui poteſtate Vicaria, pro Henrico Carinthio, Paduæ præerat. *Cortuſii Lib. IV. Cap. I. &c. pag. 53. &c. Grævii Tom. VI. Parte I.*

Paganus Patriarcha in Comitis Forojulienſibus contributiones exigit, ut opponere ſe poſſit exercitui magno Henrici Carinthii, qui Guelforum hoſtis advenire dicebatur. Tabulas Comitiorum adfert *Cl. P. Rubeis Cap. LXXXVI. pag. 854.*

Henricus Carinthius nuptiale donum, & Morgengebam uxori ſuæ Beatrici, natæ de Sabaudia, intra tres annos ſolvenda aſſignat. *Datum Tyrolis anno 1328. VIII. Junii Indictione XI. P. Steyerer Collectio Manuſcripta Document. Tom. VI. N. 42.*

Eidem Henrico quidam Bohemiæ Optimates, juſſu Joannis Regis, datis Litteris promittunt: ſe collaboraturos, ut fœdus, & contractus, facta inter Regem ac Ducem prædictos, effectui dentur, nempe ut poſt mortem Regis Joannis omnium filiorum Tutor ſit, & omnium bonorum Adminiſtrator Dux Henricus. *P. Steyerer Collect. MSta Document. Tom. V. fol. 645.*

Denique Henricus Rex ac Dux, Tutor Joannis Henrici, Domino Hugoni de Tübain pro adminiſtratione allodialium bonorum Comitatus Goritiæ, Forijulii, Iſtriæ, & Carſti, ſtipendium aſſignat 200. marcas. *Repertorii Parte II. fol. 538.*

1329 Henricus Carinthius, piis in operibus munificus, Hoſpitale fundat ante portam Suburbii Oenipontani Sto Spiritui dicatum. *Datum Tyrolis anno Domini* 1329. *die ſexto decimo Januarii Indictione XII. Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Canis Veronenſis, occupata ſuperiore anno Padua, hoc currente Tarviſium obſedit. Fruſtra ab Henrico ſubſidium petentes Tarviſini, denique die XVIII. Julii ſeſe Cani dedere coacti ſunt. Ita non pauca, virtute Henrici Ildi Goritiani parta, ceſſatione Henrici Carinthii, Tutoris Joannis Henrici, Goritienſibus erepta ſunt. *Cortuſii Lib. IV. Cap. VIII. pag.* 58. *&* 59. *Grævii Tom. VI. Parte I. Item Anonymus Leobienſis pag.* 930. *Hieron. Pez Tom. I.*

Canis grandis Veronæ, Vicentiæ, Paduæ, ac Tarviſii poſſeſſor moritur die XXII. Julii, filiisque ſuis Alberto, & Maſtino occupatas Provincias reliquit. *Cortuſii Cap. IX. pag.* 59. *& Cap. X. pag.* 60. *ibidem.*

Die Veneris proximo ante diem S. Viti (die IX. Junii) Albertus IV. Com. Goritiæ Henrico de Lavvant jure feudi concedit Domicilium quondam Conradi dicti Svvent, in Revvental. Autographum eſt in Tabulario Græcenſi.

Henricus, Tutor Joannis Henrici Goritiani, Albertum (IV.) Comitem Goritienſem Capitaneum Goritiæ conſtituit. *Datum Goritiæ* 1329. Ita *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 419.

Id comprobat alterius Documenti Synopſis in eodem REPERTORIO, ſeu (,, Litteræ reverſales, datæ a Comite Alberto de Gœrz, ,, dum Patruelis ipſius Henricus Rex Bohemiæ, ut Tutor ,, Patruelis ſui, Joannis Henrici Comitis de Gœrz, eidem ,, Alberto tradidit munus Capitanei Goritiæ, in Forojulio, in ,, Iſtria, & in Carſto cum ſtipendio 2000. marcarum Pernenſium, ,, eoque pacto, ut Albertus quoque acceptet Tarviſii curam, ſi Rex ,, ei commiſerit, ut Tutor Joannis Henrici, Vicarii Tarviſini. *Da*-,, *tum anno* 1329. *Ibidem Parte III. fol.* 561. Goritiæ Capitaneum renunciatum eſſe Albertum IVtum die IVta Julii oſtendunt ejusdem Litteræ ad annum 1331. indicandæ.

1330 Ludovicus Imperator, Diplomate, dato Meraniæ die XII. Februarii, Henrico Duci Carinthiæ Privilegium dat, vel confirmat, ut hereditas ejus omnis ad filias ipſius, ſi filios non nanciſcatur, tranſeat: vel etiam ad fratrum filias: vel denique ad Generos; ſed hoc cum novo Imperatoris conſenſu. *P. Steyerer Commentar. ad Hiſtor. Alberti II. pag.* 78. *ex Collectione Managetana MStorum Viennæ.* Hæ itaque ſunt illæ Litteræ *Imperiales* de quibus prævium ANONYMUS LEOBIENSIS, ad annum 1327. mentionem fecit.

Hen-

Henricus Carinthius Uxori ſuæ, Beatrici de Sabaudia, cedit emolumenta quædam Salinarum. *Actum in Gries XIV. Februarii. An-* 1330. *Burglehner Lib. XIII. Cap. V.*

Beatrix Comitiſſa de Gœrz & Tyrol, materna Tutrix, Adminiſtratrix filii ſui Joannis Henrici Com. Goritiæ, oppignorat Henrico ſuo notario Jus ad Villam Cacil, cum evictionis obligatione. *Datum Goritiæ: anno* 1330. *die quarta Junii.* Charta latine ſcripta, ab Amico viſa.

Joannes Rex Bohemiæ Oenipontem venit, ubi feria IIItia poſt exaltationem Stæ Crucis, (die XVIII. Septembris) Margarethæ Tyrolenſi, Henrici Carinthii filiæ, Nurui ſuæ, Contradotem aſſignavit. *P. Steyerer Collect. MSta Tom. VI. N.* 48.

Henricus Carinthius, R. Bohemiæ, promittit ſcripto: ſe adjuturum Comitiſſam Beatricem, & filium ejus Joannem Henricum de Gœrz, ut jura ſua ad Urbem Tarviſium, & Köeniglohn, recipiant. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 563.

1331 In Tabulario Græcenſi habentur litteræ Alberti IVti Comitis Goritiæ, quibus ut Capitaneus Goritiæ cavet de quibusdam reditibus dilectæ Dominæ, & Patrueli ſuæ nobili Comitiſſæ Beatrici de Görz, & dilecto filio ipſius Comiti Joanni (Henrico) noſtro charo parvulo Patrueli &c. *Datum die II. Aprilis anno* 1331. Ibidem refert Albertus: ſe anno 1329. die Sti Ulrici Capitaneum eſſe renunciatum.

Beatrix Sabauda, tertia Uxor Henrici Carinthii, vitam finit in pervigilio Sti Thomæ, ſeu XX. vel XXI. Decembris. *Vide dicta* TENTAMINIS GENEALOGICI *Capite V. N. XIII. e Chronico Stamſenſi.*

1332 Paganus Patriarcha fœdus ſancit cum Alberto, & Maſtino de Scala, atque Paduanis, metu Joannis Bohemiæ Regis, qui ab anno 1330. in Italia contra Guelfos bellans, nonnulla occupaverat, atque in Germaniam hoc anno diſcedens, Carolo filio ſuo, apud exercitum relicto, fortior rediturus timebatur. Tabulas dicti fœderis, ſcriptas XXIX. Aprilis, protulit *Cl. P. Rubeis pag.* 864. *Monument. Aquil. Confer Cortuſios Lib. V. Cap. II. pag.* 63.

Paganus Patriarcha hoc anno, dies latet, vitæ finem aſſecutus eſt. *Anonymus Leobienſis ad annum* 1332. *pag.* 936. *Hier. Pez Tom. I.*

Henricus Carinthius Tutela Joannis Henrici hoc anno deceſſiſſe videtur; quippe elapſo jam octennio, ab anno 1223. Extant præterea in *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol.* 566. („ Litteræ emptionis, „ & feudi collati ab Henrico Rege Bohemiæ, qua Duce Carinthiæ, „ datæ Comiti Joanni Henrico de Gœrz, de Urbe Peuſcheldorf in

„ Forojulio.) Nulla hic Tutelæ mentio. Attamen ſi Tutelam poſuit hoc anno Henricus; mox anno ſequente illam recepit. Nam

1333 Beatrix Vidua Henrici IIdi Comitis Goritiæ, Tutelam ſuimet, & ſui filii Joannis Henrici, prorogat Henrico Regi Bohemiæ in annos X. *Ibidem Parte III. fol. 561.*

Mox Henricus, qua Tutor Joannis Henrici, die XXIII. Martii Feuda confert Henrico de Lavand: uti ex Autographo adnotavit Cl. ROSENTHALIUS. *Datum die Martis ante Dominicam Palmarum anno* 1333. Mox die VIta Maji, nempe die Jovis poſt Philippi, & Jacobi, Henricus Dux venit ex Meran in Gries, cœna, & prandio exceptus ab Engelmaro de Villanders, Judice Provinciali Bauzani. *Burglebner Lib. XIII. Cap. V. ex Libris rationum Engelmari.*

Exuviæ Henrici IIdi Comitis Goritiæ Tarviſio Roſazium translatæ ſunt, per Giliarchum Abbatem Roſacenſem. Ita quidem Documentum Roſacenſe ANDREÆ DANDULI quod TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. II. N. XI.* protulimus.

1334 Die IIItia Julii Henricus Carinthius emit Caſtrum Schœnegg. *Actum Tyrol* 1334. *die Dominica ante diem S. Udalrici. Burglehner ibidem.*

Idem Henricus qua Tutor Comitis Joannis Henrici de Gœrz Henrico dicto Maul confert feuda quædam. *Datum Tyroli anno poſt Chriſtum natum* 1334. *in Vigilia omnium Sanctorum.* Hoc Documentum autographum vidit in Tabulario Græcenſi PERILLUSTRIS ROSENTHALIUS.

Die IVta Julii Joannes XXII. Papa, Aquilejæ Patriarcham conſtituit Bertrandum, ſeu Beltrandum de Sancto Geneſio, Gallum, Cadurcenſis Diœceſis, Juris Doctorem, & cauſarum ſacri Palatii per X. annos Auditorem. Is die XXVIII. Octobris Aquilejam venit. *Rubeis Monument Aquil. pag. 867. ex Ughello, & Anonymo Scriptore Vitæ Beati Bertrandi apud Bollandianos die VIta Junii. Item ex Anonymo Leobienſi.*

MEGISERI narrationem de bello, quod Margaretha, Henrici Regis filia, in Carinthia hoc anno geſſiſſe fertur, doctiſſime confutat *Cl. P. Steyerer Commentar. pro Hiſtor. Albert. II. pag.* 99. *& ſequentibus.*

Proleptice ſcribit *Continuator Martini Poloni pag.* 1450. *Eccardi Tom. I.* dum ad hunc annum memorat: Bertrandum Patriarcham, tuiturum jura ſuæ eccleſiæ contra gentes Venetorum in Iſtria, contra Rizardum de Camino, & contra Comites Goritiæ juxta Bragulum pugnaſſe, & adverſarios ſuperaſſe. Enimvero hæc ſequentibus annis geſta ſunt.

1335 Henricus Rex Bohemiæ, pretio ſexcentarum marcarum, vendit Joanni Henrico Goritiano Conſobrino ſuo Ventzonum in Forojulio:

lio: Storcinberg, & Haſenſtein, & jura feudi confert. *Datum in Tyrol anno Domini milleſimo, CCCXXXV. in octava purificationis Stæ Mariæ.* Id eſt die IX. Februarii. Integram Chartam profert Cl. P. RUBEIS cujus & STEYERERUS meminit. *Commentar. pro Hiſtor. Albert. II. pag.* 83. *Rubeis monument. Aquil. pag.* 849. *Extat ejus autographum Germanicum, cum apographo latino, in Tabulario Græcenſi.* In qua Henricus Rex fatetur: Joanni Henrico Goritienſi deberi Tyrolim; cum ipſe herede maſculo careat.

Item Henricus Rex Bohemiæ, & Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ, tempore miſſæ, die IVta Aprilis mortali vitæ valedixit, cholico malo ſuffocatus in Caſtro Tyrolis; cujus exuviæ ſubinde Stamſii condictæ ſunt. Vida dicta ex ANONYMO LEOBIENSI & aliis, *Cap. V. N. XII.* TENTAM. GENEAL.

Allata a Pontif. Benedicto XII. diſpenſatione die XXV. Aprilis (teſte Charta a Notario Franciſco de Cathania ſignata) Fridericus, & Petrus Siciliæ Reges confirmant pacta nuptialia, per Legatos tractata, inter Comitem Goritiæ Joannem Henricum, & Beatricem Petri filiam. In his Litteris Tabularii Græcenſis Beatrix mater Joannis Henrici Comitiſſa Goritiæ *Tutrix*, & *Rectrix* ejusdem filii ſui vocatur. Datæ ſunt hæ litteræ *die XXVII. Aprilis anno* 1335. Litteræ duæ aliæ ibidem habentur Eliſabethæ, Reginæ Siciliæ, filiæ Ottonis Carinthio-Goritiani, quibus filiæ ſuæ Beatrici cedit ſua jura in bona Carinthiaca, deinde dotem ampliat. *Datæ ut ſupra.* Sed hæc pacta fine ſuo caruiſſe, declarabunt nova ſponſalia, inferius memoranda hoc anno. *Repertorii Parte II. fol.* 593.

Auſtriacos Principes ſibi arctius devincturus Ludovicus Cæſar, Lincii in Auſtria, in craſtino Beatorum Philippi & Jacobi, Apoſtolorum (die II. Maji) Alberto, & Ottoni Ducibus Auſtriæ eorumque heredibus Carinthiæ Ducatum confert. Tabulas latinas adfert *P. Steyerer pag.* 84. & fuſius hæc *Anonymus Leobienſis pag.* 539. *Hieronym. Pez Tom. I.* qui Ludovicum Cæſarem Joanni Tyrolenſi infenſum ideo factum ſuſpicatur; quod Joannes Cæſari, Veronæ contra Venetos opem laturo, tranſitum negaſſet.

Eadem die, alio Diplomate Germanico idem Ludovicus iisdem Ducibus Auſtriæ Ottoni, & Alberto confert Comitatum Tyrolis. *Datum Lincii die Martis poſt Stæ Walpurgis* (die IIda Maji) *poſt nativitatem Chriſti anno* 1335. *Regni noſtri XXImo Imperii octavo. P. Steyerer pag.* 84. *&* 85. *Confirmat in alio Diplomate Germanico eadem die & loco dato.*

Carinthiam, & Tyrolim, ut feudum Imperio vacans, Ludovicus Cæſar Auſtriacis contulit: Carinthiam porro, jure veterum

pactorum, inter Rudolfum Imum Cæſarem, & Meinhardum IV. Goritienſem, Tyrolis Comitem, ſancitorum; quia filii Rudolfi his pactis Meinhardo Carinthiam ceſſere. Vide dicta ſuperius in CHRONICO *noſtro ad annum* 1285.

GUILIMANUS probatæ fidei Scriptor (apud *Steyererum Commentar. Albert. II. pag.* 81. *ex Guilimanni Hiſtoria Auſtriaca Manuſcripta Tom. I. Lib. VI. pag.* 321.) memorat: Ludovicum Cæſarem nobiliſſimorum Arbitrorum judicio, Rudolfi Hohenbergii, Bertholdi Greisbachii, & Udalrici Pfannenbergii Comitum, Joannis Dapiferi Dieſſenhoffii &c. abrogaſſe Privilegium illud, quod Henrico Carinthio anno 1330. dederat de ſucceſſione filiarum ipſius, aut fratrum, vel generorum cum novo conſenſu. Goritienſes Comites non pugnaſſe, ob collatam Auſtriacis Carinthiam, facile perſuadet fœdus, quod hoc anno cum Alberto & Ottone Ducibus Auſtriæ pepigere Albertus IVtus Meinhardus VII. & Henricus IIItius fratres, de præſtando ſibi mutuo auxilio contra Regem Bohemiæ Joannem. Compoſita quoque eſt lis de Caſtro Greiſſenburg. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 421. Ægerrime nempe ferebat Joannes Bohemus, Carinthiam ereptam eſſe Joanni filio ſuo, Marito Margarethæ Maultaſchiæ, Henrici defuncti Ducis filiæ. Quare alterum filium ſuum Carolum, Moraviæ Marchionem, arma in Tyrolim contra Goritienſes parare juſſit. *Carolus IV. Cæſar in vita ſua Freheri ſcript. Rer. Bohem. Parte I. pag.* 96.

Duces Auſtriæ vix inveſtiti Carinthiæ Ducatu, eodem ablegant Pfannenbergium Comitem, & Ulricum de Walſee, ut Carinthos Proceres in Auſtriacorum fidem adigerent. Petiere nonnulli moras, dum a Joanne Rege Bohemiæ ſubſidia venirent. Sed cum tardaret Joannes, & Auffenſteinius, Carinthiæ Capitaneus, Auſtriacis impenſe faveret, Carinthia ſe Auſtriacis permiſit. Repetentibus Carinthiam Margarethæ & Joanni Tyrolenſi per Legatos, bona verba reddita ſunt. *Anonymus Leobienſis Lib. VI. Cap. I. pag.* 539. *Carolus Cæſar in vita ſua pag.* 95. *Freheri ſcript. Bohem. Parte I.* Attamen Tyrolis poſſeſſionem Auſtriaci non urſere, & vero anno ſequente Margarethæ ſua in Tyrolim jura ceſſere in transactione facta Laureaci.

Beatrix Bavara, Henrici IIdi Goritiani vidua, tractat de nuptiis aliis filii ſui Joannis Henrici, cum Anna, Regis Friderici Pulchri Auſtriaci, jam ante quinquennium defuncti, filia, eo pacto, ut Annæ frater, Otto Dux Auſtriæ, Tutor ſit Beatricis, & filii ipſius, donec iſte duodeviceſimum annum attingat. Item de dote caveat Ludovicus Cæſar, & Albertus: Denique Duces Auſtriæ præſto ſint Comitibus Goritiæ ad obtinenda ea, quæ ſunt juris ipſorum. *Datum Labaci, die Sti Joannis Baptiſtæ (XXIV. Junii) anno MCCCXXXV. Reper-*

to-

torium Auſtriacum Parte III. fol. 762. ſimile Documentum eſt in Collect. MSta Documentorum R. P. Steyerer Tom. V. pag. 992. ex Tabulario Viennenſi Cæſareo.

Breve bellum, geſtum inter Patriarcham Betrandum, & Venetos, ob ereptum iſtis Caſtrum Vallis, item Patriarchæ felices velitationes cum Rizardo de Camino, mortemque duorum Caminatium, Gerardi Domini Tarviſii, & Rizardi, ob incontinentiam confoſſi, narrant *Cortuſii de novitatibus Paduæ Lib. V. Cap. IX. pag. 71. Grævii Tom. VI. Parte I. Anonymus Leobienſis ad annum* 1340. *pag.* 959. *Hieron. Pez Tom. I.* Sed hæc memorat *Anonymus Leobienſis*, alieno, ut interdum facit, tempore.

Dux Joannes, & Margaretha, conjuges, Comites Tyrolis, Salinas Hallenſes elocant ad biennium. *Datum Tyroli* 1335. *die Veneris ante Sti Michaelis*, id eſt XXII. Septembris. *Burglehner Lib. III. Cap. III.*

1336 Carolus Marchio Moraviæ bellum, quod pro tuenda Tyroli contra Auſtriacos, Scaligeros, & Goritienſes ſuſceperat: ita deſcribere incipit: (,, Tempore ſuccedente, poſt Paſcha die ſequenti (Ima ,, Aprilis) congregavimus exercitum de Comitatu Tyrolis, & in- ,, travimus Vallem Puſchariæ Brixinenſis Diœceſis, ſuper Comitem ,, Goritiæ, & aquiſivimus Caſtrum Montis Sti Lamberti. Et tran- ,, ſivimus ulterius ſupra prædictum Comitem, & devaſtavimus ter- ,, ras ſuas usque ad Cluſam, quæ vocatur Linitz, & fuimus in Ca- ,, ſtris cum prædicto exercitu tribus ſeptimanis in illa devaſtatione: ,, quia adjutor Ducum Auſtriæ, inimicorum noſtrorum - - - - - -, ,, Poſt hæc, circa Feſtum Michaëlis, tractata ruit concordia inter ,, Patrem noſtrum, & Ducem Auſtriæ: *Carolus in vita ſua pag.* 95. & 96. *apud Freherum Script. Rer. Bohem. Parte I.* Tabulas hujus concordiæ produxit *Cl. Styererus Commentar. Albert. pag.* 96. & 97. *Item in Repertorio Auſtriaco Parte I. pag.* 60. In his Joannes Rex Bohemiæ pro ſe, & filio ſuo Joanne, atque Conthorali ipſius Margaretha, & ſorore ejusdem (Adelheide) Henrici, Carinthiæ Ducis, filiabus, abdicant ſua jura, ac cedunt Alberto, & Ottoni fratribus, Ducibus Auſtriæ, ad Ducatum Carinthiæ, & Dominium Carnioliæ, & Marchiæ; attamen ita, ut omnia, quæ ad Dravum, a Sachſenburg ſurſum verſus ſita ſunt, & ad Salisburgenſem Diœceſim pertinent, quæque prædicti Duces Tyrolenſi Comitatui donarunt, ut inquam, ea omnia perpetuo Tyrolenſi Comitatui unita in poteſtate Margarethæ maneant. Sub finem Documenti ita: (,, Volumus etiam - - - il- ,, luſtrem Beatricem, Comitiſſam Goritiæ, ſuosque fratres, ac ipſo- ,, rum heredes in bonis ſuis hereditariis, videlicet theloneis, mu- ,, tis, & aliis quibuscunque poſſeſſionibus, ſeu bonis, & eorum ju- ,, ribus, quas, aut quæ in prædicta Comitia Tyrol, & juxta Atta- ,, ſum, ut alias, usque ad obitum ſæpe dictum Ducis Heinrici, de ju-

„ jure tenuerunt, in antea conſervare - - - - - *Actum, & datum in Enſa* 1336. *die Beati Dionyſii* (IX. Octobris)

Quanta autoritas fuerit Caroli Moravi, Regentis Tyrolim, nomine fratris ſui Joannis, & Margarethæ, patet ex Litteris dati Feudi Henrico de Annenberg, Burggravio Tyrolenſi, a Joanne, & Margaretha; ubi ad finem habetur: („ Hoc factum eſt cum vo„ luntate, & conſilio dilecti fratris noſtri Caroli; quia ipſe plenam „ poteſtatem habet a dilecto Domino, & Patre noſtro, Joanne Re„ ge Bohemiæ, tanquam Tutor noſtri, & noſtræ dilectæ conjugis „ - - - - Actum Tyrol 1336. die Martis ante diem Paſchæ) id eſt XXVI. Martii. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

Anna, Regis Rom. Friderici Pulchri filia, nubit Joanni Henrico Goritiano, Feſtumque id Viennæ celebratum eſt. *Anonymus Leobienſis pag.* 949. *Tom. I. Hieron. Pez. Vide Tentam. Geneal. Cap. IV. N. IX.*

Hoc anno Carolus Rex Hungariæ, Joannes Rex Bohemiæ, Albertus, & Otto Duces Auſtriæ, Carolus Marchio Moraviæ, & Joannes Comes Tyrolis, fœdus defenſionis mutuæ contra quovis hoſtes ineunt. *Collectanea Manuſcripta P. Steyerer Tom. V. fol.* 959.

1337 Apographum Litterarum oppignorationis a Joanne Henrico, Comite Goritiæ, datum Bertholdo Hoffmann, pro pago Sagan infra Arlſperg, memoratur in *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol.* 437.

Catharina, uxor Ulrici de Tauffers, redimit a fratribus ſuis Alberto, Meinhardo, & Henrico, Comitibus Goritiæ, die XXVIII. Decembris, varia bona oppignorata. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 437. *Vide Tentaminis Genealogici Cap. IV. N. XIII.*

Carolus Moravus rata habet pacta concordiæ, anno priore Enſæ inita, inter Patrem ſuum, & Joannem, & Margaretham conjuges, ac inter Duces Auſtriæ, & Comites Goritiæ. *Collect. MSta Document. P. Steyerer Tom. V. fol.* 965.

De exuviis Henrici, Ducis Carinthiæ, & Caſtro Tyrolis, ubi ante biennium obiit, Stamſium hoc anno translatis, mentionem facit *Anonymus Leobienſis Lib. IV. Cap. I. ad annum* 1335. *pag.* 539. *Hieron. Pez Tom. I.*

1338 Bertrandus Patriarcha feuda confert Aquilejæ, Alberto IVto Comiti Goritiæ, ac duobus fratribus Meinhardo, & Henrico: *per annulum, & handeriam armaturæ Comitatus Goritiæ videlicet albi & rubei coloris.* Jubetur porro Comes infra menſem in ſcriptis tradere Patriarchæ feuda, quæ ab eodem poſſidet. *Actum Aquilejæ in Patriarchali Palatio: anno nativitatis Chriſti MCCCXXXVIII. Indictione VI. die XXV. menſis Februarii. Tabulas integras profert P. Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 886. *a Comite Florio acceptas.*

Joan-

Joannes Henricus Comes Goritiæ, facta antea die I. Martii nova aſſignatione dotis uxori ſuæ Annæ Auſtriacæ, de 6000. marcarum Aquilejenſium, & de 10000. marcarum argenti, ponderis Græcenſis, ſolvendis in proba moneta Bohemica, cum ſecuritate ad certa bona, obiit circa XV. Martii. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. X.* De hac morte ita *Anonymus Leobienſis pag.* 946. *Hieron. Pez Tom. I.* („ Juvenis moritur juvencula viduatur. Caſtra Comitatus Gori„ tienſis in Marchia, & Carinthia, ratione dotalitii Materteræ ſuæ, „ a Ducibus (Auſtriæ) arreſtantur, quousque ſucceſſores (Gori„ tienſes) Albertus, Meinhardus, Hainricus, Alberti Comitis filii, „ cum Principibus conformantur.) Matertera Joannis Henrici defuncti erat Eliſabetha, Uxor Ottonis Ducis Auſtriæ, ſoror Beatricis Bavaræ, matris Joannis Henrici.

Carolo Moravo, in Bohemiam reverſo, Joannes Comes Tyrolis, ejus frater, Carinthiam armis tentabat, fauces Leontinas perrupturus; ſed Comites Goritienſes, fœderati Alberti Auſtriaci, Ducis Carinthiæ, fortiter repulere Joannem, qui, rebus infectis redux, Vallem illam, Goritianis obnoxiam, devaſtat. Locuſtæ quoque hoc anno Carinthiæ & Forojulio multum damni intulere. *Idem pag.* 951. *& Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

Cum in Carinthia quidam, Joanni Tyrolenſi faventes, nutarent; Albertus Dux Auſtriæ, Villacum veniens, omnia pacavit; ibidem cum Patriarcha Bertrando egit: ut Ventzonum ſibi conferret in feudum, quod olim Meinhardo Tyrolenſi, filiisque conceſſum eſſet: Negavit Bertrandus jus aliquod ſucceſſionis eſſe in hoc beneficio, Meinhardi privatis meritis conceſſo; quare nihil hac de re concluſum eſt. Patriarchæ, Ventzonum reduci, portæ ejus loci occluduntur; verum a Patriarcha idem locus vi capitur. Hæc narrat *Anonymus Leobienſis pag.* 951. *&* 952. Quibus addit *Continuator Martini Poloni pag.* 1455. *Eccardi Tom. I.* A Goritienſibus Præfectis Ventzoni aditum Patriarchæ negatum fuiſſe: porro Goritienſes nobiles obſidionem ejus loci ſoluturos, prope Glemonam fuſos eſſe, ac fugatos: captum quoque Georgium de Duino: Bragantinum Patriarchæ redditum, ac dirruptum, Ventzonum eidem fuiſſe relictum.

De Eliſabethæ Alberti IIItii Goritiani filiæ (quæ altero matrimonio nupſit Wilhelmo Comiti de Schaumburg) contradote, aſſignata a priore marito Hermanno, Comite de Heümburg, ad arcem Truchſen: dictum eſt TENTAM. GENEAL. *Cap. IV. N. XII.*

Die XII. Septembris Carinthii ab Alberto Duce Auſtriæ, Græcii degente, petiere novam legum rationem, vicinis populis magis congruam. Annuit Albertus, legumque colligendarum ipſismet

Proceribus curam demandavit. *Anonymus Leobienſis pag.* 955. *Hier. Pez Tom. I.*

Beatrix Bavara, mater Joannis Henrici defuncti, cum Alberto, & fratribus Goritianis tranſigit de juribus arcis Draburgenſis: item de contractis nominibus, a defuncto Comite Joanne Henrico reliquis. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 525. Eadem Beatrix in alia partitione 3000. marcarum Aquilejenſium, æqualem cum Goritianis Comitibus partem poſtulat. *Datum Spital, ad Ortenburg, feria quarta ante natalem Domini:* id eſt die XXIII. Decembris. *P. Steyerer Collect. Manuſcripta Documentorum Tom. IV. N.* 44.

1339 Hoc anno, ut probabiliſſimum eſt, Carolus Moravus detegit partem eorum, quæ occulte contra fratrem ſuum Joannem, Margaretha hujus uxor machinabatur, circum miſſo Alberto, filio naturali ipſius Margarethæ, cum Magiſtro Curiæ. Albertum iſtum capit ex inſidis Carolus, & quæſtione ex eodem in arce Sonneberg habita, turbas in præſenti ſopit. *Carolus in vita ſua pag.* 103. *Freheri Parte I. ſcript. Bohem. Guillimannus apud Steyerer pag.* 600. *Vide dicta Tentaminis Genealogici Cap. V. N. XV.*

Albertus, Meinhardus, & Henricus fratres, Matris Offmein Utehild bona quædam, ad Lindſia, vendunt. *Datum Luenz proxima Dominica poſt purificationem Mariæ* (die VII. Februarii) *anno* 1339.

Meinhardus & Henricus fratres, Comites Goritiæ, & Tyrolis, inter ſe conveniunt de bonis ſuis, a Patre (Alberto IIItio) & Patruele Joanne Henrico, acceptis, communiter poſſidendis. *Actum Pruck die Sti Primi* (IX. Junii) *anno* 1339. Albertus IVtus, horum frater natu maximus, his conſentiens, ſimile documentum edendum curat, *eodem loco, die, & anno. P. Steyerer Collect. Docum. MSta Tom. VI. N.* 46. *ambo Documenta profert.*

Joannes Luxenburgicus, Comes Tyrolis, Wilthinenſi Abbati Privilegia quædam de Venatione concedit. *Datum Oeniponte Sabbato poſt Stæ Margarethæ* (die XXIV. Julii) *anno* 1339. Idem Joannes Hallenſi Urbi elocat Telonium Hallenſe & Oenipontanum. *Anno* 1339. *Ambas Tabulas indicat Burglehner Lib. XIII. Cap. III.*

Albertus, & fratres, Goritiani, Beatrici Bavaræ, Henrici II. Comitis viduæ, de certa pecuniæ ſumma (de parte illarum 3000. marcarum anni prioris) ſatisfaciunt. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 468.

1340 Idem Albertus, & fratres, Goritiani, novam diviſionem bonorum hereditariorum inſtituunt, etiam eorum, quæ ab Amita ipſis advenere. *Actum Luenz XII. Maji anno* 1340. *P. Steyerer Collect. Document. MSta Tom. VI. N.* 48. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 425. Vide etiam dicta TENTAM. GENEAL. *Cap. IV. N. XIII.*

De

De bello contra Goritianos geſto, ita ad hunc annum ANONYM. LEOBIENSIS: („ Hoc anno Bertrandus Patriarcha rurſus cum Co„ mitibus Goritiæ bellum geſſit, habens ſecum Carolum Marchio„ nem (Moraviæ) & Joannem, fratrem ejus, Regis Bohemorum „ filios - - - - - - Et dum protraheretur negotium, in quorundam „ Caſtellorum obſidione, & ſuccurſus Comitum non adeſſet, ad Ca„ ſtrum Goritiæ properat: ubi ſuburbio devaſtato in nocte natalis „ Domini Patriarcha in caſtris, tam armis ſæpius materialibus, „ quam in ſacris induviis miſſæ nocturnalis officium ſubminiſtrante „ ſibi Svviberto Abbate Moſacenſi, ordinis Sti Benedicti, veſtito „ ſimiliter armis utriusque generis, celebravit.) Verba ſunt *Anonymi Leobienſis ad annum* 1350. *pag.* 459. *Hier. Pez Tom. I.* Similia narrat *Continuator Martini Poloni Eccardi ſcript. Tom. I. pag.* 1456. additque: adverſariis fugatis, obſeſſum eſſe Cormonum, Goritiam, Belgradum terrasque Comitum incendio & rapinis vaſtatas.

Anna Auſtriaca, vidua Joannis Henrici Goritiæ Comitis, conſilio Ducis Auſtriæ Alberti, ſui patruelis apocham de acceptis 6000. marcis Aquilejenſibus, Morgengebæ titulo, aliisque ſuis prætenſionibus, exarandam curat, aboletque ſcripta debitorum marito olim ſuo, quæ is a Patruelibus Alberto Goritienſi, & fratribus exigere poſſe videbatur. *Datum Vienna anno* 1340. *die Veneris ante S. Antonii.* Si hic *S. Antonius Paduanus*, ut puto, intelligendus eſt, dies is fuit IX. Junii.

In REPERTORIO AUSTRIACO ad hunc annum notantur; *Litteræ abdicationis* Annæ, Regis Friderici Auſtriaci filiæ, Comitis Joannis Henrici de Gœrz Viduæ. Inde conjicio: hoc, vel ſequente anno Annam aſceterium Stæ Claræ Viennæ Auſtriæ ingreſſam eſſe. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. X. Lazius Commentar. in Geneal. Auſtr. Lib. II. pag.* 220. Die XV. Novembris, ſeu die Sanctæ Gertrudis, Annam cum ſexaginta duabus Virginibus Nobilibus ad Stæ Claræ Monaſterium veniſſe narrat; ſed male annum 1344. adſcribit. Sacrum Velum e manibus Chunradi Gurcenſis Epiſcopi Annam ſuſcepiſſe ANONYMUS LEOBIENSIS perhibuit *pag.* 949. *ad annum* 1336. *Hieron. Pez Tom. I.*

1341 Albertus IVtus Comes Goritiæ Henricum de Lavvant de bono quodam in Velach inveſtit, inſertis litteris inveſtituræ de eodem bono, Hainzmanno Camerario ab Alberto Avo ſuo anno 1295. die XXI. Februarii conceſſo. *Datum die ultima Martii anno* 1341. In Tabulario Græcenſi vidit Cl. ROSENTHALIUS.

Tractato antea jam negotio cum Ludovico Imperatore, Margaretha maritum ſuum Joannem, prætextu impotentiæ die IIda Novembris repudiat, ac Tyrolenſibus Terris exigit, conſenſu etiam

Nobilium impetrato. Joannes Tyrolenſis ad Bertrandum Patriarcham confugit. CORTUSII jam in Octobri Joannem expulſum fuiſſe memorant. *Vide dicta Cap. V. N. XVIII. Cortuſii de Novitatibus Pad. pag.* 106. *Grævii Tom. VI. Parte I.* Margaretha paulo ante ad Papam Benedictum XII. ſcribendum curavit, petiitque, ut invalidum declararetur ſuum cum Joanne conjugium. Papa reſcribens XXIX. Novembris hujus anni (nempe III. Kal. Decembris, anno VII. Pontificatus) rem diſcipiendam Bertrando Patriarchæ committit. *Rubeis Monument. Aquil. pag.* 871. *ex Annalibus Eccleſiaſticis Raynaldi Tom. XVI. N.* 14. *ad annum* 1341. Huic tempori repudii, vel in Octobri vel IIda Novembris, obſtare videtur Documentum relatum a *Cl. P. Steyerer Commentar pro Hiſtor. Alberti IIdi pag.* 129. quo continetur Joannis Regis Bohemiæ renunciatio nomine filiorum Caroli, & Joannis Henrici, item Margarethæ hujus *uxoris*, & ſororis ſuæ, ſuper Ducatu Carinthiæ in favorem Ducum Auſtriæ &c. *Datum Znoymæ in craſtino Beatæ Katharinæ Virginis anno* 1341. Equidem hic XXVI. Novembris a Joanne Rege Margaretha appellatur *Uxor Joannis*, quæ maritum ſaltem IIda Novembris repudiavit. Attamen Joannes Rex, recte uxorem Joannis appellavit Margaretham; quia talem matritrimonii ſolutionem illegitimam, invalidamque ipſe, atque filii ejus agnovere. Margaretha porro, & Joannes hanc ceſſionem, jam ante quinquennium promiſſam, executioni dandam detulerant Joanni Regi. Porro etiam poſt repudium tam Joannes, quam Margaretha renunciationem hanc faciendam cenſuerint; quod utraque Pars Auſtriacos Principes amicos ſibi facere, aut retinere ſtuderet. Hanc Carinthiæ ceſſionem comprobavit Carolus Marchio Moraviæ, facta mentione conditionis: ſi ceſſionem hanc Joannes, & Margaretha obſignarint, & ſubſcripſerint. *Datum Viennæ Sabbato ante Feſtum Beati Thomæ Apoſtoli* 1341. Ea erat dies XV. Decembris. *Idem ibidem.*

1342 Ludovicus Imperator, transacto per Legatos negotio Matrimonii, inter filium ſuum Ludovicum, Marchionem Brandeburgi, primum reluctantem, & inter Margaretham Tyrolenſem, Tyrolenſibus privilegia confirmat. *Actum Monachii proxima die Lunæ ante purificationem Beatæ Virginis* (die XXVIII. Januarii) *anno poſt Chriſtum natum* 1342. *Regni XXVIII. Imperii XV. Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.* Similem eadem die confirmationem dederat Ludovicus Brandeburgus. *Burglehner Lib. XIII. Cap VI. & P. Steyerer Commentar. Albert. pag.* 585. ubi ſe non appellat Comitem Tyrolis, ſed Margaretham tamen vocat *dilectam Conſortem ſuam*, (Unſere liebe Würthine) quæ res tamen nonniſi ad contractum per Legatos matrimonium, idque illegitimum, referenda eſt. Nuptias enim ipſas die X. Februarii, in oppido Meran, præſente Imperatore Ludovico, non admiſſa Bertran-

di

di Patriarchæ inquiſitione, celebratas fuiſſe, probabiliſſimum cenſeo. *Vide Tentam. Geneal. Cap. V. N. XVIII. & P. Steyerer Comment. Albert. pag.* 584. *&c.* CORTUSII hoc Feſtum nuptiale Tridenti: GUILLIMANUS in Caſtro Tyrol actum fuiſſe memorant. CORTUSII quoque Tyrolis & Carinthiæ feudum, ab Imperatore novis ſponſis collatum, memorant, ad annum 1343. ſed huic anno 1342. id potius convenit. *Cortuſii pag.* 106. *Grævii Tom. VI. Part. I. Guillimanus apud P. Steyerer* 585. *Commentar. Alberti.* Subinde Ludovicus Brandeburgus titulis ſuis adjecit etiam iſtos: *Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ. Steyerer ibidem pag.* 614. *&c.*

Albertus, Meinhardus, & Henricus Goritiani novam poſſeſſionum ſuarum diviſionem inſtituunt, qua de re extat Documentum: *Datum Greiffenburg die Sti Viti* (XV. Junii) *anno* 1342. *Repert. Auſtr. Part. III. fol.* 562.

Sub finem hujus anni, aut ſequente, ex Ludovico, & Margaretha natus eſt Meinhardus, futurus Comes Tyrolis. *Docte id demonſtravit. P. Steyerer Commentar. Albert. pag.* 583.

Denique hoc anno adverſus Margaretham Papales proceſſus promulgantur, ac Tyrolis interdicto ſubjicitur; quod Margaretha rupto priore conjugio, ſine autoritate Eccleſiaſtica novo ſeſe illigarit, non conſulto Bertrando Patriarcha, cui Benedictus XII. & Clemens VI. Pontifices id negotii dederant. *Anonymus Leobienſis pag.* 959. *ad annum* 1341. *Hieron. Pez Tom. I. ſed ad annum* 1342. *referenda hæc ſunt.*

1343 Circa diem XIV. Januarii Viennæ in Monaſterio Stæ Claræ pie vitam clauſit Abbatiſſa ejus Parthenonis Anna Auſtriaca, Friderici pulchri filia, vidua Joannis Henrici Goritienſis. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. X.*

Henricus Comes Goritiæ Tabulas opignorationis Caſtri Schvvarzenegg dat Comiti Dionyſio, & Comiti Paulo de Chrupp, filiis Ducis Stephani provinciæ Vinidorum. Ita *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 440.

1344 De Andrea Dandulo, Venetiarum Duce, narrat *Raſaynus Careſinus, Continuartor Chronici Danduli, pag.* 422. *Muratorii Tom. XII. ſcript. Ital.* Albertum IV. Goritiæ Comitem a Dandulo Duce domitum fuiſſe anno 1344. cujus gentes prædatæ pluries fuerant diſtrictus civitatum Iſtriæ, Ducali Dominio ſubjectarum: porro Albertum Comitem, cum viribus impar eſſet, ſe ultro dedidiſſe Proviſoribus Venetorum Andreæ Mauroceno, & Marino Grimani; denique Albertum Venetias ductum, benigne a Duce acceptum, pacemque Comiti, everſis aliquot ejusdem Caſtris, datam fuiſſe: Proviſores vero pecunia multatos, quod mandata belli ab Senatu, Duceque data non rite eſſent executi.

1345 Fœdus novum inter ſe pacti ſunt Dux Albertus Auſtriacus, & Comites Goritiæ Meinhardus, ac Henricus. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 421.

Inter Ludovicum Imperatorem, & Joannem Regem Bohemiæ (qui Ludovico ob novas Margarethæ nuptias, expulſo Joanne filio contractas, infenſus erat) Bacherachi concordia tentata eſt, ſed irrito conatu. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

1346 Comes Conradus de Maidburg, & Otto de Meiſſau, vades ſe præbent, pro quodam Gugman, Goritienſium ſubdito, & captivo, caventque: eundem nunquam deinceps contra Duces Auſtriæ, & Comites Goritiæ, quidquam facturum. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 654.

Carolus Marchio Moraviæ, Joannis a Margaretha exacti frater, urgente Clemente VIto Papa, contra Ludovicum Bavarum a quibusdam Electoribus Romanorum Rex renunciatur die XI. Julii, ac Bonnæ XV. Novembris coronatur; cum antea XXVIta, vel XXVIIma Auguſti Regnum Bohemiæ adiiſſet, Patre Joanne in pugna Creſſiacenſi ea die occiſo. *P. Joſephus Pichler S. J. in Auguſta quinque Carolorum Hiſtoria in Carolo IVto pag.* 282. *&* 283. *ex Autore Geſtorum Balduini, & ex Alberto Argentinenſi ad hunc annum: Item ex Villani Lib. XII Cap. LXXVII. ex Raynaldi Annalibus Eccleſ. ad hunc annum, & aliis Pugnam Creſſiacenſem die XXVI. Auguſti refert Joannes Schœnfelder miles, Continuator Anonymi Leobienſis, qui eidem pugnæ interfuit. Hier. Pez Tom. I. pag.* 967. *memorat tamen pugnam in alteram diem XXVII. Auguſti duraſſe, qua occiſum Joannem Regem Bohemiæ, ex Anniverſaria die illa, Pragæ celebrari ſolita, colligit P. Pichler, pag.* 280.

1347 Euphemia, Henrici Ducis Wratislavienſis filia, Ottonis Carinthii vidua, hoc anno obiit, ſepulta Merani in Parthenone Stæ Claræ, quod ipſa fundavit. Hanc *Hundii Stemmatographia Bavar. Part. I. pag.* 77. narrationem confirmat Documentum, viſum a Cl. ROSCHMANNO Tabularii Oeniponti cuſtode: quo continentur Ofmiæ Duciſſæ pia legata, ad varia loca, & perſonas, inter quæ Cœnobio, a ſe fundato Merani, XXX. marcas, aliaque jura legavit. *Datum in Ried* 1347.

Carolus Rex Romanorum, & Bohemiæ, tranſcribit Comitibus Goritiæ Meinhardo, & Henrico omnia, ceditque jus ſuum & fratris ſui Joannis ad ea, quæ Comites vel armis, vel pactis in Tyroli ad Atheſim nanciſci poterunt: eadem porro, ut feudum, nomine Imperii, Comitibus prædictis confert. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol* 727. Albertus IVtus fratrum Goritienſium natu major, hic non memoratur; videntur reliqui duo fratres ſeorſim cum Carolo Rege hoc fœdus conſtituiſſe, uti & alias ſeorſim duo fratres aliqua tracta-

ve-

vere. Nam Albertus conſenſum dedit hoc anno, ut Meinhardus conjugi ſuæ Catharinæ aſſignet Caſtra, utrique fratrum communia. *Repertorii Parte II. fol.* 589.

Goritienſibus ita ſibi devinctis, Carolus Rex, pro Joanne fratre Tyrolim recuperaturus, rebus antea per litteras, & legatos clam conſtitutis, mercatoris habitu perſonatus Tyrolim ingreſſus eſt. Ibi receptis ex condicto militibus (quorum plerosque Carrarienſis ſubmiſit Jacobus) Tridentum occupat, Meranum exurit, Tyrolim arcem obſidet. Occurrit illico e Bavaria Ludovicus Imperator, Ludovicum filium defenſurus. Pugna commiſſa Carolus a Ludovico vincitur, & Ulricus Curienſis Epiſcopus in prælio capitur, poſt aliquod tempus libertati reſtituendus. *Balbinus in Epitome Hiſtor. Bohem. Lib. III. pag.* 349. *Vergerius de Vitis Principum Carrariæ, Grævii Tom. VI. Parte III. pag.* 63. *qui Jacobum de Carraria minorem vocat: ſed Cortuſii magnum vel majorem.*)(*Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.* Hoc poſtremum confirmatur Documento relato apud *Burglehner ibidem.* quo Ulricus Epiſcopus ſe certis conditionibus pro libertate obſtringit. *Datum Tyroli* 1347. *in Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.* Meranios Cives (quibus bellica flamma pleraque abſtulit) Ludovicus Comes Tyrolis in ſex annos ab omni cenſu liberat. *Actum Stœrzingen anno* 1347. *in die exaltationis Stæ Cruci-:* id eſt 14. Septembris. *Burglehner ibidem.* Die XI. Octobris Ludovicus Bavarus vitam, adverſis multis exercitam, finivit. *Henricus Rebdorfenſis, & Albertus Argentinenſis ad hunc annum.*

1348 P. Steyerer *in Commentariis pro Hiſtoria Alberti IIdi D. Auſtr. pag.* 148. *&c.* producit Caroli IVti Diploma: *datum Seveld* 1348. *Indict. I. Nonis Junii* (Vta Junii) quo Carinthiam cum reliquis terris Alberto IIdo Duci Auſtriæ, & heredibus confirmat. Idem Imperator eodem anno tollit omnia, a Ludovico Bavaro olim ſancita, quæ Auſtriacis præjudicio eſſe poſſent. *Datum Lincii* 1348, *Feria V. poſt diem Sti Jacobi:* id eſt die XXIV. Julii.

Meinhardus, & Henricus Goritienſes, Caroli Regis fœderati, & ipſi bellum in Tyroli commoverant. Adverſus hos Matthæus Brixinenſis Epiſcopus fœdus conciliavit, ad quod multi Nobiles, Ludovico & Margarethæ opitulaturi, ſua nomina dedere. Tabulas fœderis indicat *Hundius Gewoldi Tom. I. Metrop. Salisb. pag.* 302. *& ex eo Burglehner Lib. XIII. Cap. VI. Datas in Clauſen die Lunæ poſt Stæ Gertrudis* (die XXIII. Martii) *anno* 1348. Goritiæ Comites, hoc audito fœdere, cautiores, inducias cum Ludovico ineunt usque ad diem Sti Laurentii, traditis interea Clauſtris Milbacenſibus. Induciæ ſubinde in ſemeſtre prorogatæ ſunt, ea conditione, ut amborum communi opera Nobilibus de Villanders, qui Ludovico proditionis ſuſpecti erant, bona ipſorum eripiantur. *Burglehner ibidem.*

Cor-

Cortuſii Lib. IX. Cap. XV. pag. 126. Enimvero Engelmarum de Villanders in Februario capitis damnavit Ludovicus Tyrolenſis, propter clancularium cum Bohemica Aula commercium, & alia: ejusdem bona per Conradum Ducem de Deck fiſco Principis inferuntur. *Burglehner ibidem. Albertus Argentinenſis pag.* 144. *Urſtiſii Parte II.*)(*Chronicon Aquil. Patriarcharum IIItium Append. Rubeis pag.* 13. Henricus Comes Goritiæ pro ſe, & fratre ſuo Meinhardo fœdus pangit cum Civitate Auſtriæ, Portu Naonis, & multis Nobilibus, contra quoscunque. Porro Henricum Com. Capitaneum ſibi præfecere Civitatenſes die XXIII. Octobris. Tabulas ea de re produxit *Rdiſi.* P. RUBEIS ex Tabulario Capituli Civitatis Auſtriæ, *Commentar. Aquil. pag.* 906.

Meinhardus Comes Uxori ſuæ Catharinæ, Comitis Ulrici de Pfannenberg filiæ, pro Morgengeba, 3000. marcarum Aquilejenſium aſſignat, ad proventus Dominii Draburg, & aliorum. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 586. & 588. Eadem aſſignatio Meinhardi ad Draburg & Weidenburg rata habetur a Comite Henrico, Meinhardi fratre. *Ibidem fol.* 592. *Datum Viennæ anno* 1348. *die Jovis ante Feſtum Sti Laurentii:* (id eſt die VII. Auguſti.) ſigilla amborum fratrum adſunt.

1349 Ludovicus Tyrolius Carolo IVto Regi conciliatur, ejusque opera Pontifici Clementi VIto ſupplicat: ut ipſe, & Margaretha conſors cenſuris exolverentur, ac matrimonium ipſorum legitimum renunciaretur: diſſoluto antea, aut nullo declarato priore Margarethæ cum Joanne conjugio, quam gratiam & ipſe Joannes jam a Papa petebat. Datur a Clemente in cauſam indagandi poteſtas Patriarchæ Aquilejenſi, vel Ulrico curienſi Epiſcopo, vel utrique, atque jus pronunciandi de nullitate prioris conjugii Margarethæ cum Joanne, ſi tamen prætenſa impedimenta cauſasque veritati conſentaneas invenerint. Ulricus Curienſis examen cauſæ ſuſcipit die XVI. Julii in Monaſterio Stamſenſi. Ipſum ſententiæ dictæ Documentum non extat; ſed rem ex *Litteris* INNOCENTII *VI. P. M.* datis anno 1359. & ex HENRICI REBDORFII Synchroni ſciptoris diſertis verbis, perdocte colligit *P. Steyerer Comment. pro Hiſtor. Albert. II. pag.* 630. *ad* 645. (*Vide etiam Tentam. Geneal. Cap. V. N. XVI. & XVIII. Item Albertum Argent. ad hunc ann. pag.* 151.) qui hæc omnia erudite fuſeque deducit: Matrimonium prædictum nullum eſſe declaratum, potiſſimum ob impotentiam Joannis reſpectu Margarethæ.

Hoc vere & æſtate bellum in Forojulio geſtum eſt a Goritianis, Civitatenſibus, variisque Nobilibus: de Caſtello, & Properto, della Turre, de Porciliis, de Prata, de Prugnera, de Spilimberg, de Villalta, de Coloreto &c. contra Patriarcham Bertrandum, & ſocios Utinenſes, Nobilesque Savorgnanos, de Valvaſono, & de Cuca-

canea &c. Utrinque variæ cædes, populationes, incendia. Induciis impetratis die IIda Decembris Pacem conſtituere nitebatur Guido Bononienſis Cardinalis Tit. Stæ Luciæ, qui tum in Hungariam tendebat; ſed nihil ad Pacem profecit nec hoc anno, nec in Februario, vel ſequentis, ut puto, vel hujus anni, ut habent CORTUSII. *Chronicon Patriarch. Aquil. IIItium in Append. Rubeis pag.* 13. *Cortuſii de Novitat. Paduæ Lib. X. Cap. I. Grævii Tom. VI. pag.* 127. Ludovicus Tyrolius ut *Advocatus Conjugalis* (Ehe-vogt) *Dominæ Margarethæ, Regens Dominus & Provinciæ Princeps in Tyroli &c.* Novam Provinciæ Tyrolis ordinationem Regiminis inſtituere & promulgare cœpit. Tabulas Germanicas profert *Burglehner Lib. XII. Cap. unico*, quarum finis ita habet. *Datum Oeniponte, anno Domini* 1349. *Sabbato primo ante Feſtum Nativitatis Glorioſæ Virginis Mariæ.* Id eſt die V. Septembris. Idem Ludovicus hoc anno Nicolao de Rubain Fiduciario jure concedit villam de Madriſio, cum omnibus bonis, quæ ipſe Nicolaus in ditione Goritienſi, Leontii in Tyroli, & in Forojulio poſſideret. pleno iſthic, Titulo ſequente, uſus eſt Ludovicus: *Nos Ludovicus Marchio Brandeburgenſis, & Luſatiæ, S. R. I. Cubicularius hereditarius, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ & Carinthiæ, Comes Goritiæ, & Tyrolis.* Hæc Charta eſt Goritiæ penes *Excellent. Com.* ATTEMSIUM *Prætorem Goritienſem.* Euphemia de Mætſch, Alberti Com. Goritiæ Vidua, conſentit: ut filius ipſius Meinhardus Uxori ſuæ Catharinæ de Pfannenberg, conſentiente fratre Meinhardi Henrico, pretium contradotis aſſignet ad caſtrum Lyndt, quod Euphemiæ Morgengebæ nomine, obnoxium erat. *Datum die Martis ante S. Bartholomæi* (die XVIII. Auguſti) 1349. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 593. E Tabulario Græcenſi ab Amico excerptum.

1350 Bellum in Forojulio hoc anno continuatum eſt. Menſe Majo iterum Guido Cardinalis Paduæ colloquium de Pace inſtituit inter Patriarcham, & Comitem Goritiæ, præſente etiam Jacobo de Carraria, Domino Paduæ: ſed nihil effectum eſt. Itaque Patriarcha Sacilum, Comes Goritiam reverſus eſt. Die VI. Junii Bertrandus Patriarcha cum armatis Sacilo exiens, invaditur a ſociis & Militibus Comitis Henrici, præſente Domino de Spilimberg, & de Villalta. Concurritur ad locum Archivolt, atque in manus hoſtium Bertrandus incidens quinque vulneribus confoditur. Cadaver Utinum translatum, ibidem hodieque quieſcit, variis a Deo, in teſtimonium Sanctimoniæ Bertrandi, patratis ſignis clarum, & publicæ pietati expoſitum. Ita *Chronicon Patriarcharum Aquilejenſium pag.* 13. *in Append. Rubeis.* Diem VItam Junii, ac Dominicam, huic cædi etiam aſſignat *Necrologium Civitatenſe, citatum a Patre Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 909. quibus duobus plus defero, quam *Cortuſiis fratribus de Novitat Pad. Lib. X. Cap. III. pag.* 128. *Grævii Tom. VI Parte I.* qui VIImam Junii ſcripſe-

re: item Patriarcham perhibent ab aliquo de Villalta interemtum fuiſſe, quod fieri potuit.

Intellecta Beati Bertrandi nece, Albertus Dux Auſtriæ Patriarchatus ditiones, ipſamque Aquilejam, & Utinum interea occupat, excepto Sacilo, quod deditionem recuſavit. Hæc ut *Tutatorem*, non ut uſurpatorem feciſſe Albertum, Auſtriæ, & *Carinthiæ Ducem*, manifeſtum eſt e *Cortuſiis Lib. X. Cap. III. pag.* 129. qui iſta narrant, ſequentibus verbis: („ rebus bene diſpoſitis Patriarchatus, Dux re„verſus eſt in Auſtriam.)

Circa diem VIIIvam Junii Henricus Comes Goritiæ duxit Ziliolam, Jacobi de Carraria, Patavini Reguli filiam. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. XV.*

Die XXIma Septembris a Clemente Pontifice B. Bertrando ſufficitur in Patriarchatu Nicolaus, Caroli Cæſaris frater, Joannis Regis Bohemiæ Nothus. *Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 912.

Hoc anno 1350 die Sancti Gregorii, ſeu XII. Martii, Comitiſſa Ofmein Utehild de Gœrz, nata de Mætſch, conſentit: ut filius ipſius Meinhardus, Comes de Gœrz, Conjugi ſuæ, Catharinæ Ulrici Comitis de Pfannenberg filiæ, aſſignet Contradotem XX. Mill. marcarum Aquilejenſium, ad Caſtrum, quod ipſi Ofmiæ aſſignatum fuerat. *Repertorii Parte II. fol.* 586. *& Parte III. fol.* 963. Videtur Ofmia iſta, Alberti IIItii Vidua, hoc anno obiiſſe; quia in altero ejusdem anni Documento additur ad Nomen Comitiſſæ Ofmein τὸ *quondam*. Vide dicta TENTAM. GENEAL. *Cap. IV. N. XII.*

Meinhardus Comes Goritiæ Conjugi ſuæ, Catharinæ Pfannenbergicæ, Contradotem aſſignat, pro Dote allata 20000. marcarum Aquilejenſium, cum conſenſu fratris ſui Henrici. *Datum Leontii* 1350. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 564.

Comes Ulricus de Pfannenberg Comiti Meinhardo de Gœrz, Genero ſuo, Apocham dat de 1000. marcis Aquilejenſibus, quæ erant Pars contradotis, Catharinæ, Ulrici filiæ, debitæ. *Repert. Parte II. fol.* 630.

1351 Carolus Rom. Rex Viennæ viſitat Albertum, Ducem Auſtriæ, eumque Nicolao Patriarchæ conciliat: Nicolaus die prima Maji datis litteris in Budvveis, confert Alberto Duci, ejus filiis, Rudolfo, Friderico, Alberto, & horum heredibus, in feudum Venzonum, Caſtrum ſuperius in Wippach, & Caſtrum montis Sti Michaëlis. *P. Steyerer Commentar. Alberti pag.* 151. *Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 913. *&c.*

Ni-

Nicolaus Patriarcha XXV Maji Utinum ingreſſus, necem Bertrandi Deceſſoris ulciſci ſtatuit, bello in Goritianos inſtaurato. De hoc ita *Joannes Candidus Commentar. Aquil. Lib. VII. Grævii Tom. VI. Parte III.* („ Qui magna confeſtim vindicta Henricum Noritianum „ Comitem, illosque, qui in Bertrandi mortem conjurarunt, inſe„ cutus eſt. Hi vero multorum militum contracto robore Brande„ burgenſem Marchionem (Ludovicum Tyrolenſem) in auxilium „ advocantes, Regionem incendiis, rapinisque paſſim attrivere. „ Ad eos motus evertendos Antiſtes cum Utinenſibs profectus, ho„ ſtes Noritiam recedere coegit, converſusque in Forojulienſes ad„ verſantes, Porpetium expugnavit, Joannem Franciſcum Porpe„ tanum ex Caprulis, quo confugerat, Utinum ad ſe retractum, „ Capitis ſupplicio affecit.) Similia habet *Chron. Patriarch. Aquil. Appendice Rubeis pag.* 13. addens Armannum de Carnea XVIta Decembris etiam capite plexum fuiſſe.

1352 Belli in Forojulio perdurantis, ita mentionem facit *Chron. III. Patriarch. Aquil. Appendice Rubeis pag.* 13. („ Milleſimo CCC. LII. men„ ſe Januarii Nicolaus Patriarcha deſtrui fecit Caſtrum Tercenti in„ ferioris: Item Dominus Patriarcha deſtrui fecit partem Caſtri de „ Mels, Caſtrum Caſtellerium, & Soffumberg, cujus Dominum „ Henricum ſuſpendit.)

Ludovicus Comes Tyrolis cum Dominis de Scala Veronæ die XXVIII. Martii concordiam iniit, cujus Tabulas produxit *Cl. P. Rubeis pag.* 915. *&c.*

Meinhardus, Comes Goritiæ, cum ſociis Tergeſtinis, Patriarchæ terras invadit. Ita *excerpta ex Hiſtoria* BAUTSCHNERI.

Ludovicus Comes Tyrolis cum Alberto Duce Auſtriæ paciſcitur; quieturum ſe de prætenſionibus ſuis in Carinthiam, & Goritianos Comites, per decennium; ſalvis tamen omnibus partium juribus. *Datum Baaden in Ergau, die Sti Laurentii* (Xma Auguſti) 1352. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 310.

De Pace cum eodem Alberto Auſtrio conſervanda Nicolaus Patriarcha die Ima Octobris agit in conſilio Provinciæ. Tabulas ea de re vide apud *P. Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 915.

Eadem die Ima Octobris Ludovicus, Margarethæ Maritus, novum Tyrolenſium Terrarum regimen publicat, cum conſenſu Ordinum: item novas leges Mechanicorum Tribubus præſcribit. *Datum Merani* 1352. *die Lunæ poſt Sti Erhardi. Burglehner Lib. XII. Cap. unico, & Lib. XIII. Cap. VI.* Subinde ab Auſtriacis Principibus anno 1404. ſub Leopoldo Duce, novum Tyrolis regimen inſtitutum eſt.

Die XVII. Octobris Anna Meinhardi VII. filia nubit Joanni Stephano Com. de Veglia, & Modruſch. Ita *Vetus Rationarium Goritienſe Manuſcriptum.*

1353 Catharina Cilejenſis, Uxor Comitis Alberti IVti de Gœrz, abdicat ſe omni jure in hereditatem, idque cedit fratribus ſuis Comitibus Ulrico, & Hermanno excepto caſu, ſi improles ipſi decederent: E converſo Comites dedere Catharinæ dotem 1600. marcas Aquilejenſes. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 800. Pactis ſuperiore anno cum Alberto Auſtrio, & Comitibus Goritiæ, prætenſionum induciis, & inſtaurata amicitia, ſub anni hujus finem Ludovicus Brandeburgus, Comes Tyrolis, Goritiam venit, & illic Feria Vta ante Thomæ Apoſtoli (die XIX. Decembris) Teſtamentum condidit: quo Margarethæ Uxori, ſi ipſe Ludovicus præmoriatur, in ſuſtentationem aſſignat, Oenipontem, Hallam, Petersberg, & Hertenberg, pleno jure, uti nunc ſunt. Quod ſi Margaretha antea decedat, iſta omnia redeant ad Ludovicum, aut ad filium ipſorum Meinhardum. Tabulas Germanice ſcriptas recitat *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

1354 Litibus exortis inter Nicolaum Epiſcopum, & Ludovicum Tyrolenſem, hic Tridentina Urbe ac diſtrictu Epiſcopum exuit, relicto ſolo in ſacris gubernio, miſitque illuc Præfectum Henricum, Capellanum ſuum, Parochum in Tyrol. Tabulæ Germanice conſcriptæ, quibus Ludovicus huic facto titulum æquitatis quærit ex negligentia Epiſcopi, extant apud *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.* Ludovicus porro Avenionem miſſis Legatis hac de re Papam Innocentium VItum edocuit.

Carolus Cæſar Italiam ingreditur, & Aquilejam ad fratrem, Nicolaum Patriarcham, divertit menſe Octobri: ab eodem Patriarcha accipit partem Vetuſtiſſimi Codicis Evangelii Sti Marci. *Epiſtola Caroli IVti data Feltri die ultimo menſis Octobris, relata ab Hagiographis Bollandianis ad diem XXVtam Aprilis in Commentar. prævio de Sto Marco paragraph. 2. Num. 8.* Inde per Forumjulium profectus, Longobardiam intravit. *Cortuſii Lib. XI. Cap. I. pag.* 139.

Hoc tempore, atque hac occaſione contigiſſe credo, quæ manco anni numero 13--, ita memorantur in REPERTORIO AUSTRIACO: („ Conceſſio Feudi Imperialis a Rege Rom. Carolo IVto, Rege „ Bohemiæ facta Comitibus Goritiæ Alberto, & Meinhardo fratri„ bus.) Die XXIIda Octobris Albertus Dux Auſtriæ cum Ludovico Comite Tyrolis perpetuum Fœdus conſtituit, & cum eodem ſponſalia inter Margaretham, *Juniorem* dictam, ſeu *Auſtriacam*, filiam ſuam, & inter Meinhardum, Ludovici & Margarethæ Tyrolenſis filium. Vide dicta TENTAMINIS GENEAL. *Cap. V. N. XIX. e Guillimanno.*

1355

1355 Ulricus Curienſis Epiſcopus, quod ſe Ludovico Com. Tyrolis, uti promiſerat, non ſtitiſſet, captus per Trautſonium, die Jovis ante converſionem Sti Pauli (die XXII. Januarii) in Tyrol adducitur, ſed paulo poſt liber dimittitur. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

Bellum ab Alberto Com. Goritiæ contra Venetos geſtum, pactisque finitum die XXI. Auguſti, indicant *Excerpta* BAUTSCHNERIANA. Menſe Junio Patriarcha Nicolaus intravit Paduam: eidem Carolus Cæſar commiſit Feltre, & Civie („ ſtatim inter Patriarcham & „ Comitem Goritiæ immenſum odium ſuſcitatur, & bellum. Am„ bo depoſitis armis venerunt Paduam coram magno Franciſco de „ Carraria (Jacobus enim anno 1350. die XXII. Decembris con„ foſſus fuerat) qui electus Arbiter tunc non potuit eorum litigium „ mitigare.) Menſe Septembri Utinenſes, occiſis Patriarchæ miniſtris, eidem introitum in Urbem ſuam negavere. Hæc omnia narrant *Cortuſii Lib. XI. Cap. VI. pag.* 143. *Grævii Tom. VI. Parte I.* Adduntque: pacem a Franciſco Carrarienſi, ut Vicario Imperii, per Legatos fuiſſe impetratam *menſe Martio.* Quod utique de anno ſequente 1356. accipiendum eſſe liquet.

1356 Ludovicus Tyrolius, Marchio Brandeburgi, ad Carolum Cæſarem Norimbergam proficiſcitur, eique Clenodia Imperii tradit: deinde Aquisgranum concedit, ubi cum Duce Juliacenſi, Advocato Aquisgranenſi, lis orta eſt, de præferendo ſceptro Imperii. Res demum ita fuit compoſita: ut in coronatione Brandeburgus, in dandis feudis Juliacenſis ſceptrum præferat. Ita quidem BURGLEHNER ad hunc annum. Sed lis terminata fortaſſe hoc anno fuit; cœpta vero fuiſſe videtur anno 1349. vel 1354. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI. Vide Struvii Corpus Hiſt. German. pag.* 622. *in notis.* Rediit in Tyrolim Ludovicus, ubi Equiti de Planta, & heredibus, quasdam Metalli fodinas conceſſit. *Datum Tyrol feria quinta poſt Martini* (XVII. Novembris) *anno* 1356. *Burglehner ibidem.*

Cum Ludovicus, Hungariæ Rex, ac Margaretha ſenior Tyrolenſis eam controverſiam, quæ de dote olim promiſſa inter eos vertebatur, Alberti (II. Ducis Auſtriæ) Juſtitiæ terminandam commiſiſſet, die ſequenti, Viennæ, IV. Idus (ſeu X.) Januarii ita pronunciavit Albertus: Rex in Ducis fidem deponat florenorum millia triginta, & Tyrnavienſe oppidum eodem tempore tradat Margarethæ. Margaretha vero ante Paſchales ferias proximas producat monumenta, quibus eam dotem ſibi a Rege promiſſam oſtendat, quod ni fecerit, viginti millia Ludovico reddantur, decem Margarethæ cedant: Tyrnavienſis præterea dititionis poſſeſſio eidem permittatur, donec nova ſententia liti finem ponat. Ita *P. Steyerer Commentar. in Hiſtor. Albert. II. pag.* 11. *Cap I. & Append. ad Hiſt. Albert. pag.* 187. *&*

188. Videtur Carolus, Ludovici Hungariæ Regis Pater, caviſſe olim pro Joanne Rege Bohemiæ, ratione contradotis præſtandæ pro Joanne filio, priore ſponſo Margarethæ; & item ratione pecuniæ, quæ promiſſa eſt Henrico Duci Carinthiæ, Patri Margarethæ, ut is omni in Bohemiam jure Joanni Lucenburgico cederet.

1357 Petrus Epiſcopus Curienſis, Rudolfus de Montfort Præpoſitus Capituli, Rudolfus de Veldkirch Decanus, & Capitulum Curienſe aliique Nobiles ſe obligant Ludovico, Conjugique Margarethæ, & heredibus, ad tuenda eorum jura, & poſſeſſiones, ſi quis Tyrolim aggrederetur. *Datum Chur die Sti Thomæ* (XXI. Decembris) *an.* 1357 *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

1358 Ludovicus Tyrolenſis, quod fruſtra hactenus tentaverat, per Carolum IVtum Imperatorem ab Innocentio VIto Pontifice impetravit: ut cenſuris abſolutus, Matrimonii, cum Margaretha iniți, veniam, ac inſtaurationem obtineret. Miſerat anno ſuperiore Albertus Ildus, Dux Auſtriæ (qui pro Ludovico ſe vadem obtulit) & ipſe Ludovicus, Paulum Gurcenſem Præſulem (poſtea Friſingenſem) & Fridericum Comitem Cilejæ, Avenionem ad Pontificem, ut abrogatis Eccleſiaſticæ proſcriptionis ſententiis Ludovicus, & Margaretha ſolverentur, & liceret connubium geminum, ipſius Ludovici cum Margaretha Tyrolenſi, dein Meinhardi, & Margarethæ Auſtriacæ, celebrare. Hac ſubmiſſione placatus Innocentius, hoc anno, III. Idus Aprilis (XI. Aprilis) ad Ortolfum Archiepiſcopum Salisburgenſem, Paulum Gurcenſem Antiſtitem ſupradictum, & Joannem ad Divum Lambertum (id eſt Cœnobium Superioris Styriæ, ſub Regula Divi Benedicti) Abbatem, Litteras dedit, eisque poteſtatem conceſſit, ut Ludovicum, & Margaretham, ſi, quæ inique egerant, deteſtarentur, ac præſcriptas in criminum pœnam leges, a ſe obſervatum iri ſponderent; primum cenſuris liberent, deinde Eccleſiaſtico ritu thoro ſeparatos vivere jubeant: tandem vero ſolutis, quæ obſtabant, legibus, matrimonii ineundi facultate tum hos, tum Meinhardum, ac Margaretham Auſtriacam impertiantur. *Ita P. Steyerer in Commentariis pro Hiſtoria Alberti II. pag.* 29. *Cap. VII. & in Addition. pag.* 615. *ubi Bullam Innocentii VI. adfert.*

Finis hoc anno (ſancita pace Zaræ XVIII. Februarii) bello impoſitus eſt, quod inter Ludovicum Hungariæ Regem, Patriarcham Aquilejæ Nicolaum, Franciſcum de Carraria Paduæ Dominum, Albertum, & Meinhardum Comites Goritiæ, Euſpertum Epiſcopum Cenetenſem &c. ex una parte, & Rempublicam Venetam ex altera Parte diu ſatis vario Marte in Dalmatia, & Italia hactenus geſtum fuerat, Pacis conditiones fuere: Caſtellum maritimum Zaræ, & quidquid inter Durazzum, & medium Quarnerum Respublica poſſidet,

ſidet, Regi Ludovico reſtituantur: Dalmatiæ, & Croatiæ titulo Venetorum Dux abſtineat: Urbem Tarviſium cum omnibus Caſtellis, Regionibus, & pertinentiis Veneti deinceps pacifice poſſideant. Item Caſtella omnia, quæ in Iſtria Venetis Ludovicus abſtulerat, eisdem reſtituat; Veneti e contra Mare, quod Dalmatiam, Ludovico ſubjectam, alluit, a Pyratis immune ſe ſervaturos promiſerunt. Tabulas Pacis produxit *Sanutus in Vitis Ducum Venetorum a pag. 646. ad 651. Muratorii Tom. XXII.*

Die XXI. Julii Belluni vivere deſiit Nicolaus Patriarcha Aquilejenſis. *Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 929.

1359 Nicolao in Patriarchatu ſubſtituitur menſe Majo Ludovicus Turrianus, antea Tergeſtinus, Olonenſis, & Coronenſis Epiſcopus *Rubeis pag.* 931. *Cap. XCV.* Novo cum Patriarcha diſſidia orta ſunt inter ipſum, & Comitem Goritiæ Meinhardum, de Caſtro Tulmini, & Valle, aliisque juribus, ac rebus, quas Eccleſiæ Aquilejenſi a Goritiano reſtituendas Patriarcha poſtulabat. Negavit ſe daturum Meinhardus; cum eadem bona a deceſſore Nicolao Patriarcha pignori ſibi oppoſita fuiſſent. Pro Ludovico Patriarcha ſtabat Pontifex Innocentius VI. qui datis XII. Kal. Julii (XX. Junii) & XIV. Kalend. Septembris (XXI. Auguſti) ad Meinhardum Litteris, eumdem hortatur: ut prædicta bona Eccleſiæ Aquilejenſi reſtituat. *Ughellus Ital. ſacr. Tom. V. pag.* 110. *ex Regeſto Vaticano. Lunig. Cod. Germ. Diplom. Tom. II. pag.* 262. *Sommerſpergius Script. Siles. Tom. III. pag.* 118. His litteris morem geſſiſſe Meinhardum exiſtimat Cl. *P. Rubeis Cap. XCV. pag.* 933. Sed cum autoritas non adferatur, & paulo poſt anno 1363. Præfecti Goritienſes in Tulmino occurrant; de integra, aut conſtante executione ejus reſtitutionis ambigo.

Idem Meinhardus Goritianus paulo ante (nempe XVIII. Jun.) una cum Meinhardo Tyrolenſi, Ludovici, & Margarethæ ſenioris filio teſtis occurrit in Diplomate, quo Rudolfus IV. (Alberti IIdi filius) *Palatinus Archidux Auſtriæ, Styriæ, & Karinthiæ &c.* ſibi miſſam fundavit pro tempore vitæ in vigilia omnium Sanctorum dicendam: poſt mortem vero anniverſarium diem ab Abbate Mellicenſi celebrandum: *Datum, & actum Viennæ in Palatio noſtro Ducali XIV. Kalend. Julii. Anno nativitatis Domini M.CCC.LIX. anno ætatis noſtræ XX. R. P. Philibertus* Hueber *in Auſtria ex Archivis Mellicenſibus illuſtrata Lib. I. Cap. XII. pag.* 83. *&c.*

Redeundum jam eſt ad matrimonii duplicis negotium, anno ſuperiore cœptum, quod Doctiſſimi *P. Steyerer Hiſtor. Albert. II. Cap. VII. pag.* 29. *& Append. pag.* 615. *&c.* verbis ita exſequimur: (,, Verum ,, cum ante ſuſceptam operis executionem morte ſublatus fuiſſet, ,, qui pro Ludovico ſe Pontifici vadem dederat, Albertus II. Auſtria-

„ ſtriacus XIII. Cal. Auguſti, (anni prioris) & IV. Idus Januarias
„ obiiſſet Joannes Fridberger, ad D. Lambertum Abbas; Rudol-
„ fus IV. filius, Patris loco ſe vadem fecit, ſcripſitque ad eun-
„ dem Paulum, tunc Friſingenſium Antiſtitem, & qui Joanni eo-
„ dem hoc anno LVIII. Idibus Februarii ſuffectus erat, Abbatem
„ Petrum de Leobio XVI. Cal. Decembris. Alias dein litteras Ru-
„ dolfus, ac Ludovicus Innocentio miſerunt, ſupplicantes: ut Pe-
„ trum eadem, qua Joannem defunctum, poteſtate inſtrueret; quod
„ nihil moratus Pontifex liberaliter præſtitit, nova Epiſtola ad eum
„ miſſa anno MCCCLIX. II. Idus Aprilis. Suſceptis mandatis Apo-
„ ſtolicis, tam Paulus Epiſcopus, & Abbas Petrus, quam Princi-
„ pes Ludovicus, Rudolfus, Meinhardus, & utraque Margaretha
„ ad Ortolfum Archipræſulem, quem Innocentius ante reliquos Ju-
„ dicem nominarat, Salisburgi convenere Auguſto menſe, ut cum
„ eo totius rei agendæ conſilia agitarent, ac exequendi mandati Apo-
„ ſtolici ordinem ſtatuerent. Ibidem Meinhardo Ludovicus Pater
„ ob nuptias nonaginta florenorum millia, Rudolfus ſponſæ ſorori
„ millia ſexaginta dotem donavit XV. Cal. Septembris (XVIII. Au-
„ guſti) Inde Ortolfo valedicentes, & Monachium digreſſi, cum
„ Antiſtitibus duobus Principibus, curas operi perficiendo intende-
„ runt. Ibi Ludovicus primum, ac Margaritha Tyrolenſis nuptia-
„ tialibus pactionibus, olim factis, renunciare, & ab invicem di-
„ ſcedere juſſi ſunt, dein idem Ludovicus Litteras ſcripſit, quibus
„ & errores priſtinos damnavit, inſigni demiſſionis Chriſtianæ exem-
„ plo, & quam Innocentius delicti pœnam ſtatuerat, a ſe ſubeundam
„ promiſit, Rudolfo Auſtriaco vadimonium obeunte. His acceptis
„ mox Præſules tam Ludovicum, quam Margaretham omnium cen-
„ ſurarum nota liberos pronunciarunt IV. nonas Septembris (II. Se-
„ tembris) & utramque legem ſolverunt, qua iidem Principes, Mein-
„ hardus item, ac Margaretha Auſtriaca, a conjugio prohibebantur.
„ Quare altera die ſeu III. Nonas Septembris (III. Septembris) ma-
„ gno populi tum plauſu, tum frequentia, novum & jam legitimum
„ ſibi matrimonium Ludovicus, ac Margaritha addixere. Utque
„ lætitiæ incrementum fieret, Meinhardo, eorum filio, Margaritha
„ Auſtriaca uxor data eſt.)

Interea, dum hæc Monachii peracta ſunt, Margaretha Senior, a marito Ludovico tum, vel antehac, male tractata, averſo eſſe cœpit a Ducibus Bavariæ animo. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.* Auſtriacis vero, & ſanguine, & recenti affinitate juncta, impenſe favebat. Datis itaque Litteris (haud dubie clam Ludovico, Bavarisque Principibus) Margaretha ſenior Rudolfo IV. Friderico, Alberto, & Leopoldo fratribus, Ducibus Auſtriæ, & heredibus ipſorum, Comitatum Tyrolis, & Goritiæ cum omni jure tranſcribit. *Datum Monachii die Jovis ante Feſtum Beatiſſimæ Virginis in Autumno dum nata fuit* (die V. Septembris) *Poſt nativitatem Chriſti milleſimo trecenteſimo quinquageſimo no-*

nono. Litteras integras adducit P. Steyerer ex Tabulario Oenipontano in Append. ad Hiſtor. Alberti II. pag. 355. Hæ Litteræ, aut Epitome, aut confirmatio fuere aliarum fuſiorum, quarum hic Margaretha meminit, quæ datæ ſunt biduo antea eodem anno, & loco: in his conditio exprimitur ſucceſſionis Auſtriacæ, ſi nulla ex Margaretha & Ludovico proles, ſuperſtes fuerit. Tabulas has ſe vidiſſe, teſtati ſunt anno 1363. Matthæus Brixinenſis, & Joannes Gurcenſis Epiſcopi: Integras eas Tabulas vide apud *Steyererum ibidem pag.* 350. *&c.*

Paulo ante iſthæc, Monachii pertractata, Ludovicus Brandeburgo-Tyrolenſis, & filius ejus Meinhardus, cum Rudolfo IVto Duce Auſtriæ fœdus ſanxit. *Datum Salisburgi die aſſumptionis B. V. Mariæ* (XV. Auguſti) *anno* 1359. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 447.

Domini de Arco publicis tabulis profitentur: Ludovicum Marchionem Brandeburgenſem, & Comitem Tyrolis, ab ſe agnoſci ut verum Dominum, cui, & heredibus ejus, dominioque Tyrolenſi, veram fidem & obſequium ſpondent. *Datum anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo nono, indictione duodecima, die Mercurii, ſexto menſis Novembris Tridenti in contratta Merchati &c. Lunig. Cod. Germ. Diplom. Tom. II. Sectione XI. pag.* 789.

Meinhardus Comes Goritiæ, ſub anni hujus 1359. finem, Viennæ degebat, uti comprobant tabulæ duplices a Rudolfo IVto Duce Auſtriæ Viennæ edita, quas indicat *Cl. P. Kanſizius Tom. I. German. ſacr. pag.* 466. Prioribus tabulis Friderico de Kreysbach confertur hereditarium munus ſupremi in Auſtria Venatorum magiſtri: dies deeſt. Poſterioribus confirmatur Civibus Leytæpontanis immunitas vendendi Vini, e propriis vineis collecti. *Datum Viennæ Dominico poſt Stæ Luciæ:* id eſt XV. Decembris. Chartam priorem Ludewig *Reliq. MS. Tomo IVto pag.* 289. integram exhibet, etiam ſine die.

1360 In Carinthiam ad Rudolfum IV. Auſtrium veniſſe tres fratres, Comites Goritiæ, nos docet Diploma Rudolfi, quo confirmat donationem, olim ab Ottocaro Imo, Styriæ Duce, factam Abbati, & Monaſterio Sti Salvatoris, omniumque Sanctorum in Millſtat. *Datum apud Sanctum Vitum, in die Sancti Gregorii* (XII. Martii) *anno* 1360. Teſtes ſubſcripſere inter ceteros Albertus, Meinhardus, & Henricus, Comites Goritiæ, & Meinhardus Tyrolenſis, Margarethæ ſenioris filius. Documentum produxit *Joannes Petrus a Ludewig Reliquiarum Manuſcriptorum Tom. IV. pag.* 178. *Lib. III. Diplomatar. Admont.* Notatu hic dignum eſt: ſolum e Goritianis Albertum *Palatinum Comitem Carinthiæ*, omiſſo *Comitis Goritiæ* titulo, ſubſcriptum legi, quo fratres notantur juniores. Iisdem titulis iidem Comites Goritienſes hoc anno Viennæ ſubſcripſere Diplomati Rudolfi IV. Ducis Auſtriæ: id recitatur in Pancharta, ſerius edita, Wilhelmi Ducis Auſtriæ, qua ſuo, & Alberti Ducis minorennis, nomine, confirmat

vetera privilegia Abbatiæ B. V. Mariæ ad Scotos Viennæ. *Datum Viennæ die Mercurii poſt diem Stæ Luciæ* (XIII. Decembris) *poſt Chriſtum natum* 1404. Rudolfi IVti vero recitatum Diploma: *Datum Viennæ, proxima feria quarta ante diem S. Margarethæ* (die III. Junii) *poſt Chriſti nativitatem milleſimo trecenteſimo ſexageſimo &c. Rdmi Marquardi Hergotti Mon. Dom. Auſtr. Tom. I. pag.* 237. *in Auctario.* Hermannus, Margarethæ ſenioris filius, nominatur in Litteris Caroli IVti Cæſaris, quibus eidem Margarethæ Cæſar ſe adſtiturum promittit. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 599. Hermannus iſte aut paulo poſt, cum nuſquam deinde occurrat, aut certe ante matrem obiit.

1361 In Forojulio, cum alioqui terminus induciarum appetteret, factarum inter Duces Auſtriæ, & Nicolaum Patriarcham: porro Auſtriaci vim illatam quererentur; Bellum exarſit, de quo ita *Chron. III. Patriarch. Aquil. Append Rubeis pag.* 14. („ Die XIII. Auguſti applicuerunt DCCC. homines armigeri in Forojulio apud Villam novam, prope Caſtrum Carpaci, quos D. Dux Rodulphus Auſtriæ miſerat ante ſe, ad damnificandum Patriam Forijulii apud Villam novam, prope Carpacum: pro eo, quod illi de Glemona, & de Prambergo acceperunt Seluſam, & damnificaverunt Venzonem, & quia mercatores Domini Ducis per illos de Prambergo, de Civitate, & de S. Daniele derobati fuerunt - - - Die XXIX. Auguſti Domini Duces Auſtriæ, D. Rodulphus, & Federicus applicuere Goritiam cum magna comitiva numero quatuor millia equitum.) cetera belli hujus ex BAUTSCHNERO, & MATTHÆO VILLANI vide apud STEYERERUM *Comment. pro Hiſtor. Alberti pag.* 327. *&c.* qui etiam *pag.* 329. tabulas pactorum Ludovici Patriarchæ cum Auſtriacis Ducibus refert; *Datum in campis juxta caſtrum noſtrum Tagn - - - die XV. menſis Decembris anno* 1361. *indictione quarta decima:* quibus arbitrium cauſæ defertur Carolo Cæſari, & Rudolfo Duci.

Interea die XXIIda Septembris Goritiæ contractus matrimonii ſtabilitus eſt a Rudolfo Auſtriaco, & Meinhardo Goritiano, inter Leopoldum Auſtrium, Rudolfi IVti fratrem, & Catharinam Meinhardi filiam; Meinhardus dotem filiæ ſpondet 10000. libras argenti, poſt mortem ſuam ſolvendas: Rudolfus pro Morgengeba, & contradote totidem promittit. *Datum Goritiæ die Sti Mauritii anno* 1361. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 564. Accedit Charta Rudolfi IVti, qua pro fratribus ſuis Friderico, Alberto, & Leopoldo ſe obligat: eorum ſingulos, ubi per ætatem proprium ſigillum nacti fuerint, eodem munituros litteras contractus matrimonii inter Ducem Leopoldum ipſorum fratrem, & virginem Catharinam Comitis Meinhardi de Gœrz filiam. *Datum die Sabbati ante Sti Michaelis* (XXVta Sept.) *anno* 1361. Ex Autographo Græcenſi adnotavit Cl. ROSENTHALIUS.

Por-

Porro in hoc, vel ſimili altero documento Meinhardus Comes aſſignat omnes ſuas terras Ducibus Auſtriæ, ſi ipſe ſine herede maſculo decederet: eo tamen pacto, ut filiabus honeſta conjugia procurentur. Charta hæc in REPERTORIO AUSTRIACO notatur, *Parte II. fol.* 588. *Vide P. Steyerer pag.* 332. cui ſubjungitur altera, qua Rudolfus Dux die XXV. Septembris 1361. ſe obligat ad petendam ſuis ſumptibus a Pontifice diſpenſationem pro hoc matrimonio. *Datum Portulatiſana Sabbato ante S. Michaelis* 1361. Autographum eſt Græcii.

Rudolfum Ducem poſt hæc Venetias profectum eſſe, inde VIII. Octobris Goritiam rediiſſe, ac biduo in Forojulio moratum, Auſtriam repetiiſſe, memorat *Chron. Patriarch. Aquil. Append. Rubeis pag.* 14. Die XVIII. Septembris mortuus eſt Ludovicus Bavarus, Marchio Brandeburgi, Comes Tyrolis, in Zorngolting, prope Monachium, ſepultus in Sellingthal, quod eſt cœnobium monialium Landishuti. *Necrologium Sellingthalenſe apud Steyerer pag.* 651. Reliquit unicum poſt ſe filium Meinhardum, ut probabilius eſt, cujus tutelam varii ambiere: Ulricus Abenſpergius Comes cum Nobilibus Laber, & Stein, qui mortui Ludovici voluntate ſe id facere contendebant: item Rupertus ſenior Palatinus, & Stephanus Dux Bavariæ Landishutanus, cum filiis ſuis: Denique & Albertus IIItius Auſtriacus tutelam captabat. Promptior Abenſpergius monachio abducit Meinhardum, Norimbergam tendens; ſed inſequentem Stephanum Ducem cum ægre effugerent, ſubinde in via a ruſticis Voburgi agniti, avehuntur Ingolſtadium. Denique a Stephano Duce monachium ductus Meinhardus, paulo poſt elabitur, atque Octobri menſe ad Margaretham matrem in Tyrolim properat. Ita *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.* Cum in Bavaria etiamnum eſſet Meinhardus, Oenipontanis civibus privilegia confirmavit, uſus titulo, *Marggravii Brandeburgi, & Luſatiæ, Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, & Carinthiæ, Comitis Tyrolis & Goritiæ. Datum Waſſerburgi XXIX.. Septembris anno* 1361. *P. Steyerer Collect. Docum. MSta Tom. VI. N.* 57. *& Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

In Tyroli Meinhardus, cum utraque Margaretha, matre, & conjuge, Comitia Provinciæ, quibus non interfuere Eccleſiaſtici, indixit, habuitque. Tridentinas ob turbas Meinhardus ſacris prohibitus erat, eaque cauſa Præſules, & Curiones Comitiis abſtinuere. Sub anni finem Bavariam repetiit Meinhardus; extat enim documentum ab ipſo: *Datum Monachii, Dominica ante S. Andreæ* XXVIII. Novembris) *anno* 1361. Hæc ex *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.* ad hunc annum 1361. retuli ob nexum rerum, & Chartarum: alii 1362. poſuere: *Henricus Rebdorfius ad annum* 1362. *& alii apud Steyerer Commentar. pro hiſt. Al-*

berti pag. 658. etsi illic potius de sequelis agatur earum rerum, quæ anno 1361 gestæ sunt ob tutelam Meinhardi.

Margaretha, Alberti IIItii Goritiensis filia, uxor Comitis Rudolfi de Ortenburg, donat fratri suo Comiti Meinhardo de Gœrz, illos 200. florenos, ad quod ipsa jus ratione cujusdam feudi habuit. *Repertorium Austriacum Parte II. fol. 633.*

1362 Die VII. Januarii nempe die Sti Valentini, Landspergæ in Bavaria, cœnobio, & ecclesiæ Reitenburgensi privilegia confirmat Meinhardus, qui, præter Tyrolim, Bavariæ partem hereditariam possidebat. *Steyerer pag. 667.* Eundem Meinhardum a ministris quibusdam hoc anno e Bavaria, non sine astu aliquo, vel violentia, abductum fuisse, jam tamen certo isthoc anno majorennem (quippe qui circa annum 1343. natus sit) variis documentis comprobat Doctissimus *R. P. Steyerer Commentar. pro histor. Albert. II. in additionibus pag. 660. &c.* Inter quæ sunt litteræ civium Monachii, Wasserburgi, & Landspergæ, *datæ die Dominica post inventionem Stæ Crucis* (die V. Maji) *anno Domini* 1362. His litteris cum lamententur cives abductum Dominum suum Meinhardum; inde conficitur: id ante mensis Maji initium contigisse. Enimvero jam ante Aprilis initium Meinhardum Viennam Austriæ profectum fuisse discimus ex Pancharta *Rudolfi IV. Palatini Archiducis Austriæ*, qua monasterio Stæ Crucis Austriæ inferioris confirmat privilegia concessa a Friderico II. & Rudolfo I. Cæss. & Alberto Austriæ Duce. Inter testes („ Illustris Princeps „ Meinhardus Marchio Brandeburgi, superioris Bavariæ Dux, & „ Comes Tyrolis, fororius noster chariſſimus: item nobiles viri, „ avunculi nostri dilecti, Albertus Palatinus Comes Carinthiæ, Mein„ hardus Comes Goritiæ - - - - - Datum Viennæ Kal. Aprilis, an„ no Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, ætatis „ nostræ XXIII. regiminis vero IIII. *Marquardus Hergott monument. Augusst. Dom. Austr. Tom. I. pag. 232. & 233.*

Albertus & Meinhardus Goritiani etiam antea Viennæ testes occurrunt in Charta ejusdem Rudolfi IV. in qua Canonicis ad Stum Hippolytum gratias impertit. *Datum Viennæ in vigilia annunciationis B. V. MARIÆ* (seu die XXIV. Martii) *anno* 1362. *P. Steyerer pro Alberti histor. pag. 343.*

Meinhardum denique Goritiensem etiam sub finem hujus anni Viennæ commoratum fuisse, ostendunt bina Rudolfi IVti Diplomata, quibus Meinhardus subscripsit: Alterum *die Jovis ante Stæ Catharinæ*, seu XXIV. Novembris. Alterum *die Sabbati ante Festum Sti Nicolai:* id est IIItia Decembris. Extant apud P. *Steyererum pag. 346. & 350.*

Die XXV. Novembris Catharina de Pfannenberg marito suo Meinhardo Goritiano plenam potestatem facit recipiendi ipsius Catha-

tharinæ paternam, & fratrem hereditatem. *Datum Gœrz die Stæ Catharinæ* 1362. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 592.

Redeamus ad Meinhardum Bavaro-Tyrolenſem. Is Vienna in Tyrolim redux, *die Dominica ante Feſtum omnium Sanctorum* (XXX. Octobris) ſigillum ſuum tradidit Domino Joanni Præpoſito Brixinenſi in præſentia Ulrici Advocati de Mætſch, Henrici de Rotenburg (quem Capitaneum in Montanis renunciaverat) Petermanni de Schenna, Friderici de Greffenſtein, Ulrici Fuxen, Hildeprandi de Fyrmian, & Hainrici Schnelman. Denique Henricum Parochum Tyrolis, Præfectum Tridenti anno 1354. a Ludovico Patre creatum, ob malam adminiſtrationem, bonis omnibus mulctat Meinhardus, atque ex iis Prunbergam donat Ulrico de Mætſch. *Datum Tyrol, die Lunæ poſt Martini* (XXIV. Novembris) *anno* 1362. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

Die ultima Decembris hujus anni (error vel videtur eſſe in menſis nomine, in apographo Chartæ, forte corrigendus: *Novembris* vel omittendus *Fridericus* Auſtriacus, qui obiit ineunte Decembri) Rudolfus, *Fridericus*, Albertus, & Leopoldus Duces Auſtriæ, item Meinhardus Dux Bavariæ, & Comes Tyrolis (ſed non ipſe præſens) cum Ludovico, & Caſimiro, Hungariæ, & Poloniæ regibus unionem, & fœdus ſtabiliunt contra quoscunque terrarum ſuarum, vel heredum invaſores, etiamſi regali, & imperiali fulgeant dignitate. *Datum & actum Poſonii: ultima die menſis Decembris, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo.* Inter teſtes Meinhardus de Goricza, Palatinus Carinthiæ e ſæcularibus primus occurrit. *P. Steyerer pag.* 333. *&* 335. *cujus adnotationem ibidem vide. Georgiſch in Regeſto Diplomatico omittit Fridericum Auſtriacum, ſed contra fidem librorum quos citat, quosque inſpeximus.*

Urſula, Meinhardi Goritiani filia, uxor Comitis Heinrici Schaunburgii, hereditatem ſuam paternam, & maternam cedit fratribus ſuis, (naſcituris credo) & ipſorum prolibus, Ducibusque Auſtriacis. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 565. Nempe ob pacta ſucceſſionis Domus Auſtriacæ in terras Goritienſes, anno ſuperiore cum Meinhardo inita.

1363 Meinhardus Dux Bavariæ Comes Tyrolis, Margarethæ ſenioris, & Ludovici filius, die XIII. Januarii Meraniæ obiit. *Epiſtola Margarethæ matris, cujus verba retulimus Tentaminis Genealog. Cap. V. N. XIX. Burglehner Lib. XIII. Cap. VI. P. Steyerer Comment. pro biſtor. Alberti pag.* 668. *&* 669. *Veneni a Margaretha matre propinati ſolus Villanius meminit & Adelzreiterus apud Steyererum loco citato.* Die XVII. Januarii Margaretha ſenior cum proceribus: Ulrico de Mætſch juniore, Comite Egone de Tubingen, Ulrico de Mætſch ſeniore, Hainrico de Rottenburg &c. conſtituit: nihil ſe absque illorum conſilio in gubernio

facturam. *Datum Meraniæ die III. ante Sebaſtiani* 1363. Triduo poſt, Comitatum Tyrolis Margaretha regendum comittit Ulrico de Mætſch juniori die Sti Sebaſtiani: etiam Meraniæ actum. P. STEYERER *p* 355. *&c.*

XXVI. Januarii eadem Margaretha ſenior (memor eorum, quæ anno 1359. monachii Auſtriacis promiſerat) Bolzani in præſentia ordinum Provinciæ, Rudolfo Duci Auſtriæ, qui aderat, & fratribus, ac heredibus Comitatum Tyrolis cum jure in Goritiam, ita tranſcripſit: ut ipſa, quoad viveret, Auſtriacorum nomine Provinciam adminiſtraret, ejusque proventibus gauderet: Rudolfus vero eandem, ſuosque adverſus hoſtes protegeret. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI. & VII. Item P. Steyerer hæc fuſe pertractat a pag.* 356. *ad* 364. *ubi integra documenta adfert.*

Die IIItia Februarii Margaretha Litteras Germanicas edit, quibus acceptat fœdus, eique accedit, quod Meinhardus ipſius filius pepigit cum Ludovico Hungariæ, & Caſimiro Poloniæ regibus, & cum Ducibus Auſtriæ. *Datum Bozani feria ſexta poſt feſtum Purificationis,* 1363.

Die VII. Februarii proceres Tyrolenſes variis gratiis Margaretha ſenior donat. Antonio de Arco gratiam facit exilii, quo ob homicidium damnatus erat. *Datum Tyrol die VII. menſis Februarii anno* 1363. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VI.*

Reliqua ad Tyrolim pertinentia his Doctiſſimi STEYERERI verbis exprimemus: („ His feliciter peractis exceſſit quidem Tyroli Auſtriacus; at ſeu muliebris animi inconſtantiam metueret, ſeu, quod „ præſens commodum futuro præhaberet multa arte, induſtriaque „ uſus eſt, queis Margaritham pelliceret, ut, quibus jus Principatus contuliſſet, eos ad poſſeſſionem quoque vivens illico admitteret. Nec irrita fuit ſolicitudo, utriusque enim conſenſu negotium datum eſt arbitris, Provinciæ ordinibus, ut, quo tempore „ quibusve conditionibus id fieri conveniret, pro poteſtate pronuncient. Hi conſilio coacto tandem IIItio Idus Septembris (XI. „ Septembris) edixere: Tyrolim omnem quamprimum Auſtriacis „ ditionibus pleno jure adnumerandam eſſe: in Margarithæ vero poteſtate, ut dignitatam decenter ſuſtineret, manſura caſtra quatuor „ Grieſs, Amraſs, montem S Martini, & Stein in Tyroli; In Bavaria vero oppidum Clingen, cum caſtellis Waſſerburg, Kueffſtein, Kitzbüchl, & Rattenberg: his Duces addent ſexies mille „ auri marcas Bremenſes. Quod ſi & Bojcas poſſeſſiones a morte „ Margarithæ occupare velint, onus diſſolvendi æris alieni, ab ea „ contracti, in ſe recipiant. Subſcripſit his omnibus Rudolfus, jam „ ante in Tyrolim redux, nihilque eorum neglexit, quæ vel ad emolumenta, vel honorem Margarithæ, ſeu ex lege, ſeu ſua magnanimitate ſuadente, facere videbantur: quod ipſum profeſſa eſt in lit-

„ litteris, quibus non multo poſt, Kalendis ſcilicet Octobris, Me-
„ raniæ donationem factam confirmat, bonorum Bojcorum eosdem
„ Duces, ac Margaritham Nurum, heredes ſcripſit, ſimulque cum
„ iis fœdus erexit perpetuum. Rudolfo igitur novo Principi Sacra-
„ mentum dixere ſtatus omnes: Bolzanenſes cives, ac Oenipontani
„ peculiaribus litteris id præſtitere. Dux primus regiminis curas im-
„ pendit indemnitati Tridentinæ Eccleſiæ, ac diſſidiis, quæ prædе-
„ ceſſores foverant, componendis &c.) Litteræ concordiæ exaratæ
ſunt Tridenti die XVIII. Septembris. *P. Steyerer Commentar. pro Hiſtor. Albert. II. Cap. III. pag.* 22. *& in additionibus a pag.* 358. *ad* 365. *& pag.* 367.

Sub finem anni Margarethæ ambæ Viennam conceſſere. Ibidemque cum honore habitæ ſunt. *P. Steyerer pag.* 371. *&c. ex pluribus Auctoribus, ubi & alios ſcriptores Auſtriacis, & Margarethæ honori infenſos refutat.*

Rudolfum Auſtriacum, etiam ante plenam Tyrolis ceſſionem a Margaretha factam, ea exercuiſſe, quæ Principis regentis ſunt, adnotavit *Burglehner Lib. XIII. Cap. VIII.* Nempe in feſto Purificationis B. V. (II. Februarii) Brixinæ a Matthæo Epiſcopo feuda accepit ſuo, & fratrum nomine: Eodem die, Andreæ, & Bertholdo de Hoheneck Tyrolenſia quædam feuda Rudolfus ipſe impertiit. Die VI. Februarii a Petro Curienſi Epiſcopo inveſtitus eſt juris fiduciarii bonis Brunnæ die Stæ Dorotheæ. Paulo poſt Tridentina feuda ab Alberto Epiſcopo obtinuit.

Cum Meinhardo Comite Goritiæ Rudolfus Auſtriacus nova pacta iniit; ut ſi ipſe Meinhardus, Alberto fratri (qui prolibus deſtitutus erat) ſuperſtes fuerit, ditiones Alberti obtineat: ſi vero Meinhardus, ante fratrem Albertum, absque filio deceſſerit, tum Auſtriaca domus Alberti heres eſto. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 421.

Die XIV. menſis Decembris, in Caſtro Goritiæ, in Stupa magna ſuperiori, Catharina, Meinhardi Goritienſis uxor, Canonicis Civitatenſibus, & Ludovico Patriarchæ ſatisfecit de controverſiis circa poſſeſſionem Tulmini, ac de decimis; qua de re tabulas protulit *Cl. P. Rubeis pag.* 935. in quibus hæc leguntur: („ Magnifica D.
„ D. Katerina, Goritiæ, & Tyrolis Comitiſſa, dante, ſolvente, &
„ ſatisfaciente, ſuo proprio nomine, nec non vice & nomine Ma-
„ gnifici & Potentis D. D. Meinhardi ejus mariti, Goritiæ ac Ty-
„ rolis Comitis &c.) Apocha die ſequente *XV. Decembris*, a Capitulo Civitatenſi data eſt Catharinæ, & Meinhardo; inventa eſt in Tabulario Græcenſi. Alias tabulas apud eundem *P. Rubeis pag.* 938. legimus ſine anno quidem, ſed haud dubie huc pertinentes, quibus fœdus & amicitiam inſtaurat Ludovicus Patriarcha, cum Meinhardo Comite Goritiæ, *in pleno & generali colloquio in caſtro Utini.* In his quo-

quoque mentio fit de juribus vindicatis Comiti Alberto fratri ſuo, ejusque heredibus (ſi qui fuerint) maſculis, ſi Meinhardi linea deficeret. Hæc pacta oppoſita fuiſſe videntur illis, quæ Meinhardus Goritienſis paulo ante, anno 1361. cum Auſtriaca domo conſtituit. Sed mox anno ſequente Albertum ipſum cum Auſtriacis paciſcentem videbimus.

1364 Henricum IIItium Comitem Goritiæ, poſt initium hujus, vel ſub finem præcedentis anni obiiſſe, arguit conventio inter Comites Meinhardum, & Albertum, qua partiuntur hereditatem, relictam a fratre ſuo Henrico, de Leontii ditione. *Datum Mitterburch: die octava natæ Virginis* (XV. Septembris) *anno* 1364. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 425.

Carolus Imperator Auſtriacis conciliatus, ob novam affinitatem, qua nempe Margaretha junior Meinhardi Tyrolii vidua, ſponſa deſignata eſt Joannis Marchionis Moraviæ, antea mariti qualiscunque Margarethæ ſenioris, confirmat die VIII. Februarii Brunæ in Moravia die Jovis poſt Stæ Agathæ ceſſionem Tyrolis factam a Margaretha ſeniore. *P. Steyerer Commentar. pro Hiſtor. Albert. pag.* 373. *&c. Burglehner Lib. XIII. Cap. VII.*

Circa diem XXVI. Februarii, aut hac ipſa, celebratæ ſunt prædictæ nuptiæ inter Joannem fratrem Caroli Auguſti, & Margaretham Auſtriacam. Extant quippe binæ litteræ, *datæ Viennæ die Lunæ poſt Dominicam qua cantatur oculi, anno* 1364. quibus hæc Margaretha declarat: ſe contentam eſſe dote, quam accepit, a Rudolfo IVto & fratribus: ceditque omni jure in ſuperiorem, & inferiorem Auſtriam. Alteris litteris hæc omnia confirmat iisdem *anno, loco, die. P. Steyerer ibidem pag.* 670 *&c. Integras litteras adfert.*

Die octava Maji Ludovicus Romanus, & Otto, Duces Bavariæ, fratres Ludovici, olim mariti Margarethæ ſenioris, cedunt Rudolfo Auſtriaco, & fratribus omne jus ſuum in Tyrolim. *Datum Budiſſin die Mercurii poſt inventionem Stæ Crucis anno* 1364. *P. Steyerer Commentar. pro Hiſtor Albert. pag.* 391.

Attamen Albertus, & Stephanus ſenior, fratres Duces Bavariæ, & hujus filii Stephanus, Fridericus, & Joannes, Tyrolim genti ſuæ ereptam, concoquere non poterant; quare conventu Landishuti coacto, bellum in Auſtriacos decernunt: ac fœdere ſeſe colligant, cujus tabulæ inſcriptæ ſunt: *Datum Paſſavii proxima die Jovis ante exaltationem Stæ Crucis* (die XII. Septembris) *anno* 1365. *P. Steyerer Commentar. pro Hiſtor. Albert. pag.* 394. *Tabulas fœderis integras produxit.* Bellum etiam illico cœptum eſſe *Burglehner Lib. XIII. Cap. VII.* perhibet; ſed Tyroli a Goritianis ad Auſtriacos translata, id perſequi, non eſt noſtri inſtituti.

An-

Ante Bavaricos hos tumultus Albertus Com. Goritiæ, & Tyrolis, Comes Palatinus Carinthiæ, Advocatus Eccleſiarum Aquilejenſis Tridentinæ, & Brixinenſis Duci Auſtriæ Rudolfo, Alberto, & Leopoldo, atque horum heredibus, cedit Comitatum Goritiæ, Iſtriam, Metlicam, Leontium, vallem Puſtrinam, Palatinatum Carinthiæ, omnesque ſuas terras, & jura his pactis: ut, ſi Albertus ſine proli-bus decedat, iſta omnia cedant Auſtriacis: quod ſi Meinhardus Comes, frater Alberti, improlis decedat, ejus terras Albertus poſſideat ad dies vitæ, aſt nomine Auſtriacorum Principum, & eorum favore: ita tamen, ut ex illis terris nihil alienetur, ſine conſenſu Auſtriacorum: Auſtriaci tota ſua potentia aſſiſtant Alberto: ejus contracta apud Judæos nomina diſſolvant: denique Catharinæ, Meinhardi uxori, dotem integram præſtent. &c. *Datum Viennæ die Jovis poſt Stæ Petronellæ* (die IV. Junii) *anno* 1364. *P. Steyerer Tabulas exhibet ex Archivo Viennenſi pag.* 399.

1365 Die IIItia Aprilis, anno 1365. indictione III. Utini in Patriarchali Palatio concordiam init Ludovicus Patriarcha cum Meinhardo Goritiæ Comite, eique confirmat, & auget jura Advocatiæ Aquilejenſis, pro ſe, & fratre ſuo Alberto, ac utriusque heredibus maſculis. Subſcripſere multi Eccleſiaſtici, & Nobiles, Documentum hoc poſſidet *Excell. Comes* SIGISMUNDUS ATTEMSIUS; fragmenta inde refert *P. Rubeis monument. Aquil. pag.* 938. Item ejus meminere *Excerpta* HANSIZIANA *ex Hiſtoria MSta Bautſchneriana*, ad hunc annum.

Die XXIII. Aprilis, literis in Carinthia editis, Albertus Goritiæ Comes incolis Iſtriæ confirmat privilegia provincialia, & feudalia, ob ipſorum fidelitatem & merita. *Datum Neumarkt in Mætling, die Martis ante S. Georgii*, 1365. Eademque Marchiæ Vinidorum, & Mætlingæ privilegia comprobat, ob fidelia obſequia ſibi, & majoribus præſtita. *Diploma Germanicum utrumque extat apud Lunig. in Archivo Germaniæ Imperii, Parte ſpeciali, Contin. I. Tom. II. §. 4. de Auſtriacis terris N.* 118. *a pag.* 195. *ad* 198.

Otto Welzer pro Præfectura Heunburg litteras cautionis dat Meinhardo Comiti Goritiæ. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 534. *In Repertorio ſcriptum erat:* Henrico, *loco Meinhardo; ſed admotavit P. Steyerer: Henricum Meinhardi fratrem jam anno* 1363. *obiiſſe.*

Albertus Comes Goritiæ promittit ſe Capitaneum in Iſtria conſtituturum, qui juret ſe obſervaturum tractatus cum Auſtriacis. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 566. *Vide dicta præcedente anno.*

Ludovicus Patriarcha obiit XXX. Julii: ſucceſſor ab Urbano V. Papa datus eſt Marquardus, Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus. *P. Rubeis pag.* 939. 941.

Rudolfo IV. Auſtriaco XXVI. Julii mortuo, Bavari rurſum Tyrolim invadunt: occurrunt Auſtriaci itinere per Goritienſem agrum

ſumto. Carolus IV. Imperator Mediolano mandata mittit: armis poſitis, jure rem agerent. *Burglehner Lib. XIII. Cap. VII.*

1366 Die XIV. Januarii Merani mortua eſt Margaretha junior, Alberti II. Ducis Auſtriæ filia, primum uxor Meinhardi, Comitis Tyrolenſis, deinde Joannis Marchionis Moraviæ. *Necrologium Gemnicenſe apud Steyerer Commentar. Alberti II. pag. 683. locum obitus Meran ponunt Putſchius, & Burglehner, qui tamen Margarethas duas confudere quoad annum.*

Die XIX. Aprilis, Dominica, cum Patriarcha Aquil. Marquardus prima ſacra ſolennia perageret, eidem pro more *Suffragia*, ſeu Dona obtulere Epiſcopi, Magnates, Communitates, Prælati &c. Tabulæ, ſed hiantes lacunis, editæ in fine *Operum* PAULINI AQUILEJENSIS, relatæ a *Cl. P. Rubeis pag.* 943. & 944. ita habent inter *Magnates & Communitates: - - - Comes Croatiæ: Comes Goritiæ - - - Communitas Tergeſti tres cuppas cum pedibus: D. Comitiſſa Goritiæ - - - - -*

1367 Catharina Comitiſſa, Meinhardi uxor, litteras oppignorationis duorum prædiorum in Mirtzick, tradit Domino Ritshardo de Turn *Repert. Auſtr. Part. II. fol.* 445.

1368 Comes Meinhardus, controverſiæ ſuæ, cum Auſtriacis dirimendæ, terminum profert a feſto aſſumptionis Mariæ, ad Sti Michaëlis. *Repertor. Auſtr. Parte III. fol.* 566.

Idem Leontii Carmelitis ſua reſtituit: qua de re Documentum extare docent *Excerpta* HANSIZII *e MSta Hiſtoria* BAUTSCHNERI.

1369 Tabulæ concordiæ datæ ſunt Schærdingæ in Bavaria anno 1369. die S. Michaëlis, ſeu penultima Septembris; iis Stephanus ſenior, & Albertus fratres, Ducesque Bavariæ: item Stephanus, Fridericus, & Joannes, Stephani ſenioris filii, Duces Bavariæ &c. poſt varia bella, pacem ineunt cum Ducibus Auſtriæ Alberto, & Leopoldo fratribus, eisdemque cedunt ſuas poſſeſſiones, & prætenſiones in Tyroli, certis conditionibus, inter quas ſingulariter cavet Joannes Dux: ſeſe (ubi Meinhardi Comitis Goritiæ filiam duxerit) nullo modo pro ſe & heredibus quidquam ratione Tyrolis moturum, neque ab aliis moveri paſſurum. *Diploma totum, Germanice ſcriptum, habetur in P. Steyerer Comment. pro Hiſt. Alberti, in Addit. ad Cap. III. pag.* 396. *meminit hujus etiam Gerardus Roo Annal. Auſtr. Lib. III. pag. m.* 108. Vide annum 1372.

Margaretha ſenior, vulgo Maultaſch, Henrici Regis Bohemiæ, & Ducis Carinthiæ filia, obiit Viennæ, Octobri menſe, circa diem III. Vide dicta ex *Necrologio Minorit. Vienn. & aliis*, TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. V. N. XX.*

1370 Meinhardus VII. Com. Goritiæ filiæ ſuæ Urſulæ, conjugi Comitis Henrici de Schavvenberkh, ſeu Schauenburg, Dotem præbet Caſtra Schœneck, Neuenhaus, & Uttenſtein in Valle Puſtrina quoad dominium utile, *Datum Leontii die Dominica poſt S. Margaretha* (die XVI.

XVI. Junii) *anno* 1370. Hæ litteræ diſciſſæ ſunt, extantque in Tabulario Aulico Græcenſi. *Relata in Repertor. Auſtr. Parte II. fol.* 590.

Idem Meinhardus alteri filiæ Euphemiæ (Offmein) Datis litteris itidem Leontii die eadem XVI. Junii, dotem præſtat aſſignatis arcibus Belgrad, Neuburg, & Haſsberg. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 592. Maritus hujus Euphemiæ nos latet.

Denique eadem die & loco Catharinæ uxori Meinhardus pro Morgengebæ, & Contradotis debito ſecuritatem aſſignat ad caſtra Virg, Heunfeld, Traburg, Lind, Rotenſtein &c. Hæc tria documenta Amicus e Tabulario Græcenſi adnotavit.

Ducibus Auſtriæ ſpondet Meinhardus Comes Goritiæ, ſe eisdem, quando id petierint, ad fidem pactorum, cum Tribunis ſuis præſto, & ſubſidio aſſuturum. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 567.

1372 Nuptiæ celebrantur circa Novembris initium, inter Joannem Ducem Bavariæ: & Catharinam Goritienſem, Meinhardi VII. filiam; Utinenſes pro nuptiali dono mittendum craterem argenteum decernunt V. Novembris. *M. Anton Nicoletti codic. MSto apud Rubeis pag.* 959.

1373 Henricus Com. Cilejæ, cum Meinhardo Goritiæ Comite, affine ſuo, fœdus init, dum viverent, duraturum. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 428.

De nuptiis conciliandis inter Comitem Wilhelmum, Comitis Ulrici mortui Cilejenſis filium, & Eliſabetham Com. Meinhardi Goritienſis filiam, tractatur a Patruo Wilhelmi ſponſi, Comite Hermanno de Cileja, qui ſpondet ſe petiturum diſpenſationem a Pontifice: anno 1373. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 590.

Meinhardus Comes in hac transactione addicit: ſe intra triennium filiam ſuam Eliſabetham conjugem traditurum, cum dote 300. marcarum Aquilejenſium, Comiti Wilhelmo, Ulrici Cilejenſis filio. *Datum Villaci die Veneris ante diem Sti Galli*; (die XIV. Octobris) *anno* 1373. *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 801. Extat in Tabulario Græcenſi.

1374 In REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. fol.* 468. notantur Tabulæ, quibus Meinhardo VII. Comiti Goritiano Domina Margaretha, nata de Pfannenberg, Comitiſſa de Ortenburg, & ſoror hujus, Comitiſſa (Goritiæ, Meinhardi uxor) Catharina tradunt Greiffenburg, Summeregg, & annexos reditus ad Kellerberg, aliasque prætenſiones: quas habent ab Ortenburgicis exigendas.

Die XVII. Martii jam ut mortuus citatur Albertus IVtus in litteris Hermanni Comitis Cilejæ: item in aliis Catharinæ Comitiſſæ viduæ Alberti IVti. *Datis XX. Martii anno* 1374. Vide dicta TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. XV.*

Controverſias enatas de Dominiis Haberberg, & Juching, inter Paulum Friſingenſem Epiſcopum, & Comitem Meinhardum de Gœrtz, arbiter diremit Fridericus Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni. *Datum in Reichenhall die Mercurii ante Feſtum S. Martini Epiſcopi* (die VIII. Novembris) *anno* 1374. *Lunig Tom. II. Cod. German. Diplom. pag.* 879. *ad* 884.

1375 Meinhardum Comitem Goritiæ hoc anno, menſe Julio, Viennæ Auſtriæ fuiſſe, docet nos Diploma Caroli IV. Imperatoris, quo Carolus, pertinentes ad Capellam Aulæ Viennenſis, eximit a jurisdictione omnium judicum, tribus exceptis: *Datum Viennæ anno Domini* 1375. *VI. Kal. Auguſti* - - - Inter teſtes ſpectabiles ſubſcripſit: *Meinhardus Gortzenſis Comes. Epitomen Diplomatis refert. R. P. Philibertus Hueber, in Auſtria ex Archivis Mellicenſibus Illuſtrata Lib. I. Cap. XII. pag.* 82.

Joannes Henricus, Joannis Bohemiæ Regis filius, olim maritus Margarethæ ſenioris, ſubinde etiam Margarethæ junioris (quæ fuerat antea uxor filii Margarethæ ſenioris) hoc anno die XIII. Novembris poſtremam lucem aſpexit. *Vide Cap. V. N. XIX. Tentam. Geneal.*

1376 Hermannus Comes de Cileja amice componit controverſiam cum Cognato ſuo Comite Meinhardo IIItio Goritienſi, de loco Waidenberg, aliisque in diſtrictu Leontii redemtis olim ab ipſo Meinhardo, & ab affine ſuo Comite Alberto pie defuncto. *Datum anno* 1376. *die Mercurii poſt Nativitatem Chriſti:* id eſt die XXIX. Decembris. *Repertorii Auſtriaci Parte II. fol.* 426.

Marquardus Patriarcha adverſus Venetos fœdus init cum Ludovico Rege Hungariæ die XXI. Jan. *Rubeis pag.* 952. & 953.

1377 Albertus Dux Auſtriæ ſententiam fert, ut arbiter, inter Comitem Hermannum de Cili, & ſororem hujus Catharinam, Joannis Truchſes de Waldpurg uxorem, viduam Alberti V. Comitis Goritiæ, cum de iſtius dote, tum de contradote C. Alberti, unde oppignorata habet quædam in Auſtria. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 801.

1378 Bellum Aquilejenſes adverſus Venetos gerunt, etiam Goritienſibus fœdere ſociatis Marquardo Patriarchæ. *P. Rubeis pag.* 953. *ex Auctore additam. II. ad Hiſtor. Cortuſiorum, ex Careſino, continuat. Danduli. Et ex Chinutio Muratorii Tom. XV.*

1379 Meinhardus Comes Goritiæ conjugi ſuæ Utehild (de Mætſch) Morgengebæ titulo donat 4000. florenos, aſſignando eos ad caſtrum, & Præfecturam Greiffenberg: reſervata, poſt obitum amborum, redemtione Ducibus Auſtriæ Alberto & Leopoldo. *Datum Luenz auf der Pyrkk, die* (XII. Novembris) *Veneris ante S. Gertrudis, anno* 1379. *Repert. Auſtr. Part. II. fol.* 589.

Marquardus Patriarcha, in Tabulis datis 1379. die XVI. Maji, Utini in Parochiali Palatio, memorat: quanta expenderit pro recupe-

peratione diſtrictus, & caſtri Tulmini, quod Comes Goritiæ (Meinhardus) detinebat &c. *Rubeis pag.* 952. Sed ea detentio Tulmini præcedentium annorum alicui videtur convenire, nempe ab anno 1366. circiter.

1380 Ab Henrico Goritiano venditas eſſe nonnullas villas Salisburgenſi Archiepiſcopo, notat ad hunc annum *Lazius de migrat. Gentium pag.* 174. Hoc ſi verum eſſet, conſtaret anno 1380. etiam vixiſſe Henricum III. Meinhardi VII. fratrem, de cujus mortis anno nihil invenimus. *Lazius* Joannem Henricum vocat, quod non obeſt, quin idem ſit cum Henrico III. Comite Goritiæ.

1381 Marquardus, Patriarcha Aquilejenſis, decedit III. Januarii; deinde die XI. Februarii Urbanus VI. Papa Cardinalem Philippum Alenzonium *Commendatoris* titulo, Aquilejæ præfecit: hoc adnitente Pax ſancita eſt die VIII. Septembris inter Venetos, & Aquilejenſes. *Rubeis pag.* 955. *&* 961. *&* 964.

1382 Leopoldus, Dux Auſtriæ, promittit filiæ ſuæ Eliſabethæ, conjugi (ſeu ſponſæ) Henrici IV. Com. Goritiæ, dotem ſe aſſignaturum ad Portenau (Portum Naonis) annó 1382. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 586. *& tractationis nuptialis ibidem ſimile documentum fol.* 590. *ubi Dos deſignatur* 32000. *floren. Item aliud ſimile fol.* 592. *ubi diſerte additur de Leopoldi Ducis filia Eliſabetha: poſtquam ea ætatem nuptiis maturam attigerit.* E converſo Meinhardus VII. Comes Goritiæ, ſpondet nurui ſuæ, filii ſui Henrici ſponſæ Eliſabethæ, filiæ Leopoldi (Probi) Ducis Auſtriæ, pro contra dote ſe daturum 45000. florenos, aſſignatione facta ad Portulatiſana. *Repertorii Parte III. fol.* 567. Denique Leopoldus Dux Auſtriæ orat & monet Com. Meinhardum Henrici Patrem, ut quoniam Leopoldus ipſe filiæ ſuæ Eliſabethæ dotis pacta, de Portenau aſſignando, impleſſet; idem faceret Meinhardus, pactam aſſignationem ad Portulatiſana perficiendo. *Datum Knittelfeld die Martis ante S. Galli* (die XIV Octobris) *anno* 1382.

Idem Meinhardus VII. Comes Goritiæ Clero oppidi Leontii in Tyroli Privilegia hoc anno conceſſiſſe dicitur apud *Bautſchnerum in Hiſtoria MSta.*

1385 Die III. Maji vivens Meinhardus conſentit, ut conjux Utehild de 5000. florenorum Morgengebæ ſuæ, ad caſtrum Greiffenberg aſſignatæ, libere diſponat. *Datum Heunfels die Mercurii poſt Philippi & Jacobi anno* 1385. Idem Meinhardus die VI. Maji conſtituit ſuarum prolium Tutores, Joannem Epiſcopum Gurcenſem, & Fridericum Com. de Ortenburg. *Datum Heunfels die S. Joannis, ante Portam Latinam anno* 1385. Hæc duo documenta ab amico communicata ex autographis deſumpta ſunt. Meinhardus Comes Clero oppidi Leontii nova privilegia concedit. *Bautſchnerus in Hiſtoria Goritiæ MSta.* Dies deeſt.

Meinhardum VII. Comitem Goritiæ hoc anno obiiſſe, oſtendimus ex præmiſſis, & aliis duobus documentis in TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. XVI.* Uno ex REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. pag.* 853. quo vivens mandat hoc anno Præfecto in Schvvarzenek, ut obediat Genero ſuo Comiti Joanni de Vegel, & Modruſch: Altero ubi de partitione hereditatis *defuncti Meinhardi* hoc item anno agit Joannes Gurcenſis Epiſcopus, Tutor filiorum Meinhardi, Henrici IV. & Joannis Meinhardi, cum Joanne Duce Bavariæ & uxore ejus Catharina, filia Meinhardi Comitis defuncti; prætendente Bavaro tertiam partem hereditatis. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 568. Wenceslaus Rex Rom. Litteris datis 1385. in Burgleims, Joanni Duci Bavariæ confert feudum Comitatus, Dominii &c. quæ ex hereditate Catharinæ uxoris, Comitiſſæ Goritiæ, ipſum contigere. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 458.

Jam ab anno 1381. diſſidia fervebant in Forojulio: Utinum, & alia oppida adverſantur Philippo Alenzonio Cardinali, Commendatori Aquilejæ: Civitatenſes Auſtriæ ei obſequuntur; circa vernum tempus diſſidia in bellum erumpunt, hoc eodem anno 1385., & in ſequentem usque duraturum. *P. Rubeis Cap. C. & CI. a pag.* 963. *ad* 971.

1386 A Cl. ROSENTHALIO communicata ſunt fragmenta Litterarum, quibus fit mentio Nobilis olim Comitis de Gœrz Alberti, & Nobilis Catharinæ, ejus conjugis, Comitis Friderici de Cili, piæ memoriæ, filiæ, quæ hic appellatur uxor Joannis de Truchſeſs, cui ſecundis votis ſociata fuit.

Joannes Dux Bavariæ, cum uxore ſua Catharina Goritienſi, (Meinhardi VII. & Catharinæ Pfannenbergicæ filia) ex una parte, & ex altera Joannes Epiſcopus Gurcenſis, nomine Henrici, & Joannis Meinhardi Pupillorum ſuorum, fratrum Catharinæ Bojcæ, partiuntur inter ſe hereditatem maternam, a Catharina Pfannenbergica relictam, de qua hactenus controverſiæ inter utramque partem enatæ, neque dum plene conſopitæ fuerant. *Actum Hallæ in Inthal, feria ſexta ante Dominicam reminiſcere* (id erat XVI Martii littera Dominicali G) *anno* 1386. *Totum Documentum Germanice ſcriptum habetur in Collect. MSta Documentorum P. Antonii Steyerer Tom. VI. pag.* 66.

Sub Philippo Alenzonio, Patriarchali Commendatore, adeo multæ turbæ, diſſidia, & bella exorta ſunt; ut Urbanus VI. P. M. Ferdinandum, Nobilem Hiſpanum, Patriarcham Jeroſolymitanum, Virum prudentem, Aquilejenſi Eccleſiæ præfecerit, eo titulo, quem ipſe ſibi tribuit in documento, quo diſcordantibus inducias imperat, quod *P. Rubeis monument. Eccleſ. Aquil. pag.* 972. affert, a COMITE FLORIO acceptum, hoc initio: („ Ferdinandus, miſeratione Divina Patriarcha Jeroſolymitanus, Aquilejenſis Eccleſiæ, & Patriæ Forijuli-

„ julii Rector, Defenſor, & Gubernator, ac ipſius Eccleſiæ in Spiri-
„ tualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, per Sedem Apoſto-
„ licam ſpecialiter deputatus, & conſtitutus.

Petrus de Lind litteris teſtatur: commiſſam ſibi eſſe Præfecturam a Joanne Epiſcopo Gurcenſi, Tutore Comitum Goritienſium Henrici, & Joannis Meinhardi. *Repert. Auſtriacum Parte II. fol.* 549.

Sizo de Althaim abdicat omnem titulum juris, quodcunque habuit in arcem Belgrad, idque facit in manus Joannis Epiſcopi Gurcenſis, qua Tutoris Goritienſis. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 641.

1387 Litteræ reverſales Joanni Epiſcopo Gurcenſi, Tutori Goritienſium Comitum, datæ a Volckero de Canal, Burggravio in Dorimberg, de redemtione unius allodii in Plekenau pro 40. marcis. Anno 1387. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 452.

Joannes junior, Burggravius de Maidburg, & Comitiſſa Utehid, ejus uxor (vidua Comitis Meinhardi VII.) conveniunt Joannem Gurcenſem Tutorem Comitum Goritiæ, de debito 4000. florenorum. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 629. Vide infra ad annum 1389. Die XXVII. Novembris ab Urbano VI. P. M. Patriarcha renunciatus eſt Joannes, Marchio Moraviæ, Caroli IV. Cæſari filius illegitimus. *Rubeis monum. Aquil. pag.* 977. & 980.

1388 Litem exortam eſſe inter Comitem Henricum IV, (ſub tutela poſitum) & Comitem Hugonem de Montfort, de prætenſione ad arcem Heunburg, & dimidiam partem de Greiffenberg, ob Hugonis uxorem Margaretham de Pfannenberg, memorant aliquot litteræ, indicatæ in *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol.* 86. Huic controverſiæ mox finis impoſitus eſt; nam Margaretha Comitiſſa de Pfannenberg, & ejus maritus Comes Hugo de Montfort, abdicant, ac cedunt Comitis Meinhardi de Gœrz filiis omne jus, quod habebant ad arces Heunburg, & Greiffenberg, quia acceperunt pro ſua prætenſione 2000. libras numorum Viennenſium. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 642. Hæc prætenſio orta eſt, a Catharina de Pfannenberg, Meinhardi VII. priore uxore, de qua annis 1327. & 1349. &c. dictum eſt; ejus ſoror hæc Margaretha fuiſſe videtur, & heres inſtituta, vel legato donata.

1389 Comes Joannes junior de Maidburg, & uxor ejus Utehild, Comitiſſa de Mætſch, mater Comitum Henrici, & Joannis Meinhardi de Gœrz, (ex priore marito Meinhardo VII.) dant apocham Joanni Gurcenſi Epiſcopo, Tutori dictorum Comitum, de acceptis 6000. florenis, pro dote, ac hereditate dictæ Comitiſſæ. Anno 1389. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 629.

1391 Die Sti Albani Martyris, ſeu XXI. Junii, obiit Catharina, uxor Ducis Joannis Monacenſis, filia Meinhardi VII. Comitis Goritiæ.

Vi-

Vitus Arenpeckius Chron. Bajoar. Lib. V. Cap. 67. Bern. Pez Anecdot. Tom. III. Parte III. pag. 437.

Bonifacii Papæ IX. auctoritate, & conſenſu Comitum Goritiæ, Jacobus Abbas Roſacenſis ſubmotus, Abbatia extincta, & commenda erecta eſt, conceſſaque Petro Cardinali de Prato. *Excerpta Cl. Hanſizii ex Bautſchneri MSta Hiſtoria Goritiæ, & Iſtriæ.*

1392 Comitiſſa de Vegil (Veglia) & Modruſch, nata de Gœrz (Anna nomine) convenit Joannem Gurcenſem Epiſcopum, Tutorem Goritienſem, de ſua Dote, de qua ſcripta pacta olim ipſius Pater Meinhardus VII. ſervabat. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol. 629.*

In REPERTORIO AUSTRIACO Duces Bavariæ Comitibus Goritiæ (Henrico & Joanni Meinhardo) addicunt: effecturos ſe, ut etiam ſoror ipſorum Regina Romanorum conſentiat in venditionem tertiæ partis Domini Goritienſis pro centum millibus florenorum, cum abdicatione juris hereditarii. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol. 567.* Duces Bavariæ ſunt Erneſtus, & Wilhelmus, filii Joannis Ducis Monachienſis, & Catharinæ, filiæ Meinhardi VII. Goritienſis, a qua (uti ad annum 1386. oſtendimus) quædam Goritianorum bona acceperunt Bavariæ Duces; porro ſoror erat dictorum Ducum Sophia, Wenceslai Romanorum Regis uxor.

Eliſabetha, Leopoldi III. Probi, Ducis Auſtriæ, filia, Henrici IV. Comitis Goritiæ ſponſa prima vel uxor, hoc anno obiit, ad Stum Stephanum Viennæ ſepulta. *Haſelbach. pag. 815. Hier. Pez Tom II.*

1393 Joannes Epiſcopus Gurcenſis, Tutor Juvenum Comitum Goritiæ Henrici & Joannis Meinhardi, confert Præfecturam aliquam, imperato pretio 160. librarum Viennenſium. Hæc tantum in *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol. 554.*

1394 Joannes, Epiſcopus Gurcenſis, *Tutor Henrici, & Joannis Meinhardi Comitum de Gœrz*, ad petitionem Joannis Meinhardi, Henrico de Cormono confert feudum Territorii unius Canipæ ſitæ in Curtina minori Villæ Cormoni, Comitum Goritiæ juribus feudalibus reſervatis. *Datum in Caſtro noſtro Strazburg, die octava menſis Aprilis. Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto. Tabulas integras a Comite Attemſio communicatas edidit. P. Rubeis pag. 1046.*

Menſe Junio jam Tutela liberum fuiſſe Henricum, non item Joannem Meinhardum, conficit *Charta data Viennæ in ſolſtitio* (ſune vvenden) *Repertorii Parte III. fol. 570.* qua Henricus Com. Goritiæ, pro ſe & Comite Meinhardo fratre ſuo, nondum majorenni, apocham dat Duci Alberto Auſtriaco, cognato ſuo (Oheim) de acceptis 74144. florenis Hungaricis, quibus redimat terras, homines, & jura, ab Affine ſuo Duce Bavariæ, qui eadem ſita in diſtrictu Goritienſium, cum ipſorum damno, hereditate obtinuerat.

Du-

Duces Auſtriæ Albertus, & ejus filius Albertus, ac ejus Patrueles, Wilhelmus Leopoldus, Erneſtus, & Fridericus fratres, omnes Auſtriæ Duces, mutua pacta incunt cum Comite Henrico & Comite Joanne Meinhardo de Gœrz: ut ſi Ducum Auſtriæ ſtirps maſcula antea extinguatur, Goritiani obtineant Carnioliam, Iſtriam, & Mætlingam; contra ſi Goritianorum antea nullus heres maſculus ſuperſit, tum Auſtriacis cedat Principatus Goritiæ, Palatinatus Carinthiæ, & Leontium in Tyroli ſitum. Datum anno 1394. *Documentum extat Viennæ in Archivo Cæſareo, cujus Epitomen exhibet Repertorium Auſtriacum Parte II. pag.* 421. Inſtaurata deinde ſunt hæc pacta, uti per decurſum videbimus.

In caſtro Utini, die XII. Octobris Joannes Patriarcha occiditur, ab iis, qui Friderici Savorgnani necem, (de qua ſuſpectus habebatur Joannes) vindicare conſtituerunt. *Rubeis pag.* 984. *&c. ex Chronico Aquilejenſi, & aliis notitiis.*

Joannes Epiſcopus Gurcenſis diſponit, ut poſt mortem ſuam caſtrum Heumburg (quod accepit a Comitibus Henrico, & Joanne Meinhardo, ob damna, quæ pertulit, & ob ſumtus, Tutelæ tempore factos) recidat ad Comitatum Goritiæ. *Datum Baden in Auſtria die Mercurii poſt Feſtum S. Petri & Pauli Apoſtolorum* (die prima Julii) *anno* 1394. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 555. Sub hujus anni medium aut finem videtur Epiſcopus Gurcenſis etiam Tutelam Joannis Meinhardi abdicaſſe, eamque geſſiſſe frater natu major Henricus.

1395 Bonifacius IX. Pontifex maximus Antonium Cajetanum, Romanum, die XXVII. Januarii Patriarcham Aquilejæ renunciat. *Rubeis pag.* 986. *&c.*

1398 Wenceslaus, Romanorum, & Bohemiæ Rex, Henrico, & Joanni Meinhardo, Comitibus Goritiæ fratribus, confirmat Palatinatum Carinthiæ cum omnibus eidem ab antiquo competentibus juribus. *Collect. MSta Document. P. Antonii Steyerer Tom. I. pag.* 397.

Iisdem Comitibus Henrico, & Joanni Meinhardo de Goritia, litteras cautionis dat quidam Eberl Oberhaimer dictus von Buech, ſe præſtiturum equum armatum vice obſequii, pro bonis, quæ ipſi reſtituerat Comes Meinhardus VII. Pater Comitum prædictorum, quæque bona uxori ſuæ ipſe aſſignarit &c. *Datum Luenz die SS. Simonis & Judæ* (die XXVIII. Octobris) *anno* 1398.

1400 Utehildis (vidua Meinhardi Goritiani) litteras dat ſuo, & mariti nomine, ad ſuos e priore matrimonio filios, hoc titulo: *Nobilibus & illuſtri loco natis, dilectis filiis noſtris, Comiti Henrico & Com. Joanni Meinhardo fratribus, Comitibus Goritiæ & Tyrolis.* Subſcriptio ita habet: *Joannes DEI gratia Sacri Rom. Imperii Burggravius in Maidburg, & Comes in Hardekk, & Utehild, ejus uxor eadem gratia Burggravia & Comitiſſa ibidem. Datum die S. Andreæ* 1400. ita *Collectanea Geneal. Roſenthalia-*

liana. In REPERTORIO AUSTRIACO *Parte II. fol.* 596. notantur Comitis Hermanni de Cileja & in Seger Litteræ contrahendi matrimonii inter filiam ſuam Eliſabetham, & Comitem de Gœrz Henricum. In eodem *Repertorio Parte III. fol.* 803. refertur Charta Henrici Comitis Goritiæ, de contrahendo matrimonio inter ſe, & Comitiſſam Eliſabeth, Comitis Hermanni Cilejenſis filiam, cum Dote 12000. Ducatorum. *Datum Villaci Sabbato ante feſtum Purificationis B. V. Mariæ* (ultima Januarii) *anno* 1400. Vide dicta *Cap. IV. N. XXII. Tentam. Geneal.*

1402 Antonio Cajetano Cardinalibus S. R. Eccl. adſcripto, Bonifacius IX. P. M. Antonium de Portu Gruario, Epiſcopum Concordienſem, renunciat Patriarcham Aquilejæ. *P. Rubeis pag.* 990. *ex Ughello, & Chronico Aquilejenſi.*

1404 „ Die XVII. Martii, in pleno Conſilio Civitatis Auſtriæ deputati „ fuerunt, ut vadant ex parte Communis illuc Goritiam, ad reci„ piendum D. D. Joann. Meinhardum Comitem Goritiæ, Vigilius „ & Petrus de Frumentinis. *Ita habet M. Antonius Nicoletti in Hiſtoria MSta Civitatis Auſtriæ, apud Rubeis pag.* 1046.

1405 Conſenſus Henrici, & Joann. Meinhardi Comitum Goritiæ, ut Henricus uxori Eliſabethæ Cilejenſi de Morgengeba & contradote aſſignationem facere poſſit 6000. aureorum, ad Rabenſtein, quod non dum diviſum erat. Vice mutua Joann. Meinhardo liceat uxori ſuæ Magdalenæ, natæ Duciſſæ de Bavaria, ſimilem aſſignationem 6000. aureorum facere ad Caſtrum Greiffenberg in Carſto, adjectis nonnullis aliis conditionibus, ſi diviſio nova fieret, vel alteruter moreretur. *Datum Luenz: anno* 1405. *Dominica invocavi quadrageſima:* ſeu die XXIX. Martii.

1406 Die duodeviceſima Octobris ſuſcepta eſt Henricum inter, & Joannem Meinhardum fratres diviſio (haud dubie nova poſt exortas lites) Paternæ hereditatis per arbitros, cavetque Henricus, ſe arbitris, dicta libere ſententia, ea de re non fore infenſum. *Litteræ Henrici Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 555 *Idem aliud Document. in Collect. MSta P. Antonii Steyerer Tom. VI. fol.* 68.

1407 M. ANTONIUS NICOLETTUS *in Hiſtoria MSta Civitatis Auſtriæ, apud Rubeis Monumenta Aquilejenſia pag.* 1047. narrat: Hoc anno Henrico Comiti, & uxori in Civitatem Auſtriæ venturis, Xenium decretum eſſe ab ejus urbis ſenatu. Vide, quæ diximus *Cap. IV. N. XXII. in* TENTAMINE GENEALOGICO ubi dubitavimus, an non loco MCCCCVII. ſcribi debeat anus annus.

Gregorius XII. P. M. In Civitate Auſtriæ Synodum celebrat, Piſanæ appoſitum. *Rubeis ibid. Cap. CVI. p.* 1013. *&c. fuſe toto fere Capite.*

1408 & 1409 Turbæ ingentes in Forojulio, ac Diœceſi Aquilejenſi extitere, ſub duobus Patriarchis, uno Antonio de Ponte (quem Gregorius

XII.

XII. P. M. recens inſtituit) cui adhærent Civitatenſes: altero Antonio de Portu Gruario (anno 1408. depulſo ab eodem Gregorio XII.) cuifideles ſeſe præſtant Utinenſes. *Vide P. Rubeis Cap. CV. pag.* 1003. *&c.*

1410 In Forojulio fervet Bellum, dum Fridericus Comes ab Ortenburg, Vicarius Imperii a Wenceslao, & Ruperto Auguſtis, conſtitutus, favet Civitatenſibus, & Ludovico Duci Techio, ab arce Teck in Suevia ita dicto, candidato pro Patriarchatu, contra Antonium de Portu Gruario, & Utinenſes. *Colligitur ex Epiſtola Antonii de Portu Gruario, allata a P. Rubeis pag.* 1032.

1411 & 1412 E duobus *Antoniis*, de Patriarchatu contendentibus, alter *de Portu Gruario* 1411. Cardinalium numero adſcribitur: alter *de Ponte* Pontificum Auctoritate extruſus eſt; ita vacante ſede Aquilejenſi, anno 1412. die VI. Julii Ludovicus e Ducibus de Teck ſeu Deck, Sigismundo Hungariæ Regi, & Electo Imperatori chariſſimus, a Canonicis poſtulatur. *Rubeis pag.* 1037. Romæ ſubinde confirmatus eſt anno 1417. vel ſequente.

1412 De nuptiis Henrici IVti Comitis Goritiæ cum Eliſabetha, Hermanni Comitis Cilejenſis filia, probabiliter hoc circiter anno celebratis, vide dicta *Cap. IV. N. XXII.* TENTAM. GENEAL. Eliſabethæ promiſſa contrados 32000. fioreni. *Datum Goritiæ, die Martis poſt S. Corporis Chriſti* (die XX. Junii) *anno* 1412.

Menſe Novembri recrudeſcit bellum Sigismundi Cæſaris contra Venetos, in Forojulio, Marchia Tarviſina, Dalmatia, & Iſtria, Ducibus Sigismundi Philippo (ſeu Pipo) Florentino: & Vicario Forijulii, a Sigismundo iterum confirmato, Friderico Comite Ortenburgico. Fuſius hæc narrat, & probat Cl. P. RUBEIS *in Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis pag.* 1033. *&c.*

Ludovicum Patriarcham, Patriarchatus Dominiis nomine Sigismundi Cæſaris, hoc anno inveſtitum eſſe ab Henrico IV. Comite Goritiæ, e BAUTSCHNERI *Hiſtoria MSta Cl. P. Marcus* HANSIZIUS adnotavit.

1413 Aprili menſe Induciæ factæ ſunt per annos V. inter Sigismundum R. Hungariæ, atque electum Imperatorem, Marchionem Mantuæ, & Patriarcham Aquilejæ ex una parte: ex altera inter Rempublicam Venetam, Marchionem Ferrariæ, Malateſtas Arimini Dominos, & Triſtanum Savorgnanum. *Sanuti Vita Mich. Steno Ducis Venet. pag.* 879. *Muratorii Tom. XXII.*

1415 In *Collectaneis Genealogici MStis Perill.* ROSENTHALII, notatur: Sententia Curiæ Sigiſmundi Imperatoris, de Controverſia inter Comites Goritiæ Henricum & Joannem Meinhardum ex una: ex altera parte inter Joannem Burgravium de Maidburg & Comitem de Hardek, ratione boni, quod ipſius Burggravii uxori Utchild, datum eſſet

Socero Comite Ulrico de Mœtſch. *Datum die Lunæ poſt Theophoriam* (die III. Junii) 1415.

1418 Pernicioſum Aquilejenſis Eccleſiæ ſtatui bellum denuo exarſit menſe Aprili inter Lupovicum Patriarcham, & Rem P. Venetam; ea cauſa, quod Illuſtriſſ. Savorgnanorum Familiam Patriarcha Utinum recipere detrectaret. *Sanuti in Vita Thomæ Moccenigo Ducis Venetiarum pag.* 921. *Muratorii ſcript. Ital. Tom. XXII. Chron. Forojul. pag.* 19.

1419 Veneti Legati, miſſi ad Sigiſmundum Cæſarem, & Regem Hungariæ, fautorem Patriarchæ, ut de pace tractarent, in reditu ad Villacum a Caſtellano quodam Ducis Auſtriæ intercepti ſunt. Miſit illico Senatus ad Ducem Auſtriæ Erneſtum, item ad Comitem Goritiæ Henricum (IV.) & ad Burggravium Norimbergenſem, ut liberationem Legatorum procurarent. *Sanutus ibidem pag.* 924.

Henricus, Goritiæ Comes, bello Aquilejenſi Patriarchæ adverſus fuit, quantum colligo ex nexu narrationis *Sanuti pag.* 926. Is Comes poſt XII. Aprilis hoc anno cum CLXX. Equitibus, LXV. Furlanos ex inſidiis intercepit. Eundem Henricum Comitem Goritiæ in bello (Patriarchæ Ludovici) contra Venetos captum fuiſſe, adnotavit, ex BAUTSCHNERI *Hiſtoria MSta Cl. P. Marcus* HANSIZIUS. Sed alibi id non invenio.

1420 Utinenſis Urbs a Venetis obſeſſa, cum Patriarcha Ludovicus Teckius opem non ferret, ultro ſe dedit Senatui Veneto VI. die Junii, cum majore parte Forijulii. *Chron. Aquil. Append Rubeis pag.* 19. SANUTUS ſcribit *pag.* 933. *Muratorii Tom. XXII.* VII. Junii Venetos eam Urbem intraſſe.

1422 Ludovicus Patriarcha cum Hungaricis copiis extrema tentans in Forojulio, Manzano & Roſazio captis, cedere cogitur Venetis potentioribus. *Chronicon Aquilejæ pag.* 19. *Append. P. Rubeis.*

Extant in REPERT. AUSTR. tria Documenta de pactis Nuptialibus inter Joannem Meinhardum C. Goritiæ, & Dominam Agnetem de Pettau, Friderici ſororem. In *primo dato die Veneris poſt Paſcha* (ſeu die XVII. Aprilis) *anno* 1422. præter Dotis, & Morgengebæ negotia, occurrit Nuptiarum conciliator Eberhardus Archiepiſcopus Salisburgenſis. *In ſecundo* Redemtionem oppignoratorum pactus eſt Joannes Meinhardus, & dat Agneti ſponſæ Apocham, pro acceptis 10000. florenorum, pro Dote. *Amœo Repertorii Parte II. fol.* 595. *In tertio* Fridericus de Pettau promittit: ſe permiſſurum redemtionem oppignoratorum bonorum, ſi Dos Agnetis, ſororis ſuæ, ad ipſam reverſa fuerit, & ſi ipſe litteras oppignorationis, quibus Agnetis contrados aſſignatur, obtinuerit. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 455. *Vide Tentaminis noſtri Genealogici Cap. IV. N. XX.*

Porro in eodem *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol.* 596. occurrunt ad hunc, ut opinor, annum Litteræ, quibus nonniſi 14 - - adnota-

notatum eſt, ſed materia ab ſe loquitur, cujus anni ſit: nempe Joannes Meinhardus Com. Goritiæ nuptiarum titulo aſſignat conjugi ſuæ, Dominæ Agneti de Pettau viginti millia Ducatorum, quorum dimidia pars ad ipſum recidat. Cetera hujus Chartæ Autographæ a vermibus corroſa fuiſſe adſcribuntur.

1424 Comes Hermannus de Cileja tradit filiæ ſuæ Eliſabethæ, Ildæ uxori Comitis Henrici IV. Goritienſis, arcem Stein in Carinthia, in Valle Junonia, & domum inferiorem Vipaci, cum prædio oppignorato. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 475.

Henricus IV. Comes Goritiæ feuda Aquilejenſia, a Patriarchis conferri ſolita, temporum iniquitate adactus, accipit Venetiis prima Novembris a Duce Franciſco Foſcari in platea Sti Marci cum baculo ſeu ſceptro in manu, tanquam ſummus Mareſchallus ipſius ſereniſſimi Ducis, Dominii, & Communitatis Venetiarum. *Hæc e vetuſto ſcriptore refert Rubeis pag.* 1045. *Item meminit Candidus Commentar. Aquil. Lib. VII. pag.* 69. *Grævii Theſaur. Ital. Tom. VI Parte III. & Sanutus in Vita Foſcari Ducis pag.* 976. *Muratorii ſcript. Ital. Tom. XXII.*

1426 Æditui & Curatores Templi Sancti Michaelis in Stein, in Valle Junonia, in Carinthia, litteris datis cavent, ſe non obſtituros: quin a Præfectis Comitum Goritiæ in Stein, reducatur ad bona Comitum una Villa, & Mola una Dulachi, in Valle Junonia; ſi forte quot annis non celebrarentur miſſa una ſolennis (Vigil) & duæ miſſæ pro defunctis Dominis de Gœrz & Cili, quas fundavit Comitiſſa Eliſabeth. *Datum Heunburg, die Sancti Leonhardi* (ſeu VI. Nov.) *anno* 1426. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 558. Nata ea erat Hermanni Cilejenſis, uxor Henrici IV. Goritiani.

1429 Joannem Meinhardum C. Goritiæ hoc vel ſequente anno obiiſſe, docuimus TENTAM. GENEAL. *Cap. IV. N. XX.* Hoc anno Indict. VIII. die XVIII. Octobris Purcardus de Holzhauſen, Capitaneus Vice Henrici Comitis Goritiæ, ibidem pro tribunali ſedens ſententiam dicit in cauſa privata Magiſtri Jacobi, & Dominorum Bernardi, Antonii, & Nicolai fratrum de Rabatta; integræ Chartæ apographum nobis miſit *Excell. Com.* ATTEMSIUS.

1430 Charta extat: *Data Lünz die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini* (XXII. Maji) 1430. qua Domina Agnes de Pettau, Comitiſſa Goritiæ vidua convenit Comitem Henricum de Goritia, ut deſiſtat a prætenſione ad illa bona, quæ ipſi Agneti a marito ſuo Comite Joanne Meinhardo, fratre Com. Henrici, pro contradote, & ſuſtentatione aſſignata fuere. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 595.

Fridericus IIItius Cilejæ Comes Romam profectus a Marchione Ferrariæ (Nicolao III. vel Leonello) intercipitur. Captivum Fridericum, numerata certa pecuniæ ſumma, liberat Affinis ipſius,

Henricus IV. Comes Goritiæ. *Chronicon Cilejenſe, Hahnii Collect. Tom. II. pag.* 685. & 686.

1432 Dominus Fridericus de Pettau, ſupremus Mareſchallus, & Capitaneus Styriæ, ſcribit Comiti Henrico Goritiæ, Affini ſuo, de Domino Leutoldo de Stubenberg, ob prætenſionem, quam hic habet ratione uxoris ſuæ, Dominæ Agnetis de Pettau, quæ olim Conjux fuit Joannis Meinhardi Comitis Goritiæ, fratris Comitis Henrici. *Repert. Auſtriacum Parte II. fol.* 110.

Eadem de re ipſe Leutoldus Dominus de Stubenberg Epiſtolam dat ad Henricum Goritiæ Comitem, atque bonis pactis diem ſibi conficiendi negotii aſſignari petit. Reſponſum perquam Officioſum remiſit Henricus, teſte *Repert. Auſtr. Parte III. fol.* 110.

1433 Comiti Joanni ab Oettingen, Genero ſuo, oppignorat Comes Henricus Goritiæ Comitatum Kirchberg, pro 6000. aureis, pro dotæ filiæ ſuæ Margarethæ. *Repert. Auſtr. Parte III fol.* 584.

Eandem Comitiſſam de Gœrz Margaretham orat Cœnobium Conventualium Sti Franciſci Goritiæ: velit apud Patrem efficere, ut Monaſterio præbeantur, pro more antiquo, ſex dolia vini, & ſex carri tritici; cum Sacerdotes ejus Cœnobii quot Hebdomadibus bina ſacra in Sacello (Sti Bartholomæi) Arcis Goritienſis celebrent. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 523.

1435 Henrico Com. Goritiæ litteras reverſionis dat Martinus Raumamacher, ſatisfacturum ſe Comiti quoad redemtionem Caſtri Schvvarzenegg, pro 200. aureis. *Datum anno* 1435. *Die Veneris ante S. Ruperti in autumno.* Die XXIII. Septembris.

1436 Fridericus Dux Auſtriæ, pro ſe, ſuoque fratre, Duce Alberto, cum Comite Henrico Goritiæ inſtaurat omnimode mutua pacta, quæ Duces Rudolfus, & Wilhelmus olim (anno 1394.) cum præfato Comite pepigerant. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 422.

Litteras reverſales Comiti Henrico IV. Goritiæ dant Leonhardus Harracher, & Andreas Greiſenecker de Caſtro Eberſperg, cum omnibus quæ eo pertinent. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 525.

1437 Fridericus, & Ulricus Comites Cilejæ, cum Affine ſuo, Comite Henrico de Gœrz, mutua pacta ſucceſſionis conſtituunt, ad omnes terras, in defectu ſtirpis maſculinæ. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 428. Hæc pacta de *omnibus Terris*, aliter hic ſumenda, & diſerte poſtea reſtricta fuiſſe, arguunt dicenda ad annum 1455. ad finem.

1438 Circa hoc tempus obiit Ludovicus, Dux de Tech, Patriarcha Aquilejenſis, qui bello infauſto, contra Venetos geſto, Terras Eccleſiæ, nunquam deinde recuperandas, perdidit. *P. Rubeis monument. Aquil. pag.* 1042. &c.

1439

1439 Die XVIII. Decembris Ludovicus Scarampus Mediarola, Patavinus, Patriarcha conſtituitur ab Eugenio IV. P. M. *P. Rubeis monument. Aquil. pag.* 1051. *&c.*

1443 Ulricus Comes Cilejæ, Ortenburgi, & Segers, conſtituitur educator, & velut Tutor filiorum Henrici IV. Goritiæ Comitis, viventis quidem, ſed prorſus inepti ad proles recte educandas, ob ruſticos ac fœdos mores, quos *Æneas Sylvius de Statu Europæ Cap. XIV. pag.* 107. *Freheri Script. Cur. Struvio Tom. II.* ſequentibus verbis deſcribit. („ In hac Provincia Comes Goritiæ Henricus, vir mulie„ re corruptior, impuberes filios media nocte ad potum ſurgere com„ pulit, increpitans, qui ſine ſiti ſomnum agerent. Cum Paſtori„ bus ac ruſticis ſæpius, quam cum Nobilibus diverſatus eſt: ſenex „ ſuper glacie cum pueris luſit. Inter vulgata ſcorta frequentiſſime „ lavit: raro in Aula pranſus eſt: ſolus coquum adiens offulas in „ ipſa popina voravit. Veſtes induit viles, ac perunctas: pectus nu„ dum & apertum oſtendit, oculi ſemper lachrimantes fuere. Quem „ cum aliquando ad ſe venientem Fridericus Imperator ex feneſtra „ intuitus eſſet, me vocitans, *age*, inquit, *Æneas! Principem qui ad nos „ properat, contemplare, ſi quem mundiorem pulchrioremque vidiſti aliquan„ do, effare.* Mihi, cum ſatis Principem, comitesque conſideraſſem, „ fœda ruſticitas viſa eſt, quæ dominatum aſſecuta, egregiam nobi„ litatem ſervitio premeret. Huic uxor, natione Hungara, forma „ præſtanti, & audita, plusquam viri, vincula indidit: mox Ulrici „ Comitis Ciliæ auxilio liberatus, uxorem domo pepulit. Nec diu „ poſt vita functus, filios bonæ indolis adoleſcentes, & matri quam „ ſibi ſimiles reliquit heredes.)

Spondet Ulricus Tutor fidelem operam: item promittit Comiti Henrico Parenti, poſtulaturo Joannem filium, ad unum, vel alterum menſem eundem ſe remiſſurum. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 768. & 769.

Nicolaus, & Burkardus fratres de Weisbriach, citati a Sigismundo Cæſare, excuſant ſe venire ipſos non poſſe, eo quod a Domino ſuo Friderico Duce Auſtriæ alio evocati ſint; teſtimonium tamen hiſce dant, quippe in illo negotio olim adhibiti teſtes, atque aſſeverant Comiti Henrico de Gœrz, qua ratione contractus matrimonii inter Ducem Henricum Palatinum Rheni, & Ducem Bavariæ, ac inter olim Comitem Joannem Meinhardum, prædicti Comitis Henrici fratrem, factus ſit de dote ipſius uxoris piæ memoriæ Magdalenæ, ſororis præfati Ducis XXV. mill. florenorum. *Datum Hardekke* (XVI. Septembris) *die Lunæ poſt Exaltationem S. Crucis: anno* 1443. Hæc Charta indicatur Repertorii Austiaci *Parte II, fol.* 594. & ab Amico accuratius ejusdem apographum obtinui.

Hen-

Henriti IVti Comitis Goritiæ vitæ modus intolerabilis jam omnino erat Catharinæ uxori; itaque maritum vinculis conſtringi fecit, & in Caſtro Pruck aliquamdiu captivum detineri. Denique Leontii XXI. Octobris in die SS. Urſulæ, & ſociarum, an. 1443. propoſitis variis conditionibus, & aſſignata Catharinæ congrua ſuſtentatione, Joannes (ſeu Joann. Georgius) Epiſcopus Brixinenſis, & Ulricus Cilejæ Comes, inter Henricum, & Catharinam pacem, & concordiam reſtituunt, teſte Charta apographa, allata a *P. Steyerer Collect. MSta Documentorum Tom. VI. pag.* 94. & *Repert. Auſtr. Parte I. fol.* 595. Conditiones habent litteræ aliæ, quibus Caſtrum Grunburg & Geyl & pecuniæ Catharinæ aſſignantur 200. Libræ: *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 597. *Datum Luenz pridie S. Catharinæ* (die XXIV. Novembris) *anno* 1443.

Eliſabetha, Ulrici II. Cilejenſis filia, a Patre ſuo, conſenſu Friderici Avi, ſponſa addicitur Joanni Com. Goritiæ, ubi ætatem, congruam attigerit. *Datum Luenz die Mercurii poſt S. Luciæ* (die IX. Decembris) *anno* 1443. *Repert. Auſtr Parte II. fol.* 593. Henricus Comes, Pater Joannis, easdem nuptias antea ratas habuit, hoc pacto: ut ſponſæ Dos ſit 12000. aureorum Hungaricorum Ducatorum, & Morgengeba 3000. Ducatorum &c. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 305.

Catharina, Henrico marito quidem conciliata, ſed ejusdem ruſticitate, ac fœditate morum iterum offenſa, & domo expulſa, ad Cæſarem Fridericum adire meditatur, queſtura ſuam calamitatem; eadem diſceſſum a marito animo volutaſſe videtur: id quod colligitur ex Epiſtola ÆNEÆ SYLVII *LIV. inſcripta Gaſpari Schlikio Imperatoris Cancellario* 1443. poſt XVII. Decembris.

1444 Comes Ulricus Ilduſ. de Cileja, Tutor Comitis Joannis de Gœrz, purgat ſe Goritienſi Conſilio, ratione reddita: cur Comitem Joannem tradere recuſarit: ſimul teſtatur, ſe nequaquam inimicum eſſe Goritienſibus: neque ex parte ſua ſtaturum, quo minus deſignatæ inter Com. Joannem & ſuam filiam, ſuo tempore nuptiæ reipſa celebrentur. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 769.

1445 Catharina Comitiſſa rurſum in Controverſiam cum Henrico marito incidit, de ſuſtentatione ſua; quare eidem arcem Weidenberg vi eripit, atque ea in cauſa matris partes proles tuebantur. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 604. *Varia ſcripta de hoc adeſſe notantur.*

Ludovicus Patriacha, conſenſu Gregorii Papæ, cedit Dominia Aquilejæ pleraque Venetis die X. Junii certis pactis, quæ *R. P. Rubeis pag.* 1055. adducit. Erat hic Patriarcha natus Patavii, jam tum Venetæ ditionis.

1447 Henricus IV. Goritianus litteris aſſignat Comiti Joanni de Schaumburg, & heredibus, 700. Ducatos ad Toblach, ita, ut unus Ducatus

tus viginti aliis redimendus ſit. Econtra Schaumburgius exſolvit 24000. florenorum Dotalitiorum Duci Bavariæ Alberto, pro obtentis ab Imperatore juribus. *Repertorium Auſtriacum Parte III. fol.* 1085.

1449 Leutoldus Dominus de Stubenberg, cum Comite Henrico de Gœrz convenit, de prætenſionibus, quas Dominus Leutoldus habebat, ob debitam contradotem conjugi ſuæ Agneti, Friderici Pettovienſis filiæ, quæ antea uxor fuerat Comitis Joannis Meinhardi, fratris Comitis Henrici de Gœrz; his conditionibus: ut Comes exſolvat, definitis temporibus, Stubenbergio 16000. Ducatorum. *Hoc Documentum extare Græcii, teſtatur Repert. Auſtriacum Parte II. fol.* 431. Dies non eſt adnotatus.

1450 Dominus Leutoldus de Stubenberg apocham dat, ſeu recognitionem, de acceptis, pro hoc anno, 1200 Ducatis a Domino Henrico Comite Goritiæ, quæ pecunia ſemper fuit media quadrageſima ſolvenda. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 631.

1451 & 1452 Similes apochæ D. Leutoldi de Stubenberg in *Repertorio Auſtriaco Parte II. diverſis paginis* extant, ad Comitem Goritiæ Henricum annis 1451. 1452. 1453. directæ, inſcriptæque.

1453 Hencicus IV. Comes Goritiæ Teſtamentum condit, die Sti Vincentii (XXII. Januarii) Datum in Toblach, in quo uxoris Catharinæ nulla mentio, & filiis præſcribitur: qua ratione, poſt obitum ſuum, regere ſua quisque debeat. Teſtamentum hoc extat Viennæ teſte *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 427. Item illud habetur apud *D. Comitem* SIGISMUNDUM ATTEMS *Goritiæ*, qui nobis apographum impertiit. Paulo poſt Catharina Comitiſſa ſuo, & filiorum nomine, Joannis, Ludovici, Leonhardi, confirmat Privilegia, & Statuta Nobilium & communis Cormonſenſis die 30. Junii.

1454 Hoc anno, mortuum eſſe Henricum IVtum Comitem Goritiæ, nempe intra mediam quadrageſimam anni 1454. & diem XVI. Octobris 1454. deduximus ex ordine illo apocharum, ab anno 1450. ad 1454 datarum ad Henricum; ad Joannem vero filium 1455. & ex alio documento. De his vide TENTAMINIS noſtri GENEALOGICI *Cap. IV. N. XXI.* nam illic ex Teſtamento Henrici eruimus, cur Controverſiam exortam eſſe inter Catharinam Comitiſſam, & Joannem filium ex una, & Provinciales Goritienſes ex altera Parte, hoc anno 1454. commemoret REPERTORIUM AUSTRIACUM *Parte II. fol.* 6041. quia nempe Provincialibus, excluſa Catharina, totum gubernium illic commiſſum erat.

1455 Die nona Maji, Venetiis in Ducali Palatio in ſala duarum Naparum, Joannes Comes Goritiæ feuda accipit, pro ſe, & fratribus Leonardo, & Ludovico a Duce Franciſco Foſcari ea nempe, quæ a Patriarchatu Aquilejenſi antea pendebant, cujus bona Veneti occu-

cupaverant. *Cl. P. Rubeis monument. Aquil. pag.* 1048. hæc narrando, Joannem Goritium *Magnificum Comitem, & Potentem Dominum* appellatum fuiſſe commemorat.

Domina Leonora Imperatrix, intercedit apud Comitem Joannem de Gœrz, pro cive ſui juris in Portenau, & pro cognata ejus, uxore cujusdam Bratza, circa hereditatem Joannis Prodolener. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 860.

Catharina Comitiſſa de Gœrz, vidua Henrici IV. cedit ſuas prætenſiones, (præter ultimam ſibi factam aſſignationem) ſuis filiis Joanni, Ludovico, & Leonhardo. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 594.

Pro Parocho S. Michaelis in Billau præſentatur a Domino Joanne Comite de Gœrz, Dominus Chriſtophorus de Stain. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 508. Comes Ulricus II. de Cili Comiti Joanni de Gœrz, & fratribus conſentit: ipſos, poſt ſuam mortem, vi veterum pactorum tantum Comitatum Ortenburgicum, non autem Cilejenſem, vel alias terras ſibi vindicare debere. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 427. Vide dicta ad annum 1437.

1456 Schedam in Archivo Græcenſi invenit Cl. ROSENTHALIUS, ex qua conſtat: hoc anno 1456. Ludovicum Com. Goritiæ, Joannis, & Leonhardi fratrem, inter vivos fuiſſe die Dominica poſt Feſtum SS. trium Regum: ea fuit dies X. Januarii. Lites iterum exortæ ſunt inter Joannem Comitem Goritiæ, & Matrem ejus Catharinam, de bonis ipſi, ut viduæ Henrici Goritiani, aſſignatis. *Repert. Auſtriacum Parte II. fol.* 605.

Litteræ emptionis extant, quibus Leonhardus Harracher a Domina Catharina de Gœrz emit domum, ſitam in urbe Sti Viti, in Carinthia. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 484.

Comes Ulricus II. de Cileja, ultimus ſuæ ſtirpis, Albæ Regalis in Hungaria, a Ladislao Hunniade, & a quibusdam proceribus obtruncatur, die IX. vel X. Novembris. Ejus hereditatis partem, Ortenburgicam in primis, Goritienſes ſibi vendicare ſtudebant, & ob cognationem, & ob pacta familiæ, anno præcedente relata. Nonnullos alios, hereditatem Cilejenſem adire contendentes, Principes recenſet CHRONICON CILEJENSE, quorum præcipuus erat Fridericus & ut Archidux Auſtriæ &c. & ut Cæſar, qui omnes Cilejenſium provincias, in Germania ſitas, vi *Pactorum* cum Domo Auſtriaca, ſui juris eſſe aſſerebat. *Jacobi Unreſt Chronicon Auſtr. pag.* 545. *Collect. Hahnii Tom. I. Chronicon Cilejenſe pag.* 723. *Hahnii Tom. II. Vide dicta Cap. IV. N. XXIV.* Ea pacta ſucceſſionis repoſita eſſe Græcii in Tabulario Aulico, Ladula 39. Num. 54. ex Amici notatis didici.

1457 Leonhardus Comes Goritiæ inveſtit Mattheuſium de Madruſio de Hungersbach, in variis bonis. *Hæc Charta extat apud Comitem Attemſium.*

Hoc

Hoc tempore Joannes (etiam pro Leonhardo fratre, mortuo Ludovico altero fratre) Comes Goritiæ, putans: deberi ſibi Comitatum Ortenburgi, ex hereditate Cilejenſi, Ulrici IIdi Comitis, anno ſuperiore occiſi, Fridericum Auſtriacum Cæſarem adit, ſuaque jura proponit. Ubi verbis contra Auſtriacorum jura nihil effecit, redux, armis Draburgum in Carinthia, & aliquot arces capit: Reiffenſtein, & Goldſtein diruit: Ortenburgum obſidet. A Cæſare Joannes de Witovez, Cilejæ Adminiſtrator, mittitur cum Exercitu, Joannes Comes belli hoc tanto apparatu perterritus, cedit ultro occupatis, & iis, quæ in Carinthia obtinebat, & Luenza Tyrolis. Attamen pretio redempta Luenza, ſeu Leontium, ad Goritianos rediit. *Chronicon Cilejæ Tom. II. Hahnii pag.* 742. *Unreſt Chron. Auſtr. ibidem Tom. I. pag.* 540. *&c.*

1459 Lis coram Cæſare Friderico intentatur Joanni Comiti Goritiæ, ab Ulrico Comite de Schaumburg, pro ſe & fratribus ſuis, ob Dotem Urſulæ, Comitiſſæ de Gœrz, filiæ Meinhardi VI. Avi Joannis Comitis, & Aviæ dictorum Comitum de Schaumburg. *Vide dicta in Tentaminis noſtri Genealogici Capite IV. Num. XXIV.* Ad ſimilem litem, compoſitam credo, ſpectant fragmenta litterarum Joannis Comitis Goritiæ, pro ſe, & fratre Leonhardo, ſuper venditione quorundam bonorum, facta Ulrico Juniori de Mætſch; „ quæ bona olim noſtro „ Avo, laudabilis memoriæ, nempe Comiti Meinhardo data ſunt, „ ad finem contradotis præſtandæ, uxori ſuæ, Dominæ Utehild, „ Aviæ noſtræ, etiam piæ memoriæ, quæque hereditate ad nos „ pervenere, poſt obitum Patris noſtri Com. Henrici p. m. - - - *Datum die Veneris ante Lætare*: XXIII. Februarii. *Collectanea Genealogica MSta Cl. Roſenthalii.*

1460 Catharina, vidua Henrici IVti, Comitis Goritiæ, arces duas Grumburg, & Mosburg, ſuſtentationi viduæ deſtinatas, promittit, ac decernit reſtituendas Domui Auſtriacæ, poſt ſuum obitum. Fridericus Imperator eadem rata habet. *Repertorii Auſtriaci Parte III. fol.* 578. *& Parte II. fol.* 597. *Datum Viennæ die Veneris ante Dominicam Judica in quadrageſima* (XXX. Martii) *anno* 1460.

1461 Jacobus de Thurn apocham dat nomine Joannis Comitis Goritiæ, Principis ſui, de acceptis a Nicolao Præfecto in Reiffenberg, LVIII. aureis. *Datum die Sti Petri anno milleſimo CDLXI.* Apochæ hujus apographum debemus *Excellentiſſimo Comiti* SIGISMUNDO ATTEMSIO.

1462 Joannem Comitem Goritiæ hoc anno 1462. poſt VIImam Martii, & ante XXIIdam Maji extremum ſpiritum duxiſſe, e duabus Chartis autographis Tabularii Aulici Græcenſis oſtendimus TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. IV. N. XXV.*

Sigismundus Dux Auſtriæ &c. Comes Tyrolis, concedit, ut ultimus deſcendens e Leonhardo Comite Goritiæ, poſſit diſponere

de 10000. aureorum, eosque assignare ad Dominia Leontium, Rabenstein, Clausstrum supra Leontium, & alia in Valle Pustrina, quæ ipsi Sigismundo & heredibus masculis, a Leonhardo Comite Patuele suo legata erant, si Leonhardi masculina linea deficeret. *Datum Bozen die Martis post Festum omnium Sanctorum* (die nona Novembris) *anno* 1462.

1465 Ludovicus Scarampus Patriarcha decedit XXVII. Martii. Eodem anno a Paulo II. P. M. substituitur Marcus Barbus Venetus. *Rubeis monument. Aquil. pag.* 1058.

Catharina, Comitissa de Cileja, vidua Ulrici II. die IX. vel X. Novembris 1456. in Hungaria occisi, transcribit Comiti Leonhardo de Gœrz Dominium Belgradum. *Repert. Austr. Parte II. fol.* 705. Fuit hæc Catharina Georgii, Serviæ Despotæ, filia *De qua vide du Fresne in familiis Selavonicis & Turcicis pag.* 337. Dubito, an Belgradum, Serviæ arcem aliquam, (etsi aliam ab ea, quæ Taurunnm, aut Alba Græca appellatur) hic intelligendam putem potius, quam Belgradum Forijulii? Nam frequens est hoc vocabulum; & in *Repertorio Austriaco Parte II. fol.* 734. extat alia Charta anni 14 - -, qua Fridericus Imperator jubet Georgium Despotam Leonardo tradere Belgradum, si hic solverit pretium pignoris.

1467 Catharina, Vidua Henrici IV. Com. Goritiæ, litteras emptionis exarandas curat, quibus Villaci in Carinthia hortum, in Suburbio Figulorum situm, comparat pretio XL. aureorum. *Repert. Austr. Parte II. fol.* 485.

In Comitiis, Norimbergæ habitis, confecta est Matricula submittendi contra Turcos militaris subsidii, in qua *Comites de Goritia* non nisi inter Comites, ac Dominos collocantur. Vide *Cap. I. N. VIII. ad finem* TENTAMINIS *nostri* GENEALOGICI.

1468 Helena, Imperatrix Constantinopolis, litteris ad Leonhardum Comitem Goritiæ datis queritur: se a Turcis Imperio depulsam atque a Comitissa de Cileja, sua cognata, abducta esse bona sua ad Turcos. *Repertorii Parte III. fol.* 865. Helenam hanc puto Lazari Brankovitzi filiam, nuptam Thomæ Despotæ: nam ea cognata est Catharinæ Comitissæ Cilejæ. *Du Fresne Famil. Selavon. pag.* 338. de qua ad annum 1465. mentio facta est.

1469 Turcarum barbara incursio a die XI. Julii in Territorium Aquilejæ adnotatur in *Fragmento Historico*, allato a *R. P. Rubeis in Appendice pag.* 59. qua vastitas multis locis illata ad metullizzam, & Lubiglanam &c. abstractique sunt in diram servitutem mille quingenti.

Petrus Dandulus S. Marci Venetiarum Primicerius, & Commendator Cœnobii & Abbatiæ S. Petri de Rosacis, supplicat Leonardo Comiti pro confirmatione Privilegiorum quam obtinet die XV. Julii. Vide *Tentam. Genealog. Cap. II. N. XI.*

1470

1470 Fridericus, Cæſar in Vœlckelmarckt, Carinthiæ oppido, Comitia celebrat Provinciarum Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ: Adfuere præter Cæſarem, Bernardus Salzburgenſis Archipræſul, Epiſcopi, & Nobiles: Leonhardus porro Goritiæ Comes illic feuda a Cæſare recepit: *M. Hanſizius German. ſacr. Tom. II. pag.* 520. *ex Unreſti Chronico rerum Friderici III. & ex Bautſchneri Hiſt. MSta Goritiæ & Iſtriæ*, haud dubie Carinthiaca, qua Palatinus Carinthiæ, feuda accepit.

1471 Catharina, Henrici IV. Comitis Goritiæ vidua, fundat ſacrificium miſſæ, celebrandum in Capella SS. Trinitatis, Villaci in Carinthia. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 523. Vide infra ad annum 1483.

Turcæ in Carinthia, & circa Vipacum graſſantur. *Unreſt Chron. Carinthiæ pag.* 621. *Tom. I. Hahnii Collect. Monument.*

1472 & 1473 Regiones circa Aquileiam, a Turcis, Amarbeccho Duce, incurſantur, Veneti fugantur; poſt abitum Turcarum Veneti arces Gradiſcam, & Follicianam communiunt. *Candidus Lib. VIII. Commentar. rerum Aquil. pag.* 71. & 72. *Grævii Theſaur. Ital. Tom. VI. Parte IV. Bellonus in Vita Marci Barbi Patriarchæ pag.* 67. *Muratorii ſcript. Italiæ Tom. XVI. Huc videtur pertinere narratio prolixa Sabellici de Vetuſt. Aquil. Lib. VI. toto, in Italia Illuſtrata pag.* 95. *&c.* quæ arces ſubinde parum profuere.

1473 Leonhardum Comitem Goritiæ, ultimum ſuæ gentis, Comitiis Imperii Auguſtæ habitis interfuiſſe ſcribit *Lazius de Migrat. Gentium Lib. VI. pag.* 175. Turcæ Sclavoniam, & Carinthiam penetrant. *Hundius Tom. I Metrop. Salisb. e Catalogo Manuſcripto rerum Friſingenſium.*

1475 Regis Boſniæ (Nicolai) Procurator Georgius Raaz, inſtructus literis *datis Wylack Dominica poſt Corporis Chriſti anno* 1475. nempe die XIX. Junii tractat de reparandis damnis in Forojulienſibus terris Leonhardi, Comitis Goritiæ: inter cetera agitur, ut Leonhardus œconomiæ cauſa ad Nicolaum Socerum veniat, cum ipſe alioqui bona poſſideat in Hungaria ſita, & prole careat. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 566. Videtur huc circiter referenda Charta illa *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 560. in qua exhibetur adnotatio nominum, earum arcium in Hungaria, quæ hereditarii juris titulo obtinebat Comes Goritiæ Leonhardus anno 14 - - Arces ſcribuntur ita: *Soelos caſtrum, Simontorna Caſtrum, Vecche, & Ariva, Caſtra: Proucha, & Cheſnuc, Caſtra: Cheſnegk, Wivar, Somblo, Hygod, Cheſnuve, Papa, Gara, Zenturmvara.*

1476 In pugna ad Moretum, qua Helvetii vicerunt Carolum audacem Ducem Burgundiæ, inter præcipuos Helvetii exercitus Duces, fuiſſe *Henricum Comitem Goritiæ*, Sigismundi Equitibus præfectum, narrat *Gerardus Roo Annal. Auſtr. Lib. VIII. pag.* 285. *Edit. Halenſis* 1709. ſed nullus Henricus Comes Goritiæ hoc anno vivus fuit. Igitur, cum Autor iſte, narrans bellum *Joannis* Comitis Goritiæ cum Friderico Imperatore, Joannem erronee tunc *Henricum* appellet; etiam hic

forte intelligendus erit *Joannes*, & non Henricus Comes Goritiæ. Hoc ſi verum eſſet, Joannes Comes, Leonhardi frater, etiamnum in vivis fuiſſet. Sed vide TENTAM. GENEAL. *Cap. IV. N. XXV.*

1477 Hoc anno circa finem Octobris ultra Utinum penetrantium Turcarum ferocem in Forumjulium irruptionem commemorant *Anonymus Diarii Parmenſis*, *Muratorii ſcript. Ital. Tom. XXII. pag.* 368. *item Marinus Sanutus apud Rubeis pag.* 1071. *Conſule etiam Unreſtum in Chronico Carinthiæ pag.* 629. *Hahnii Collect. Monument. Tom. I.*

Leonhardus, Comes Goritiæ, Procuratoribus ſuis D. Balthaſaro de Welſperg, & D. Virgilio de Graben mandat: ut accipiant Dotis nomine, a Marchione Ludovico (de Gonzaga) aureorum 8000. quibus redimant Portulatiſana in Forojulio. *Repertorium Auſtriacum Parte II. fol.* 460.

1478 Turcæ ſub finem anni præcedentis profligato Venetorum exercitu, & iſthoc anno incurſant Provinciam circa Aquilejam. *Bellonus in Vita Marci Barbi Patriarchæ Aquilejæ pag.* 67. *Muratorii ſcript. Ital. Tom. XVI. Andreas Naugerius apud Rubeis Commentar. Aquil. pag.* 1071. *& Palladius Hiſtor. Forojul. Parte II. item Candidus Lib. VIII. Commentar. Aquil. pag.* 71. *& 72. Grævii Theſaur. Ital. Tom. VI. Parte IV.*

1480 In Comitiis Imperii Norimbergenſibus *Leonhardo Comiti Goritiæ*, inter ceteros Principes Imperii, pro parte ſua aſſignantur ſiſtendi XLV. Equites, & LX. pedites adverſus Turcas. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. I. N. VIII. ſub finem.*

1481 Eidem ibidem in Comitiis, ut Principi Imperii, ſubſidium præſcribitur XXXIV. Equitum, & XXXII. Peditum ad Bellum Turcicum præſtandum. *Ibidem.*

1483 In Caſtris Venetis, ad Vales conſtitutis, Procurator Belli (Proveditore) Venetæ Reipublicæ concedit ſecuritatem, & immunitatem a telonio, bonis quibusdam Dominæ Paulæ de Gœrz, uxoris Leonhardi Goritiæ Comitis. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 776.

In Documento Villaci dato 1483. die III. menſis Auguſti mentio fit Catharinæ Illuſtris quondam Dominæ Palatinæ Carinthiæ, & Comitiſſæ Goritiæ, quæ fundavit Capellam Stæ Triadis in Eccleſia Sti Jacobi Villaci. *Bern. Pez Anecdot. Tom. VI. Parte III. pag.* 423. Henrici IV. Comitis Goritiæ vidua erat hæc Catharina: mortua poſt annum 1470.

1488 In *Repertorio Auſtriaco Parte II. fol.* 863. memoratur Regiſtrum titulorum, quibus hoc anno 1488. uſi ſint Leonhardus Comes Goritiæ,

&

& uxor ejus Paula de Gonzaga, in ſua Cancellaria, dum ad alios ſcriberent. Vide *Cap. I. N. VII.* TENTAMINIS GENEALOGICI.

In eodem *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 615. Colomannus Flaſchberger ſupplicat Comiti Joanni; ut ſibi ſolutionem debiti proroget. Loco *Joannis*, reponendus eſt *Leonhardus*; quia hic de Goritiæ Comite agitur, & Joannes obiit 1462.

1489 In Comitiis Francofurtenſibus, in diſtributione copiarum auxiliarium, in ſerie Principum *Leonhardus Comes Goritiæ* collocatur. Vide *Cap. I. N. VIII. ſub finem.*

1490 „ Goritiæ Comes (Leonhardus) in Regem Romanorum (Ma-
„ ximilianum) transfert jus, ac poſſeſſionem dicti Comitatus, cum
„ reliquis ſuis ditionibus, quod eæ ſe mortuo (liberis enim care-
„ bat) ad Cæſarem, jure Imperii, devolverentur. Ita *Pontus Heuterus ad annum* 1490. *Rer. Auſtriac. Lib. IV. Cap. I. pag.* 103. *in Vita Maximiliani I. Cæſaris, & Pilippi.* ad annum 1490. Sed vidimus præterea complura ſucceſſionis pacta.

1491 Maximilianus Imus Imperator, ob raptam a Carolo Rege Galliæ Annam, Franciſci Ultimi Britanniæ Ducis filiam, bellum meditans, convocatis Norimbergam Comitiis impetrat matriculam peculiaris auxilii ab Imperio præſtandi; inter Principes illic recenſetur *Comes Goritiæ*, Leonhardus. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. I N. VIII. ad finem.* Mortuo Marco Barbo, Hermolaus Barbarus ab Innocentio VIII. P. M. Patriarcha nominatur. Veneti lege Patria obtenta, eum non admittunt; ſed Nicolaum Donatum proponunt, qui biennio poſt ſtabilitur. *Rubeis pag.* 1060. *&c.*

1493 Comes Leonhardus redimendi a Vendromyno Portulatifanam, negotium committit Affini ſuo Marchioni Joanni Franciſco Gonzagæ, & Paulæ, ſuæ uxori. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 675.

1495 Leonhardus Comes Goritiæ, cum uxore Paula de Gonzaga, ad Thermas Albanenſes proficiſcitur: Litteræ liberi tranſitus illis datæ ſunt ab Auguſtino Barbado (ſeu Barbadico) Duce Venetiarum. *Repert. Auſtr. Parte II. fol.* 675.

1496 Petro Dandulo, S. Marci Venetiarum Primicerio, Commendatori Abbatiæ Roſacenſis, petenti Leonhardus Comes confirmat XV. Julii Privilegia Monaſterii Roſacenſis, a Majoribus data. Diploma exaravit Fridericus de Attems, Leonhardi Cancellarius. Vide dicta *Cap. II.* TENTAMINIS GENEALOGICI *N. XI.* ex *Epiſtola Com.* SIGISMUNDI ATTEMSII ad nos data.

1497 Nicolaus Donatus Patriarcha vitam finit III. Septembris.

1498 Succedit Dominicus Grimanus XIII. Februarii. *Rubeis pag.* 1072. *& 1073.*

1499 Die Sabbati in Vigilia Sti Michaelis, repente irruentes Turcæ, Duce Scander Baſſa, Forumjulium diripuere, uſque ad Plavim fluvium

vium diſcurrentes : abductis undecim hominum millibus. Octavo poſt die, illatis multis, nulla accepta clade, rediere. *Fragmenta Hiſtorica. apud Cl. P. Rubeis in Append. pag.* 59.

1500 HUNDIUS refert *Metrop. Salisb. Tom. I. pag.* 305. Leonhardum teſtamento legaſſe Maximiliano Imo oppidum Luenz, cum omni jurisdictione, quod Goritienſis erat Comitatus : idque ſubinde Maximilianum Tyroli adnexuiſſe. Enimvero vi pactorum alioqui Goritienſia omnia Auſtriacorum juris erant. Die XII. Aprilis obiit Leontii Leonhardus, poſtremus Goritiæ, veteri e ſtirpe, Comes, ſine liberis, ſepultus Leontii.

Goritienſes nonnulli credebant translatum fuiſſe Leonhardi corpus Goritiam, ob Monumentum lapideum, quod Goritiæ de Leonhardo extat ; ſed in eo nihil de morte, vel ſepultura memoratur. Vide TENTAMINIS GENEALOGICI *Cap. I. N. VIII. & Cap. IV. N. XXVI.*

Maximilianus Cæſar, morte Leonhardi Comitis intellecta, uſus autoritate Cæſarea, & optimo item jure oppignorationis, pactorumque iteratorum, (de quibus annis 1359, 1361, 1364, 1394, & 1436. &c. dictum eſt) Comites de Naſſau, de Zollern, & Fürſtenberg, cum trecentis Equitibus Goritiam miſit, qui Comitatus Goritienſis poſſeſſionem, ejus nomine, ceperunt. *Gerardus Roo Lib. XI. pag.* 547. *Burgtehner Lib. XIII. Cap. XIV. pag.* 553.

FINIS.

Belgradum ab Archiepiscopo Vic-Metin. Nic. Greg. Pot. anno 1281. in Chron. venditus, est, ipsum idem in Forojul. castris, quod p. 412. negotium facessit Cl. Froelich noster ubi de Grafio Goffredo Scribit ✠

Ad ann. 1202. adde ex Codice Excerptorum Labacensis Canonici Forojul. in Archivio Capitulari Aquil. p. 96.

1202. Artuicus Henricus de Glemona, Hebehardus de Prodolone, Varnerius de Tinzano, Varnerius de Cucagna, Comites de Gorizia, Henricus de Gengilpretht vocatus de Colorito, et Bertha de Goo. Marchisi pro pace apud Manzanum 25 in Carsio facta. Pacis hujus, vel abbatiæ conditiones vide ibidem p. 98. t.

✠ 1440. Die 5. Junii expendidi de mandato Regiminis... quod vinum, Radio ac pahis et confectiones fuerunt pro parte nostræ Communitatis presentatæ illustri Principi ac potenti Dno Dno Ragiensi et Notario de Cilli Dno Camerario Comitis Cilie et Dno

Consigl.

KH5
5425
TES

- 2 inc. rame tipi
- 1 carta geogr.
- 1 gr. inc. rame guerriero

I edizione
Valentinelli, 209
Combi, 1099
Mazzara, 68